



Instituto de Estudios Jurídicos y Sociales
15 de mayo de 1955.

997

Io. GOTTL. HEINECCI Icti

CONS. QVOND. AVLAE REGIAE PRVSS. ET IN ILL. VIADRI-

NA PAND. ET PHIL. RAT. ET MOR. P. P. ORD.

ANTIQVITATVM

ROMANARVM

IVRISPRVDENTIAM

ILLVSTRANTIVM

SYNTAGMA

SECVNDVM ORDINEM

INSTITVTIONVM

IVSTINIANI

DIGESTVM

*Lat. Bib. Bonnensis
Vol. 116.*

IN QVO MVLT A IVRIS ROMANI

ATQVE AVCTORVM VETERVM LOCA EX-

PLICANTVR ATQVE ILLVSTRANTVR

EDITIO NOVA

PRIORIBVS EMENDATIO R ET LOCVPLETATIO R.

CVM SER. ELECT. SAXON. PRIVILEGIO.

FRANCOFVRTI AD MOENV M,

SVMTIBVS HENRICI LVDOVICI BROENNER,

MDCCLXXI.



6017



93722



PRAEFATIO NOVA LECTORI BENEVOLO

S. P.

Praeter ea, quae olim huic libello verbosius praefatus sum, iam quoque sunt, LECTOR, quae paucis te volo. Qua occasione ille mihi olim subitanea veluti opera natus sit, ex veteri praefatione, si memineris, didicisti. Fata tunc illi longe alia, quam quae expertus est, ominabar. Non dubitabam enim, quin, cum plerique alieno ab his studiis animo esse soleant, libellus non nisi meis, quibus illum destinaveram, auditoribus vtilitatem aliquam allaturus, adeoque extra academiae, in qua tunc publice docendi munereungebar, Halensis pomoeria non multum consecuturus

PRAEFATIO NOVA;

esset celebritatis. Enimuero aliter accidit, ac quidem existimaueram. Vix enim praelo exierat opusculum, cum et exteri in ephemeridibus publicis institutum meum probarent, et ipsum libellum commendarent vnice. Fuerunt etiam qui se eo non parum adiutos esse, literis ad me datis, significarent. Fuerunt, qui illum in hac ac exteris academiis publice enarrarent, suisque illustrarent interpretationibus. Fuerunt denique, vt fit, qui in libellis et schedis suis, mea, vel suppresso auctoris nomine, exscriberent, vel cum honoris praefatione citarent, vel naeuos quosdam, siue veros, siue sibi ita visos, candide indicarent; quibus ego me magis obstrictum fateor, quam illis, qui mihi laudes, quas non agnosco, admetiri non dubitarunt. Inter haec omnia libelli exemplaria paucos intra annos distracta sunt, meque iam monet bibliopola, in quem,

PRAEFATIO NOVA

quem, dissipato bibliopolio nouo, ius vendendi opusculum, translatum est, vt si quid in scriniis esset, quod addendum putem, id secum communicare non dubitem, ast ita tamen componam rationes, vt forma libri non multum immutetur. Statim ergo sub incudem illum reuocaui, et nihil feci reliqui, vt multo concinnior emendatiorque prodiret in lucem. Quid praestiterim, paucis accipe. Naeuos, qui vel operarum incuria vel culpa mea, quamuis leuissima, priori editioni haeserunt, seuerissima cura sustuli; Auctorum loca accuratissime citaui: quaedam non satis firmata, nouis nunc testimoniis stabilui: Adieci hinc inde obseruationes, quae deesse videbantur: quibusdam, de quibus amplius deliberandum censui, induxi lituram. Mutavi etiam nonnunquam sententiam, a nemine monitus, et solo veritatis studio, quod rebus omnibus

PRAEFATIO NOVAE

anteferre soleo, adductus. Quaedam amicorum, doctorumque virorum monitu correxi, si quando eos acu tetigisse deprehendi. Nunquam enim mihi adeo placui, ut humani quidquam a me alienum ducerem. Denique cum a quibusdam non ex merito vellicari me animaduertentem, operam etiam dedi, ut mea vindicarem modeste. Exemplo esse potuerunt, quae contra Virum Clarissimum B. BRANCHU, iureconsultum Lugdunensem disputavi. Bis me Vir doctus erroris postulavit in elaboratissimis, quas euulgat, observationibus iuris. Sed utroque loco eum non errorem deprehendisse, sed coniecturam coniecturae opposuisse animadverti, et quidem parum verisimilem verisimillimae. Vnde cum non liceret mihi esse tam beato, ut ab eo proficerem, committendum mihi haud putavi, ut errasse me faterer, ubi ipse errori propior videbatur.

PRAEFATIO NOVA.

batur. Denique, ne id ignores, indicem auxi quam maxime, insertis iis, quae in noua hac editione accesserunt. Ita vere affirmare possum, auctiorem emendationemque proditurum esse libellum, si is, qui emendationi plagularum impressarum praefuerit, tantum industriae attulerit, quantum ego ad illius recognitionem attuli. Diligentiam enim operarum, quamvis exactissimam a bibliopola, viro integerrimo, stipulatus sim, ipse praestare nequeo, plus quam centum miliaribus Argentorato remotus. Haec sunt, quae scire te volui, LECTOR, antequam te ipsius libri lectioni dares. Tu lucubratione, quam in tui gratiam sustinui, vttere, frueri, et mihi, tua causa omnia volenti, et antiquitates, Germanici iuris multo maiore studio adornanti, et breui eidem praelo commissuro, faue. Halae Kal. Sextil. clolcccxxiii. Haec ante bien-
X 4 nium.

PRAEFATIO NOVA.

nium. Iam scito, iterum distractis exemplaribus, me denuo libellum recognovisse, emendasse, nihilque fecisse reliqui, ut prodiret et auctior et emaculatio. Est hoc studium huiusmodi, ut quotidie aliquid observes: nec quisquam tam bene subducta ad scribendum ratione est, quin res, aetas, usus semper aliquid apportet novi, aliquid moneat, ut illa, quae te scire credideras, nescias, et quae tibi putaras prima, in experiundo repudies. Quod et mihi, quoties mea relego, evenit, evenietque fortassis et in posterum, si me vivo libellus quartum praela exercuerit. Sed haec Deo curae erunt, cui TE, LECTOR, aequae ac me ipsum meaque omnia commendo. Franequerae Frisorum x. Kal. Febr. cl̄oIcccxxvi

PRAE-



PRAEFATIO

PRIORI EDITIONI PRAEMISSA.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

IO. GOTTL. HEINECCIUS.

ICtus,

Quamvis vtilitatis in iurisprudencia nostra antiquitatum Romanarum adferat notitia, nemo, nisi qui nunquam est hisce sacris initiatus, ignorat. Equidem iam eo tempore, quo adhuc florebant res Romanae, vix quisquam praeclarum iureconsulti nomen tueri videbatur, qui erat ab hoc insigni praestantissimoque praesidio destitutus. *Plurima erat, teste CICERONE (a), in omni iure civili antiquitatis effigies, et prisca verborum vetustas, et actionum genera*

) (5

a) Cic. de Orat. I, 43.

PRAEFATIO

nera quaedam, quae maiorum consuetudinem, vitamque declarabant. Haec vero omnia quis quaeso intelligat, nisi qui interiori sibi antiquitatis scientiam comparauerit? Hinc in maxima plerumque ac praecipua veterum iureconsultorum laude ponebatur accuratior antiquitatum notitia, PLINIUS (b), ARISTONEM iureconsultum laudaturus, nihil in eo magis, quam illam prisca moris peritiam, admiratur. *Quam peritus, inquit, ille et privati iuris et publici? Quantum rerum, quantum exemplorum, quantum ANTIQVITATVM tenet? nihil est, quod discere velis, quod ille docere non possit. Mihi certe, quoties aliquid abditum quaero, instar thesauri est.* Idem reconditarum literarum praesidium etiam in ANTI-STIO LABEONE celebrat GELLIUS (c), ex quo discimus, *nihil eum ratum pensumque habuisse, nisi quod iustum sanctumque esse, in Romanis ANTIQVITATIBVS legisset.* Cum ergo iam ii iureconsulti, qui florentem viderant rempublicam, hoc praesidio carere haud posse viderentur: quid de nostris dicamus temporibus, quibus ita extincta est Romana respublica, nullum ut exstet, nisi in hominum memoria, veteris illius formae vestigium? Aliae hodie sunt consuetudines, alia religio, alii magistratus, alia iudicia, alia denique imperiorum et rerumpublicarum facies. Et tamen peregrinis adstricti legibus viuimus, easque interpretari et obuientibus hodie negotiis applicare iubemur. Quis hoc praestiterit, nisi qui impressam animo circumferat veteris illius Romanae reipublicae effigiem, et, ut IUSTINIANVS (d) alicubi monet, *nihil ANTIQVITATIS penitus ignoret?*

Equi-

b) PLIN. *Epist.* I, 22.

c) GELL. *Noct. art.* XIII, 12.

d) §. I. *Inst. de testam. ordin.*

PRIORI EDIT. PRAEMISSA.

Equidem si cui hoc dubium videbitur, eum ego ad Glossatores remittam, ad illud inquam, hominum genus, cui, extincto literarum lumine, tantum staturabatur pretii, ut quasi Atlantis humeris coelum, ita eorum auctoritate iurisprudentiae dignitas videretur sustineri. Quid enim aliud eminentissima illa ingenia in tot ridiculos ac pene pueriles errores abripuit, quam antiquitatum Romanarum omnisque posterioris literaturae ignorantia? Fieri enim profecto haud poterat, quin homines, eius reipublicae ignari, cuius leges et iura tractabant, tanquam illumi nocte sine lumine oberrantes, saepe offenderent, saepe laberentur, saepe quovis potius, quam quo instituerant, peruenirent, ut eleganter ait M. ANTONIVS MURETVS (e). Non pudebat ergo tum legi *Fusiae*, *Caninia* a *canina* invidia (f); legi *Hortensiae* a nescio quo Rege *Hortensio* (g); *calatis comitiis* a Graeco καλός (h); quartae *Falcidiae* a *defalcando* (i); et libertis *orcinis* a nescio quo Graeco *orcos*, quod *rectum* significet (k), nomina arcessere. Neque religio

e) MURET. Part. I. Orat. XVII.

f) Glossa ad princ. Inst. de Lege Fus. Can. 20ll. edit. antiquiss. ex saeculo XV. Quam legem Fusiam Caniniam forte a quodam, qui Caninius nominabatur, inductam; ut in publiciana dicitur infr. de actionibus §. aliae. Nam canis servabat naturam, qui stat in palea, qui nec sibi potest habere paleam, nec alii permittit accipere. sic nec sibi poterat tenere servos, quod moriebatur; nec libertatem patiebatur iis dari. Unde merito *caninis* dicitur, ut sit consequens nomen rei.

g) Glossa ad §. 4. Inst. de Iure nat. gent. et civ. Sed hoc sublatum est per legem, latam ab Hortensio Rege.

h) Glossa ad §. 1. Inst. de testam. ord. Calatis, id est, bonis iniitiis vel conventibus, καλός enim bonum interpretatur.

i) Glossa ad princ. inst. de lege Falcid. Falcidia sic dicta quod ut falx foenum, sic et lex legata refecat.

k) Glossa ad §. 2. Inst. de sing. reb. per fideicom. vel. Orcinus sic dictus ab orco, quod est rectum, unde *orcinus*, id est directe manumissus, vel ab orco, id est, capio.

PRAEFATIO

gio tum erat ea, quae de antiqua in ius vocatione in iure Romano repererant, ad hodiernam citationem; et quae de albis praetorum legerant, ad edicta iudicum nostrorum referre. Quin, ne quid deesset ineptiarum, ex veteribus istis praesidibus et praefectis praetorio imperii nostri principes atque electores deriuare haud dubitabant. Quas ridiculas interpretationes ex crassa antiquitatum Romanarum interiorisque literaturae ignorantia subnatas cum posteris, nugis istis tanquam glebae adscripti, tantum non consecrarent: tantus sensim succreuit errorum grauissimorum prouentus, vt extirpando huic luxurianti lolo ne eminentissimorum quidem iureconsultorum sufficeret diligentia.

Enimuero condonandum id forsan fuerit magis illis, qui tam infelici seculo adoleuerant, ingeniis. Illud vix ferendum, quod in felici illa temporum reparatione, cum vbique feruerent elegantiorum literarum studia, non deessent, qui in illa glossatorum barbarie quaererent delicias, frugeque reperta, glande tamen vesci mallent. Nemo ignorat, quantum in iurisprudencia repurganda illustrandaque desudauerint praestantissima superiorum temporum ingenia, ALCIATI, BVDAEI, CVIACII, BALDVINI, HOTOMANI, CHARONDAE, CONTII, BRISSONII, FABRI, AVGVSTINI, GIPHANII, PITHOEI, RAEVARDI, RITTERSHVSII, qui omnes cum iuris peritia admirabilem quandam atque inusitatam antiquitatis notitiam coniunxerant: sed eorum tamen labores adeo forduerunt plerisque, vt vir quidam doctissimus, qui Balduini opera coniunctim edere instituerat, non reperiret, qui sumtus facere sustineret. Si qui etiam, eorum excitati exemplo, eandem docendi rationem sequerentur in academiis, iis publico expostis odio, barbaroque *humanistarum* nomine traductis,

tan-

PRIORI EDIT. PRAEMISSA.

tantum non aqua et igni interdicebatur (l). Certatim ergo tum iuvenes in Italiam, tanquam ad iurisprudentiae mercatum quendam confluebant, audituri ibi iureconsultos *magistraliter*, si Deo placet, docentes (m), et redituri inde rabulae haud postremi, confidentes, acres, contentiosi, et quod palmarium tum videbatur, multarum legum, sibi non intellectarum principia vno spiritu citare gnarissimi.

Verum suppudivit demum iureconsultos tantae barbariei, Deusque hanc eis mentem dedit, ut cum illo legum studio praeter accuratiorem ratiocinandi artem aliaque praesidia, etiam antiquitatum in primis Romanarum peritiam coniungerent. Viderunt postrema haec saecula iureconsultos humanissimos, MERILLIOS, GROTIOS, GOTHOFREDOS, AVERANIOS, VINNIOS, FREHEROS, HERALDOS, OISELIOS, BRUMMEROS, MENAGIOS, HUBEROS, SPANHEMIOS, BYNCKERSHOEKIOS, NOODTIOS, SCHULTINGIOS, qui nihil fecerunt reliqui, ut legibus ex ipsa status Romani veterumque rituum contemplatione lucem suffunderent. Sed plerique tamen duntaxat singularia quaedam iuris nostri capita illustranda susceperunt, nemoque adhuc, quantum memini, existit, qui per omnes iuris, partes eundo hoc antiquitatis iter, ut CICERO (n) vocat, confecerit. Equidem JACOBVM GOTHOFREDVM iustum antiquitatum iuridicarum corpus meditatam esse, auctor

l) Exemplum est in MELCH. von OSSEN Testamento
Part. II. cap. VIII. §. 2. p. 385. et §. 14. p. 403.

m) Magistralem hanc docendi methodum luculenter ex Panciroli de Clar. leg. Interpr. II. 6. exponit THOMAS. ad Melch. de Offen Testam. p. 398.

n) Cic. de Orat. I, 60.

PRAEFATIO

Etor est MORHOVIUS (o), id quod, si vidisset lucem, tanquam Phidiae aliquod signum omnium procul dubio cordationum admirationem meruisset. Verum inuiderunt nobis fata tam luculentum opus, neque quisquam adhuc in tanti viri labores successit.

Cum vero et ego, quantum vtilitatis haec antiquitatum notitia iuris Romani cultoribus adferat, experiundo didicissem, et olim ita ferente studiorum meorum ratione, in peruoluendis melioris aetatis auctoribus indagandisque antiquitatibus haud parum insumissem operae: facile a me impetraui, vt hac re cupidae legum iuuentutis studia pro virili mea parte iuuare anniterer. Eo consilio superiore aestate in publicis, quas indixeram, praelectionibus ad singulos Institutionum titulos ea explicavi, quae ex antiquitatibus ad intelligendam illam iuris materiam obseruanda videbantur. Cum vero, auditorum memoriae consulturus, breuissimis, quantum licebat, positionibus omnia conclusissem: dignae illae quibusdam visae sunt, quas reuocarem sub limam, et publicae luci exponerem. Et inde subnatum mihi est hoc antiquitatum Romanarum, quod nunc publici iuris facio, syntagma, interioris iurisprudentiae studiosis non ingratum, vt spero, futurum. Equidem et in antiquitatum studio suavis nonnunquam latet infania. Non desunt hodiernum Damasippi illius similes, de quo HORATIVUS (p):

Insanit veteres statuas Damasippus emendo.

Non

o) MORHOF. *Polybist.* Tom. III. Lib. VI. Sect. III. §. XI.
P. 83.

p) HORAT. *Sermon.* II. 3. v. 64.

PRIORI EDIT. PRAEMISSA.

Non desunt, qui Protei baculum, aut Epicteti fictilem lucernam talentis coëmerent, dummodo essent, qui decipere vellent. Sed hos ego homines suaviter rideo, et si recte ab HENR. STEPHANO (q) obseruatum, Graecos olim simplices homines ἀρχαίως et αρχαικώς; stultus vero κρόνως, κρονίως, κρόνολλήγως, et βενκεσελήνως vocasse: nulli mihi magis hoc nomen mereri videntur, quam qui antiquitatis quisquiliis auro mercantur. Nunquam mihi placuit antiquitatis studium, nisi quod sublimioribus scientiis lumen praeferret. Non ergo vulgaria ac trita hic quaeres, non λεπτολογίας illas, quas plerumque in antiquitatum scriptoribus rident, quotquot sunt cordatiores eruditi. Non hic de veterum calceis, non de eorundem tricliniis epulis, ianuis, ludis, hastis, tibiis, coronis, laruis, thermis, torquibus, lucernis agitur: (cui enim non dictus Hylas?) sed de iis, quae ad statum reipublicae Romanae, ad legum origines et rationes, ad ritus, formulas, et sollennia populi Romani verba, ipsumque veterum iudiciorum ordinem pertinent, sine quibus intelligi haud possunt leges Romanorum. In consilium vbique adhibui auctores praestantissimos, quos omnes ipse euolui, et, quantum licuit, bona fide citavi. In prioribus titulis multum me fateor profecisse ex illustri THOMASII dissertationibus, quibus institutiones illustrare coepit (r), quae si omnes vidissent lucem, superfedere potuissim hisce lucubrationibus. Multum quoque adiumenti mihi attulerunt aeterna CVIACII, HOTOMANORVM,

) () (

BRIS-

(q) HENR. STEPH. *Apolog. Herodot.*

(r) *De usu pratico Institutionum*, in quibus tamen adhuc non longius, quam ad *Lib. I, Tit. XII.* progressus est.

PRAEFATIO

BRISSENI, BALDINI, PE . FABRI, BRUMMERI, M. VERTRANI, MAVRI, SIGONII, SALMASII, IO. FRID. GRONOVII, EZECH. SPANHEMII, MENAGII, NOODII, BYNCKERSHOECKII, PERIZONII, HYBERORVM, BYRMANNI, SCHVLTINGII, aliorumque doctissimorum virorum opera, quae diurna nocturna-que versavi manu. Legem tamen hanc ego mihi mecum ipse dixi, vt semper ad fontes recurrerem: eaque re factum est, vt haud pauca obseruarem, quae aliis in mentem haud venisse arbitror. Cum vero in praelectionibus, quarum memini, publicis, ordinem Institutionum secutus essem: nolui postea ab eodem recedere, sed eundem in toto opusculo seruandum existimaui, ea tamen lege, vt potiores, quae in pandectis occurrunt, materias iusto loco atque ordine insererem, multaque, quae in vtrisque desiderantur, hinc inde supplerem. Sic cum verbi causa distinctiones personarum omnes neque in Institutionibus, neque in latiore Digestorum opere explicatae sint: de illis accuratissime egi in appendice libri primi, vbi simul dedi operam, vt quae a CAR. SIGONIO in libris *de antiquo iure ciuium Rom. Italiae et prouinciarum*, vt et EZECH. SPANHEMIO in *Orbe Romano* paullo prolixius traduntur, tanquam in nucleo exhiberem. Eadem cura et diuisionem illam *rerum mancipi et nec mancipi*, de qua altum est in iure nostro silentium, exposui *Libro II. Tit. I.* Multa quoque dicta inuenies de iurisdictione et imperio, de ordine iudiciorum, de feriis et dilationibus, de edendo, postulando, procuratoribus, de iure dotium, diuortiis, aliisque iuris capitibus, quae sicco pede in institutionibus praetereunda putauit TRIBONIANVS. Vt paucis dicam, ita in hoc opere versatus sum, vt liceat mihi fructum vber-

rimum

PRIORI EDIT. PRAEMISSA.

rimum ad conscientiam meam referre. Illud vnum doleo, inter concatenatos labores non licuisse mihi esse tam felici, vt paullo seueriore limamenda omnia tollerem. Ea TV, LECTOR BENEVOLE, tantisper aequo animo feras, rogo, dum in calce posterioris partis indicem eorum, in quibus operae aberrarunt, confecerō. Interim fruere his et ANTIQVITATES GERMANICAS, quae ad illustrandum ius Germanicum hodiernum faciunt, et quas ego iam a plurimis annis perpoliui, eadem methodo expositas, breui, si Deo visum fuerit, expecta. VALE. Ex Accademia

Fridericiana, ipsis KAL. SEPT.

MDCCXVIII.





INDEX

TITVLORVM PARTIS I.

ET

MATERIARVM QVAE IN ILLIS TRACTANTVR.

LIB I.

AD PROOEM. *de variis iuris Romani Collectionibus differitur.*

AD TIT. I. de iusticia et iure, agitur *de iureconsultorum veterum philosophia, et aemulatione cum philosophis.*

AD TIT. II. de iure Nat. gent. et ciuili, agitur *de ritu ferendi leges et plebiscita, vt et de SCiis, de Praetorum et Aedilium edictis, de iureconsultorum origine et responsis, de constitutionibus principum, alijs.*

AD TIT. III. de iure personarum, agitur, *de seruorum Romanorum conditione et variis generibus.*

AD TIT. IV. et V. de ingenuis et libertinis, agitur *de variis manumittendi ritibus, de libertinorum conditione variis generibus, insignibus.*

AD TIT. VI. qui et quibus ex causis manum, non possunt, agitur *de legis Aeliae Sentiae origine, ratione, variis capitibus, et abrogatione.*

AD TIT. VII. de Lege Fuf. Canin. tollenda, agitur *de huius legis origine, ratione, materia, abrogatione.*

AD TIT. VIII. de his, qui sui vel alieni iuris sunt, agitur *de Dominorum potestate et crudelitate in seruos et variis legibus, quibus illa coërcita.*

AD TIT. IX. de patria potestate, agitur, de antiqua patrum potestate in liberos, veluti *de iure vitae et necis, de trina venundatione liberorum, de iudicijs domesticis, de*
acquae-

INDEX TITVLORVM PART. I.]

acquæstu per liberos, et quid in his omnibus sensim mutatum sit.

AD TIT. X. de nuptis, agitur de variis ritibus nuptiarum, veluti confarreatione, cœmione, usu, eorumque effectibus, ut et de nuptiarum requisitis.

APPENDIX de legitimatione, in spuriorum conditionem, originem legitimationis varique eius genera inquirat, ubi et de curiæ datione.

AD TIT. XI. de adoptionibus, de variis adoptionis generibus, et ritibus in ea adhibitis differitur.

AD TIT. XII. quibus modis patr. por. soluitur, agitur de ritibus emancipationis eiusque variis speciebus.

AD TIT. XIII. XIV. XV. XVII-XX. de tutelis, testamentaria, legitima, fiduciaria, dativa, partim origo tutelæ, partim leges XII. de tabularum de tutelis explicantur. Adduntur quaedam de ritibus dandi tutores, ut et de tutela mulierum, cuius historia latius traditur.

AD TIT. XVI. de capitis deminutione, eius origo ex antiquo census instituto deducitur, multaque ex antiquitatibus explicantur de iure postliminii, de seruitute poenæ, de exilio, aquae et ignis interdictione, deportatione, et aliis.

AD TIT. XXI. de auctoritate tutorum, quid antiquis fuerit auctoritas, quid administratio, et quomodo interponi consueverit auctoritas, docetur.

AD TIT. XXII. Quibus modis tutela finitur, de ritu explorandi pubertatem, et aliis modis finiendi tutelam agitur.

AD TIT. XXIII. de curatoribus agitur de curatione furiosorum, et prodigorum, de ritu interdicens bonis, de origine curationis minorum, de actionibus et adiutoribus, aliisque rebus huc pertinentibus.

AD TIT. XXIV. de satisdat. tutor. et curat. satisfationis origo, Scutum sub Traiano factum, ipseque ritus satisfationis explicantur.

INDEX TITVLORVM PART. I.

AD TIT. XXV. de excusat. tut. vel curatorum, *multa differuntur ex antiquitatibus de lege Papia Poppaea et iure liberorum, de liberorum recensatorum professione, de administratione fisci et aerarii, de schola Romana, Constantinop. et Berytensi et variis in illa Professoribus, Grammaticis, Rhetoribus, Philosophis, Medicis, Iureconsultis, eorumque immunitatibus.*

AD TIT. XXVI. de suspect. tutorib; vel curatoribus *origo huius criminis ex lege XII, Tab. explicatur.*

APPENDIX Libri I. ea supplet, quae in institutionibus de iure personarum omittuntur. *Hinc in illa agitur de iure ciuitatis et Quiritium, de Latino et Latini nominis eorumque iuribus, de Italis, de prouinciis, earumque formulis, de municipiis, coloniis, praefecturis, ciuitatibus foederatis, de peregrinis denique eorumque conditione et iuribus, aliisque,*

LIB. II.

AD TIT I. de rer. diuis. et acquir. rer. domin. explicatur, *quomodo Romani res sacras Diis superis; religiosas diis inferis consecrauerint, quomodo sepulcra circumscripserint limitibus, quomodo muros aratro signarint, ac deinde dedicarint? Quae res dictae veteribus publicae, communes, vniuersitatis, nullius? Quenam res mancipi et nec mancipi? quomodo facta mancipatio, in iure cessio sub corona venditio, traditio, adiudicatio? Quid Dominium quiritarium et bonitarium?*

AD TIT. II. de rebus corporalibus et incorporalibus *haec diuisio e principiis Stoicorum explicatur.*

AD TIT. III. de seruitut. rustic. et urbanor. praediorum *de vtrarumque origine et indole ex antiquitatibus Romanis differitur.*

AD TIT IV et V. de usufructu, vsu et habitatione *eorumque origine agitur.*

INDEX TITVLORVM PART. I.

AD TIT. VI. de usufruptionibus et longi temporis praescriptionibus *origo horum iurium ex iure Attico et legibus XII. Tabularum deriuatur, et de legibus Atinia, Iulia, Plautia, Scribonia aliisque nouis constitutionibus agitur.*

AD TIT. VII. de donationibus *differtur de differentia doni et muneris, de donis Romanorum variis, veluti strenis, apophoretis, muneribus natalitiis; iusticiis, nuptialibus, xeniis etc. Eadem occasione de lege Cincia et aliis iuribus eorumque origine agitur.*

AD TIT. VIII. Quibus alienare licet vel non licet, *totamateria de dotium origine et iure, vt et de ritibus dotem dicendi, danai promittendae tractatur. Agitur item de alienatione pignoris et rerum pupillarum.*

AD TIT. IX. Per quas personas cuique acquiritur; *praecipue de adhaerentibus per liberos horumque peculio, vt et per seruos, matres familias personasue liberas agitur.*

AD TIT. X. XI. XII. XIII. De testamentis ordinandis de testam. militar. et qui testari non possunt, *ostenduntur prima rei testamentariae initia additurque, quomodo testamentum in comitiis calatis, in procinctu, per aes et libram, vt et praetoria facta scripteque sint. Agitur etiam de testamentis militaribus, de testamentis feminarum, de exheredatione liberorum veteri et noua, vt et abdicatione eorum etc.*

AD TIT. XIV. de heredibus instituendis de iis praecipue agitur, *qui heredes institui haud potuerint, quales erant peregrini, caelibes, orbi, vniuersitates, in quibus tamen non comprehenduntur municipia. An et quinam Dii potuerint heredes institui? Qualis as hereditarius, et quomodo computandus?*

AD TIT. XV. XVI. de vulgari et pupillari substitutione *in vtriusque originem inquiritur, simulque eius formula et modus ostenduntur.*


AD TIT. XVII. XVIII. XIX. quibus modis testam. infirmantur, *de querela inofficiosi test. vt et de hered. qualitate et different. explicatur, quaenam testamentum fuerint nulla vel iniusta, infirmata, rupta, irrita, resissa: quae*

INDEX TITVLORVM PART. I.

fuerit origo querelae inofficiosi eiusque natura? quae origo portionis legitimae? Quinam heredes dicti necessarii, sui et necessarii, extranei? Quibus ritibus creta et adita hereditas? Quid pro herede gestio? Quid immixtio et agnitio?

AD TIT. XX-XXII. delegatis eorumque ademptione et translatione, vt et lege Falcidia ostenditur, quomultiplicialegata fuerint, quomodo legatum sit per vindicationem, damnationem, sinendi modo, per praeceptionem? Quenam fuerit horum legatorum differentia? Quid legatum partis hereditatis? Considerantur porro leges: Furia testamentaria Voconia, Falcidia earumque origo et materia expenditur.

AD. TIT. XXIII-XXV. de fideicommissis vni versalibus et singularibus et de codicillis, fideicommissorum origo, formulae, natura ostenditur: adduntur nonnulla de SCt. Trebelliano, Pegastino, Aproniano, de codicillorum nomine, natura, origine, et quae huc pertinent, aliis.



ANTI-



ANTIQUITATES ROMANAE

IVRIS PRVDENTIAM
ILLVSTRANTES.



PROEMIVM.



Cum Iustinianus Imperator in Institutionum prooemio suae potissimum collectionis texat historiam: facturi videbimur operae pretium, si et nos illius exemplo IVRIS ROMANI COLLECTIONES, tum ante Iustinianum, tum postea confectas, veluti per indicem recensuerimus.

I. Urbem Romam principio reges habuere, qui manu initio omnia regere, postea vero et leges quasdam curiatis ad populum ferre coeperunt. Tacit. *Annal.* III, 26. l. 2. §. 2. *D. de orig. iur.* Has leges regias, maxime sacras,

I. Legum regiarum collectio seu ius Papirianum.

Pars I.

A

primus

primus collegit C. Papisius (a), non multo post exactos reges pontifex maximus, vt patet ex Dionys. Halicarn. *Antiqu. Rom.* III. p. 187. ex quo etiam discimus, C. Papisium illum leges Numae, dudum abolitas, in lucem reuocasse. Et haec quidem collectio IVS CIVILE PAPIRIANVM (b) vocatur a Pomponio, l. 2. §. 2. *D. de orig. iur.* de eoque tempore Caesaris, (vt eleganter obseruauit V. C. Car. Andr. Duker. *de Latinit. vet. Iurisconsf.* p. 156.) librum integrum composuit Granius Flaccus, laudatum in l. 144. *D. de verb. signif.*

II. Eius interitus et restitutio.

II. Dudum vero, praeter paucissima fragmenta (c) Papiriana illa collectio periit. Et hinc

(a) Pomponius l. 2. §. 2. et 36. *D. de O. I.* modo *Sextum* modo *Publicum*; Dionysius vero Halicarnassens. cui plurimum ea in re credendum *Caium* appellat. Cum autem Cuiacius obseruet, in codicibus MS. Ct. legi VI. pro *Sextum* non dubito, quin ex nota numerali Sexti praenomen sibi fixerint scribae. Significare vero videtur numerus iste, Papisium, quem Dionysius Halicarnassens. praecipue sacras Numae leges collegisse refert, sexto demum libro reliquas leges regias, veluti appendicem, adiecisse: Vnde ita forsitan legenda verba Pomponii: *Quae omnes conscriptae exstant in libro sexto C. Papisii.* Bynkersh. *Praetermissa ad l. 2. D. de O. I.* p. 17.

(b) *Papisii* olim dicti, qui postea *Papirii*, Cicero Lib. IX. *Epist. ad famil.* 21. Primus Appius Claudius, (sive Coecus, sive Centummanus, sive Crassus,) circa annum V. C. cccv. literarum R. reperit, ex eoque tempore dici coepit, *Papirius, Furius, Valerius* pro *Papisio Fusio, Valesio*, l. 2. §. 36. *D. orig. iur.* et ibi Bynkershoeck in *Praetermissis*. Petr. Faber *Semestr. I.* 11. pag. 52.

(c) Fragmentum bene longum e iure Papiriano exstat apud

hinc renatis literis de colligendis legibus regiis cogitarunt Valentinus Forsterus in *historia iuris Romani, Lib. 1. Cap. VI. et sequ.* Fulvius Ursinus, Ant. Augustinus, et Iustus Lipsius *de legibus regiis et decemviralibus.* Pardulphus Prateus *in iuris prudentia veteris Draconis et Solonis, cum Romano iure legum regiarum et decemviralium collata. Lugd. MDLIX. 8.* itemque Franc. Modius, Steph. Vin. Pighius, Ant. Syluius, et qui reliquis omnibus palmam praeripuit, Paulus Merula *de legibus Romanorum, Capite II. et sequentibus.* Romuli leges singulari opusculo collegit exposuitque Franc. Balduinus (*d*), quod in *Iurispr. Rom. et Attic. Tom. I. p. 15.* cum aliis Balduini operibus relatum est.

III. Eiectis regibus, leges quoque eorundem exoleuisse (*e*), et ius maxime incertum esse co-

III. Leges
XII. Tabularum.

A 2

pisse,

apud Macrob. *Saturn. III, 11.* Quamvis, cum illud non tam legum, quam commentarii, faciem prae se ferat, magis Grano Flacco, quam Papirio, videatur tribuendum. Forfan etiam huc pertinet *l. 2. D. de mot. infer.*

(*d*) Secutus est Balduinus tabulam Capitolinam, cuius apographum à Io. Barth. Marliano acceperat. Sed eam genuinam, certe antiquam haud esse, vel primo intuitu apparet. Vid. Eric. Maurit. *Dissert. de libris iur. comm. p. 92.* Ge. Schubart. *de Fatis iurisprud. Rom. Exerc. I, 38. p. 64.*

(*e*) Leges omnes regias semel simulque lege tribunicia abrogatas esse, vulgo colligunt ex *l. 2. §. 3. D. de orig. iur. Exactis regibus lege tribunicia, omnes leges hac exoleuerunt.* Ex hoc enim loco palam esse putant, lege quadam, vel a Iunio Bruto, Tribuno adhuc Celerum, lata, vel tributim a populo scita, leges regias omnes fuisse profcriptas. Vid. Ge. Eberlin. *de orig. iur.*

pisse, nouimus ex *l. 2. §. 3. D. de orig. iur.* Post diurnas patriciorum plebisque similtates, anno Urb. cond. CCCI. tres legati in Graeciam missi, qui variarum ciuitatum leges describerent. Postea decemviri, legum ferendarum causa creati, e moribus antiquis (*f*), et iure, quod legati attulerant, peregrino, et praecipue Attico (*g*), decem initio, ac paullo post duodecim tabulas

iur. IV. II. p. 22. Ge. Schubart. *de fat. iurispr. Rom. Exerc. II, 4. 118.* At leges lege non exolefcunt, sed abrogantur: neque Pomponius ait, leges regias lege illa tribunicia exoleuiffe, sed reges ipsos proscriptos esse lege tribunicia. Rittershus. *ad Leg. XII. Tab. p. 9.* Bynkersh. *ibid. p. 10.* Tribunicia vero illa lex non alia est, quam Iunia *de imperio consulari*, quippe quam Brutus, adhuc Tribunus Celerum, ad populum tulit. Exoleuerunt vero regiae leges defuetudine, et quidem omnes. Nam si quae in vfu manserant eae non tanquam leges regiae, sed tanquam mores patrii postliminio in vsum reuocati, obseruabantur, vt discimus ex Dionys. *Antiq. Rom. X. p. 627.*

(*f*) Multas leges regias in XII Tabulas migrasse, prolixè demonstrant Iac. Cuiac. *Obferuat. III, 40.* Guil. Maran. *ad l. 2. D. de orig. iur. p. 107. 120.* Et satis id constat exemplo patriae potestatis, de qua legem Romuli in quarta tabula extitisse, testatur Dionys. *Halic. Ant. Rom. II. p. 97.* qui etiam *Lib. X. p. 681.* obseruat, XII. Tabulas *ἐκ τε τῶν ἑλληνικῶν νόμων, καὶ παρὰ τῶν σφισιν αὐτοῖς ἀγράφων ἐθισμῶν, ium ex Graecorum legibus, ium ex suis moribus non scriptis*, esse compilatas. Sed et Liuius VI, I. post incensam a Gallis urbem etiam leges regias cum XII. Tabulis conquisitas fuisse, refert. Plura non addo de re certissima.

(*g*) Solonis leges adeo primas tulerunt, vt eas solas commemorent auctores quamplurimi. At Liu. III,

las compilarunt, quas deinde populus in comitiis centuriatis probauit. Liu. *Hist. III, 31. 34. 37. 57.* Dionys. Halicarn. *Antiqu. Rom. X. p. 676.* Et hae sunt illae tabulae, quas omnibus omnium philosophorum bibliothecis anteponeudas putabat Crassus apud Ciceron. *de Orat. I, 44.* Hae sunt illae tabulae, *fontes vniuersi publici priuatique iuris.* Liu. III, 34. Naeuis tamen eas non caruisse, ostendere conati sunt Phauorinus philosophus apud Gell. *Noct. Att. XX, 1. et Thomas. de naeuis iurisprud. Rom. Anteuu. I, 2. et Dissertat. annexa p. 158. seq.*

A 3

IV.

31. legatos illos iussos esse ait, *inclutas leges Solonis describere et aliarum Graeciae ciuitatum instituta, mores, iuraque noscere.* Et Gell. *Noct. Attic. XX. 1.* duodecim tabulas *inquisitis exploratisque multarum urbium legibus.* elegantiatque absoluta breuitate verborum scriptas testatur. Tacitus denique *Annal. III, 27.* a decemuiris *quae usquam egregia,* accita esse docet. De Lacedaemonum legibus vulgo hoc negant, ob testimonium Augustini *de Ciuit. Dei II, 16.* Sed illi opponi possent Symmachus *Epist. III, 11.* Ammian. Mercellin. *Hist. XVI, 5.* et Athenaeus *Deipnos. VI. p. 273.* qui Romanos *τὴν Λακεδαιμονίων πολιτείαν* elegisse, sanctiusque ipsis Lacedaemoniis custodiuisse, scripsit. Fortasse tutelam agnatorum legitimam Laconum moribus debent Romani. Sane enim Sparta eam tutelam usitatam fuisse, patet ex Herodot. I. 65. Nec dubitandum, quin ex Charondae quoque legibus nonnulla adoptarint decemuiri, imprimis legem de supplicio falsi testis, ceu ex Arist. *Polit. II, 10.* docet Rittershusius. Ab Aequis Faliscis quoque decemuiros iura fetialia et nonnulla XII. Tabularum supplementa accepisse putat Seruius *ad Virgil. Aen. VII. v. 695.* Sed errasse Seruium, palam est ex Liu. I, 32. vbi iura fetialia iam Ancum Marcium, defumta a Faliscis Romanis tradidisse, legimus.

IV. Earum
interitus et
restauratio.

IV. Quamuis vero hae leges decemvirales tabulis aeneis (b) inscriberentur a Romanis, Dionys. Halicarn. *Ant. Rom. X. p. 681.* et loco vrbis celeberrimo, id est, pro rostris, adfigerentur in perpetuam rei memoriam: (Liu. III, 57. Diodor. Sicul. *Biblioth. XII. p. 87.*) anno tamen V. C. CCCCLXVIII. Gallicano incendio vna eum ipsa vrbe perierunt, restitutae paullatim, conquisitis vndique fragmentis et apographis. Liu. VI, 1. Postea, vt eo minus esset eas amittendi periculum, non solum aeri incidebantur, in quo tertio seculo Christiano adhuc publice exstabant teste Cypriano *Epist. II, 2.* verum etiam pueris ipsis ab incunabilis ediscendae proponebantur (i). Cicero *de legib. II, 4. et 21.* Verumtamen ne sic quidem aetatem tulit nobilissimum illud legum decemviralium corpus, quod

(b) Pomponius l. 2. §. 4. *D. de orig. iur.* meminit tabularum *eborearum*, vel, vt alii legere malunt, *roborearum*, quod sane conuenientius videtur priscae Romanorum paupertati. Sed forsitan hae leges in tabulis *roboreis* primum promulgatae, ac dein, vbi populus eas iure sciuerat, vel eboreis, vel aeneis demum, inscriptae sunt. Sane Anci Marci adhuc temporibus leges inscribi consueuerunt tabulis quernis, notatque Dionysius Halicarn. *Lib. III. p. 108.* *καὶ λέγει γὰρ ἦλαί ἔπω πότε ἦσαν.* *Non dum enim tum erant columnae aereae,* Ge. Schubart, *de Fat. iurispr. Rom. Exercit. II, 35.*

(i) Pueris ediscendae erant hae tabulae, isque mos tamdiu durauit, donec lege Cornelia Praetores ex edictis perpetuis ius dicere iuberentur. Ex eo enim tempore iuris studia non a legibus XII. tabularum, sed a Praetoris edicto auspicabantur adolescentes, ceu Cicero *de legib. I, 6.* erudite ostendit. V. C. Iac. Perizonius *Diff. de Lege Vocun. p. 193.*

quod iam inde a seculo VI. periisse, non sine ratione existimamus (k).

V. Post renatas literas, collectis vndique fragmentis, restituere eas tentarunt Aymarus Riuallius, Io. Oldendorpius, Valentin. Forsterus, Ant. Augustinus, Fulu. Vrsinus, Franc. Balduinus, Ant. Contius, Franc. Hotomanus, Iac. Ræuardus, Cael. Calcagninus, Io. Crispinus, Steph. Vin. Pighius, Theod. Marcilius, Fr. Pithoeus, Dionys. Gothofredus, Iustus Lipsius, Paulus Merula, Conr. Rittershusius, Ludou. Charondas, Basinstochius, Pardulph. Prateius, Hadr. Turnebus, Iul. Pacius, Car. Sigonius, Ant. Clarus Syluius, Ricardus Vitus, Ian. Vincentius Grauius, et, qui reliquis omnibus videtur præferendus, Iac. Gothofredus, cuius absolutissima collectio existat in *quatuor fontibus iur. ciuilibus*, qui prodierunt *Genevæ MDXLIII. 4.*

v. Collectiones XII. Tabularum recentiores.

VI. Ex interpretatione XII. Tabularum LEGIS ACTIONES natae sunt, id est, certi exercendi iuris ritus, certaeque verborum conceptiones et formulae, quibus neglectis, susceptum quoduis ciuile negotium irritum habebatur. Quamuis enim actus legitimi nonnunquam in sensu latiore acciperentur pro omnibus actionibus, quae coram magistratu explicabantur, adeo, vt et lictores *lege agere* dicerentur: Schulting.

VI. Legis actiones earumque formulae et facti.

A 4

iurispr.

(k) Rittershusius *ad XII. Tab. p. 13.* tabulas has periisse putat sub irruptionem Gothorum. At seculo adhuc Iustiniani integri exstiterunt Commentarii Cuij, quibus integrum XII. tabularum textum interitum fuisse, ex fragmentis, quae in digestis passim existant, satis intelligitur.

Iurispr. anteiust. p. 85. 602. seq. strictius tamen hic vocem accipimus partim pro formulis actionum partim pro actibus voluntariae iurisdictionis, sollenniter explicandis, partim pro actibus sollenniter, non tamen in iure, peragendis. Hinc ACTIONES LEGIS sunt manumissio, emancipatio, in iure cessio, adoptio, et similes; ACTVS LEGITIMI, tutoris datio, mancipatio, hereditatis aditio et repudiatio, alique plures. Horum omnium proprium erat: I. Vt vel in iure, vel certe sollenniter (1), fierent. II. Vt nec diem, nec conditionem, admitterent. III. Vt vno actu fierent, et iterari nequirent. IV. Vt per procuratorem explicari non possent. Ian. Vinc. Graulina *de XII. Tab. LXXX. p. 442.* Briffon. *Antiq. Rom. III, 20. p. 76.* Pet. Faber. *Semestr. II, 23. 24. et ad L. 77. D. de reg. iur. p. 344. seq.* Iac. Ræuard. *de Auctorit. prudent. II. p. 952. seq.* Accedebant Fasti, seu consignationes dierum fastorum, nefastorum, intercisorum, quibus lege agere vel licebat, vel plane non, vel ex parte tantum licebat. Harum rerum omnium notitia initio penes solos patricos, et pontifices potissimum, erat, qui tanquam oracula addibantur a populo: neque e re sua hi esse putabant, eas formulas et fastos euulgari. Cicero *de Orat. I, 41.* et *pro Muraena XI.* Quintilian. *Inst. Orat. III, 8.* Pomponius *l. 2. §. 6. D. de orig. iur.*

VII.

(1) Omnes actiones legis et actus legitimos in iure factos putat Graulina, *l. c.* sed id falsum de hereditatis aditione, reputatione, aliisque actibus legitimis, qui et extra ius recte explicabantur. Sollenniter tamen omnes fieri debebant.

VII. Egregiam ergo plebi operam nauabat C. N. FLAVIUS, qui arcanas istas formulas, et fastos potifícios (*m*), ab Appio Claudio (*n*) in librum collectos, anno circiter CCCXL. primus euulgauit. Vnde natum IVS FLAVIANVM, de quo Pompon. *l. 2. §. 7. D. de orig. iur.* Cicero *de Orat. I, 41. pro Mur. XI. et ad Attic. Epist. VI, 1. Liu. IX, 46. Plin. Hist. Nat. XXXIII, 1. Gell. Noct. Att. VI, 9. Valer. Max. II, 5. 2.* Addunt Pomponius, et Plinius, Flauium eo beneficio aedilitatem a plebe meruisse. Sed constat ex Valerio Maximo, eum iam tum, cum ista patriciorum arcana euulgaret, aedilem fuisse, et deinde praetorem factum, idque vel inde colligas, quod ipse Pomponius fastos illos *populo traditos*, id est, uti ego ex Liuio IX, 46. interpretor, *in albo (o) propositos*, refert.

VII. Collectio earum in iure Flauiano.

VIII. Quanto gratius hoc plebi fuit officium: tanto minus illud placuit patribus, qui nouas subinde excogitarunt formulas, easque ne in vulgus manarent, occultioribus quibusdam notis consignarunt. Eas vero denuo

VIII. Et ius Aelianum.

A 5 euul-

(*m*) Solos fastos a Flauio cum plebe communicatos dicit Cicero *pro Muraena XII*. Sed formulas addunt reliqui auctores, ut puta, Valerius Maximus, Liuuius, Gellius, Plinius, et ipse Cicero *Epist. ad Attic. VI, 1*. An hi facti sint eadem cum illis apud Gruterum *Inscript. p. CXXXIII*, nondum liquet.

(*n*) Non decemuiro illo, cen existimat Guido Panciroll. *Var. Lect. II, 2*. sed Appio Claudio Caeco, cuius scriba fuerat Flauius. *Plin. Hist. Nat. XXXIII, 1*. Cicero *de Orat. I, 41*. Bynkersh. *in Prae. rerum p. 46*.

(*o*) In albis aliquid proponere, non praetorum erat sed Praetorum aequè Aedilium.

euulgauit Sex. Aelius Q. F. P. N. Paetus Catus (p), anno circiter V. C. DLIII. vnde enatum IVS AELIANVM. l. 2. §. 7. *D. de orig. iur.* Cic. *pro Muraen.* XI. An hoc ius Aelianum idem sit cum S. Aelii Tripartitis, nondum expeditum est. Negant Bertrand. *de Iurispr.* II, 4. p. 171. Guil. Grot. *Vit. Iureconf.* I, 3. p. 17. Mihi tamen ea de re dubitandum vix videtur ob l. 2. §. 38. *D. de orig. iur.* ex qua patet, in Tripartitis illis praeter XII. tabulas earumque interpretationem, legis etiam actiones occurrisse. Vid. Beieri *Posit. ad tit. D. de orig. iur.* p. m. 10.

IX. Vtriusque interitus et restauratio.

IX. Vtramque collectionem fata nobis inuiderunt. Formulas tamen actionum antiquas stupenda plane industria collegit Barn. Briffon. libro *de formulis et sollennibus populi Romani verbis*, edito *Francof.* MDXCII. 4. quo tamen non has tantum, sed et alias, sacras, militares, forenses familiaresque formulas complexus est. Fastorum exemplum non vnum exstat in antiquis marmoribus, ex quibus quaedam aeterno inscriptionum operi inseruit Gruter. p. CXXXIII, et cum Petri Ciacconii aliorumque explanationibus recudenda curauit Io. Ge. Graeuus *The-saur. Antiq. Rom. Tom. VIII.* Veterum denique nota-

(p) Sextum hunc Aelium ob iurisprudentiam mirifice col-
laudant Cicero in *Bruto* XX. et *de legib.* II, 23. Plin *Hist.*
Nat. XXXIII, I I. et Ennius apud Cicer. *de Orat.* I, 45.
cui vocatur.

Egregie cordatus homo, Catus Aelii'
Sextus.

Conf. l. i. pr. C. de comm. seru. manum. De gente Aelia
egregie differit Henr. Noris. *Cenotaph. Pisan. Dissert.*
III, 9. p. 419.

notarum iuridicarum specimina post Valerium Probum, Petrum Diaconum et Mangonem dedit Io. Nicolai in libro *de siglis veterum*, qui prodiit *Lugd. Batau. MDCCVI, 4.*

X. Ab iis temporibus multae subinde leges, multa quoque plebiscita, multa edicta praetorum atque aedilium prodierunt, quibus acceperunt varia responsa prudentum, et sub Imperatoribus senatusconsulta quam plurima, Edicta perpetua et Imperatorum rescripta, adeo, ut in magnum *aliarum super alias cumularum legum cumulum* excresceret Romana iurisprudentia. Liu. III, 34. Romanarum legum Senatusque consultorum historiam plures dederunt, in quibus eminent Paulus Manutius, Anton. Augustinus, Paulus Merula, Franc. Hotomanus, Ianus Vincent. Graulina: sed hi omnes tamen in tanta messe haud leue aliis reliquerunt spicilegium.

XI. In tanta legum Romanarum farragine haud pauci de vniuersali quadam iuris Romani collectione cogitare coeperunt. Agitauerat hoc consilium Cicero (*q*), cuius integrum ea de

(*q*) Ciceronem non fuisse in Romana iurisprudentia hospitem, vel scripta illius demonstrant. Q. Scaeuolae Auguri se operam dedisse, testatur ipse in *Bruto: Cap. LXXXIX.* quamuis postea, eo mortuo et Q. Mucium Scaeuolam, pontificem, aliquandiu audierit. Idem *de Leg. I, 4.* Et in *orat. pro Muraena Cap. XIII.* minatur, se, si sibi homini occupato stomachum mouerint, triduo iureconsultum professurum. Vnde et inter iureconsultos Ciceroni locum dedit Guil. Grot. *Vit. Iureconsult. I, 9. p. 61.* Sed an magnus in hac arte fuerit, adhuc sub iudice lis est. Vid. Schulting. *Orat. de iurispr. Ciceronis et Bynkersh. Praeterm. ad l. 2, §. 38. D. de O. I. p. 85. seq.*

de re librum laudat A. Gellius *Noct. Attic. l. 22.* Quintilian. *Inst. Orat. XII, 3.* Ipse quoque luculentam illius operis *συναγχαφία* sub Crassi persona dederat libro *de Oratore I, 42.* Sed in spongiam incubuit hic Ciceronis Ajax.

XII. Vt et Iul. Caesar, et Cn. Pompeius et Constantinus M.

XII. Idem labor, teste Suetonio *Iul. XLIV,* Iulium Caesarem; idem et iam antea Cn. Pompeium exercuit, si vera refert Isidorus *Hisp. Orig. V, 1.* et, qui hunc exscripsit, Gratianus *can. 2. distinct. 7.* Ita enim ibi Isidorus: *Leges autem redigere in libros primus consul Pompeius instituire voluit, sed non perseueravit, obtrectatorum metu. Deinde Caesar coepit id facere, sed ante interfectus est.* Sunt etiam, qui Constantinum M. de eiusmodi corpore iuris compilando cogitasse ferunt: Beier. *Posit. ad Digest. I, 1. 146.* sed nescio quo auctore. Id certius, horum omnium consilia fuisse irrita. In primis dolendum, Caesari, huic operi quam maxime pari, per fata non licuisse tam praeclare de Romana iurisprudencia mereri. Huber. *Auspic. domest. V. p. 177.*

XIII. Edicta Praetorum primum collecta ab Ofilio.

XIII. Edicta praetorum, Augusto imperante, diligenter colligere interpretarique coeperat C. Aulus Ofilius, Iureconsultus (*r*). *l. 2. §. 44. D. de orig. iur. l. 1. §. 2. D. ne quis eum qui in ius vocabitur.* Sed priuatim susceptum fuerat hoc opus, (quicquid hic obuertat Henr. Dodwell. *praelect. Cambden. p. 780.*) neque adeo publicam vnquam

(*r*) Iam ante C. Ofilium ad Edictum quaedam commentari coeperat Ser. Sulpicius, quae Bruto dedicarat, *l. 2. §. 44. D. de Orig. iur.* ex quo Sulpicii commentario fragmentum exilat. *l. 5. §. 1. D. de institor. actione.* Sed breuissimum hoc opus fuisse, obieruat Pomponius.

vnquam auctoritatem videtur obtinuisse. Menag. *Amoenit. Iur.* 447. et p. 98. Vnde eo facilius periit, postquam edictum Iuliani eius luminibus offecit.

XIV. Postea, Hadriano imperante, edicta praetorum in vnum codicem coaluere, vel ex multis potius edictum vnum, quod perpetuum vocabatur, concinnatum est, circa annum, vti Ant. Pagi in *diff. Hypat. P. II. p.* 209. et in *Crit. Baron. p.* 128. *Tom. I.* computat, cxxxii, Eutrop. *Hist. Rom. VIII, 9. L. 10. C. de condict. indebiti.* Auctor operis non Dedius Iulianus, Imperator, ceu ex loco quodam Aurelii Victoris, male intellecto, coniecerat Hugo Grot. *Florum spars. p.* 641. sed Saluius Iulianus, Didii proauus, teste Spartiano *vit. Iulian. I.* gente Africanus, Adrumeti natus, ceu colligitur ex Spartian. *Iulian. Cap. I.* et Grut. *Inscript. pag.* cccclviii. de quo iureconsulto praeter Bertrandum et Guil. Grotium legimerentur Aegid. Menag. *Amoenit. iur.* xxiv. et Henr. Doſwell. *Praelect. Cambden. VIII. p.* 333. Quamuis vero mirifice Iulianum collaudent veteres, adeo, vt eum vocent *virum sapientissimum, Nou. LXXIV. praef. pr. maximae existimationis virum, et disertissimum iuris peritum, l. 5. C. de bonis quae lib. iuris sublimissimum testem, summae auctoritatis hominem, et praetorii edicti ordinatorem, l. 10. C. de condict. indeb. summum auctorem iuris scientiae, l. 15. C. de vsufr. et habit et quae alia passim sunt eius elogia: non tamen naeuis caruisse, aiunt, hoc edictum. Quaedam enim addidit de suo, quae praetor nunquam edixerat*

XIV. Edictum perpetuum Saluii Iuliani.

rat l. 3. *D. de coni. cum emanc. lib.* Quaedam detraxit, veluti illa, quae de iureiurando, Vestalibus et Flamini Diali remittendo, edixerat praetor. Gell. *Noct. Attic. X, 15.* Quaedam correxit pro lubitu l. 1. §. 1. *D. commod. l. 1. D. quod met. causa.* Vid. Io. Bertrand. *de Iurisperit. l. 1. p. 31.* Guil. Grot. *de Vit. iureconf. II, 6. p. 127.* Iac. Gothofred. *Manual. Iur. III. p. 14. 15.* Nihilominus tamen facile eum excusat Hadriani Imp. auctoritas. Huius enim auspiciis scripsit. Et laudi sibi duxisse Hadrianum, si noua iura condidisse diceretur, quin ideo alterum Numam videri voluisse, ex Aurelio Victore Schotti praeclare obseruauit Henr. Dodwell. *Praelect. Cambden. VII. p. 294.* Ceterum tantam hic Iuliani labor auctoritatem in foro obtinuit, vt Diocletianus et Maximianus Imperatores illud *IVS PERPETVVM* appellare non dubitent, in l. 5. *C. de appellat.* vnde non mirum, quod ex eo tempore Furius Anthianus, Pomponius, Callistratus, Caius, Paullus, Ulpianus aliique clarissimi iureconfulti, certatim ad Edictum perpetuum commentati sint.

XV. Edictum prouinciale.

XV. Eodem exemplo etiam Edictum prouinciale, nescio (s) quis, concinnauit, quod tamen ab edicto perpetuo praetoris parum discrepasse, immo cum illo vnum idemque fuisse videtur. Caii sane fragmenta ex commentariis ad edictum prouinciale tantum non vbique fragmentis aliorum ex libris ad edictum praetoris

(s) Eidem ergo Hadriano non male hoc edictum prouinciale tribuit Henr. Dodwell. *ad Spartian. Had. II. p. 395.*

toris respondent: adeo ut Gothofredus in ordinando edicto perpetuo etiam Caii fragmentis uti non dubitarit. Immo Caius promiscue scripsit: AIT PROCONSVL, et: AIT PRAETOR. l. 4. D. quod quisquis iur. l. 1. §. 2. D. quod cuiusc. uniu. nom. Ceterum hanc utriusque edicti similitudinem nemo mirabitur; qui nouerit, iam olim proconsules urbana edicta in iure dicendo plerumque esse secutos. Cicero in *Verr. I, 46.* et *ad Attic. Epist. VI, 1.* Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. II, 12, p. 97.*

XVI. Perit utrumque edictum, magno iurisprudentiae incommodo. Fragmenta tamen, hinc inde in Digestis reliqua, tanquam fractas e naufragio tabulas, collegerunt Eguinarius Baro in libris *Manualium* (t), Guil. Ranchinus, cuius labor ad edictum prodiit Paris. MDXCVII. 8. recusus in Io. Herm. Schminckii *Syntax. critico. Marp. c1010 ccxvii. 4.* et, qui in digerendo ordinandoque potius, quam concinnando edicto, omnium superauit industriam, Iac. Gothofredus, cuius *Series librorum edicti perpetui inter quatuor fontes iuris civilis* exstat.

XVI. Restitutio edicti perpetui.

XVII. Ex quo Imperatores non amplius senatus consultis, sed epistolis, noua iura condere coeperant: intra ducentos annos in tantum

XVII. Codices, in quibus collectae constitutiones principum.

(t) Parum honorifice de hac Eguinarii collectione sentit Iac. Gothofr. in *Bibliorb. Iur. I, p. 46.* ubi obseruat auctorem saepe data opera fingere edicta, quae nunquam fuerint, multaque eo referre, quae ex iure consultorum placitis, moribus antiquis, nouisque principum institutis descendant.

tum cumulum haec excreuere Principum re-
scripta, vt etiam de iis in codices (u) colligen-
dis cogitarint Gregorius et Hermogenes, seu,
vt aliis vocantur, Gregorianus et Hermogenia-
nus, quorum codices, priuata auctoritate con-
cinnati, etiam a Iustiniano celebrantur. *Const.
summa reip. §. 1. de Iustin. cod. confirm.*

XVIII. Co-
dex Gregori-
anus.

XVIII. Ad GREGORIANVM codicem quod
attinet, eum recentiorem Hermogeniano credit
Guído Panciroll. *de claris legum Interpret. I, 65.
66.* qui et auctorem esse suspicatur Gregorium,
sub Valente et Gratiano praefectum annonae,
Africaeque procos. cuius mentio fit *l. 15. C.
Theod. de pistorib.* At Gregorio alii hunc co-
dicem tribuit Gothofredus *Proleg. Cod. Theod.
I, p. 183.* qui sub Constantino M. fuerit Prae-
fectus praetorio, cuiusque mentio fiat *l. 3. C.
Theod. de annon. et l. 2. C. Theod. de contrab. emt.*
vt et in *l. 1. C. de natural. lib.* Neutrum adeo cer-
tum atque expeditum videtur. Augustinus sane
ad Pollent. II, 8. auctorem non Gregorium vo-
cat, sed Gregorianum: eodemque modo eun-
dem laudat Auctor *collationis legum Mosaicarum
et Romanarum I, 8. 9. et 10. VI, 4. 5.* nisi vtro-
bique subintelligi oporteat *codicem.* Conti-
nuisse

(u) *Codices* cum semper vocentur huiusmodi Rescripto-
rum principalium collectiones, obseruandum, codices
olim a voluminibus distinctos, atque ita appellatos li-
bros, quadrata vel quadrangula forma. (nam et triangu-
laris formae mentio fit apud Dionys. Perieget. p. 36.)
quamuis alias vulgari vsu omnes libri vocentur codi-
ces. *l. 52 pr. D. de legat. 3. Salmaf. de mod. Vsur. X. p.
413. Schulting. ad Paull p. 377.*

nuisse vero hic codex videtur constitutiones ab Hadriano vsque ad Diocletianum et Maximianum (x).

XIX. Nec certior auctor est codicis HERMOGENIANI. Eugenio Hermogeniano, qui teste Baronio, sub Diocletiano, Praefectus praetorio fuit, atque ad senatum retulit de persecutione Christianorum, hanc compilationem tribuit Pancirolus *de clar. leg. Interpret. I, 65*. Alii Hermogenianum iureconsultum auctorem fuisse coniiciunt, quem sub Constantino M. eiusque liberis floruisse, erudite demonstrat Aeg. Menag. *Ameon. Jur. XI. Conf. Iac. Gothofred. Prolegom. Cod. Theod. I. p. 183. seq. Reines. Epist. ad Rupert. LXIX. p. 640*. Constitutiones vero principum, quorum Gregorianus rationem habuerat, in Hermogeniano etiam codice fuisse recte existimat Iac. Gothofredus, sed ita, ut in nonnullis inter se dissenserint. Quamvis vero de dissensu eorum res certa sit, neque dubitare nos ea de re patiatur Auctor *Collationis legum Mosaicarum et Rom. VI, 5*, qui vnam eandemque Diocletiani et Maximiani Constitutionem in utroque codice, *ast aliis tamen diebus et consulibus* lectam, testatur: nihil tamen est, quo

XIX. Codex Hermogenianus.

(x) In fragmentis sane codicis Gregoriani, quae etiamnum exstant, legimus constitutiones Antonini Caracallae et Seueri, Alexandri, Gordiani, Phillipporum, Valeriani et Gallieni, Cari et Nummeriani, immo et Diocletiani et Maximiani. Ex quo patet, errasse virum summum, Iac. Cuiacium, dum in *princ. paratit. Codicis Gregorianum* codicem in Valeriani et Gallieni Constitutionibus defuisse, scripsit.

Pars I.



quo certo demonstrares, Hermogenianum etiam ab Hadriani temporibus, vspicatum fuisse. In fragmentis sane illius non nisi Diocletiani et Maximiani Constitutiones occurrunt, si a tribus primis disceferis, quae Aurelio (y), nescio cui, tribuuntur. Sed, cum hanc inscriptionem sinceram haud esse vel primo intuitu pateat, nec ratio vlla appareat, cur post Gregorianum actum agere voluerit Hermogenianus: non praeter rem suspicari mihi videor, Codicem Hermogenianum non nisi supplementum aliquod Gregoriani fuisse, adeoque praeter ea, quae Gregorius omiserat, superiorum principum rescripta, Diocletiani solum et Maximiani, vt et eius successorum Constitutiones complexum esse, vsque ad quarti seculi Christiani initium (z).

XX.

(y) Nemo veterum Imperatorum solo Aurelii nomine dictus est. Vnde apparet, inscriptionem harum constitutionem minus esse sinceram. Sed certum est, has quoque constitutiones aut Diocletiani aut Maximiani esse. Nam prior C. AVRELIVS VALERIVS DIOCLETIANVS vocatur in marmoribus apud Gruterum *Inscript. p. CCLXXIX. et MLXXIX.* Posterior vero M. AVRELIVS VALERIVS MAXIMIANVS non solum in nummis, sed et inscriptionibus apud Gruterum *p. CLIX. et CCLXXIX.* Accedit, quod haec constitutionum fragmenta in subscriptione habeant Sirmium, ex qua Panoniae vrbe quam plurimas horum Imperatorum Constitutiones emanasse patet ex *l. 19. l. 24. l. 39. C. de transact.* aliisque plurimis. Vid. Schulzing. *Iurispr. Anteiust. p. 709.*

(z) In Codice Iustiniano constitutiones quaedam occurrunt, post Diocletianum scriptae, et anteriores tamen epocha

XX. Vterque collector profano deorum cultui addictus fuisse videtur Gothofredo. De Hermogeniano sane iureconsulto contra Io. Bertrandum id demonstrarunt Aegid. Menag. *Amoenit. Jur. civ. XI.* et Guil. Grot. *Vit. Iureconf. vet. II, 12. p. 178.* Nec a veritate abluere videtur sententia Gothofredi, hos Auctores ideo tantam operam in colligendis vetustiorum Principum epistolis posuisse existimantis, ut veteris iurisprudentiae anteconstantiniana, quae tum Constantini M. et successorum constitutionibus quotidie euertebatur, faciem posteritati contemplandam sisterent.

XX. Cur hi Imperatorum gentilianum constitutiones colligerint?

XXI. Perit vterque codex, praeter fragmenta, quae initio Iac. Sichardus edidit cum *Codice Theodosiano, Basileae MDXXVIII. fol.* deinde Petrus Gregorius Tholosanus *Lugduni MDLXVI.* et Iacobus Cuiacius, *Colon. Allobr. MDLXXXVI.* et eodem anno *Parisiis.* Nouissima obsolutissimaque edicto est Antonii Schultingii, cuius simul annotationibus illustrata vtriusque Codicis fragmenta prodierunt in *Iurisprudentia vetere anteiusliniana p. 683. seq. Lugd. Bat. MDCCXII, 4.*

XXI. Codicis vtriusque fragmenta.

B 2

XXII.

epocha Codicis Theodosiani, qualis est *l. ult. C. de tutor. et curat. qui satis non ded.* edita anno CCCVI. et *l. 1. C. de feriis* priore illa paullulum antiquior. Hac, cum ex Codice Theodosiano desumptae non sint, procul dubio ex alterutro horum codicum in corpus Iustinianicum migrarunt: Adeoque probabile est, Hermogenianum saltim Codicem pertigisse ad annum CCCVI. Schulting. *ibid.*

XXII. Codex
Theodosia-
nus,

XXII. Cum vero hi codices et priuatim collecti essent, et gentilium tantum Imperatorum rescripta complecterentur: Christianorum quoque imperatorum a Constantino M. vsque ad suam actatem constitutiones in vastum fatis opus collegit THEODOSIVS IVNIOR Imp. (a) circa ann. ccccxxxviii. Vnde etiam hunc Codicem inscriptum fuisse aiunt. *Nouas leges legitimorum Principum*. Quod tamen non adeo certum, cum et Iuliani τῆ παραβάτης constitutiones in hoc codice vtramque faciant paginam, et legitimi principes potius tyrannis opponendi, videantur. Iac. Gothofr. *Prolegom. ad Cod. Theod. I. et II.* Exstat etiamnum hic codex, qui post Sichardi, Tili, Cuiacii, Puteani, Pithoei et Sirmondi curas luculento commentario Iac. Gothofredi, illustratus prodit *Lugd. c1o1o clxviii. fol. tom. VI.*

XXIII. Nae-
ui huius
codicis.

XXIII. Nec tamen hic Theodosianus etiam codex sine naeuis est, quos accurate recenset Gothofred. *Proleg. II. p. 187*: Immo nec integer fatis ad nos peruenit. Nam CCCXX. circi-

(a) Cum hoc Theodosiano Codice caue confundas Alarici Gothorum Regis Codicem, Aniani opera compilatum ex particulis codicis Theodosiani, Gregoriani, Hermogeniani itemque ex institutionibus Cuii, et sententiis Paulli, hinc inde tamen interpolatis manu eiusdem Aniani. Nam et haec sarrago saepe Codicis Theodosiani vel legis Romanae nomine laudatur a medii aevi Scriptoribus. Oiselius *Proleg. ad Cuii Inst.* Iac. Sirmond. *Quaest. tripl. ad calcem Var. Opus. Tom. III.* Iac. Gothofred. *Proleg. Cod. Theodof. V.* Car. du Fresne *Glossar, Lat. voce Lex Romana Tom. II. p. 269.*

circiter constitutiones occurrunt in Codice Iustiniano, quas in Theodosiano frustra quaesiveris, quarumque indicem confecit Anton. Maruillius, editioni Gothofred. subiectum, sub titulo *Supplementi Codicis Theodosiani*, post Glossarium nomicum.

XXIV. Adiectae etiam huic Codicis Theodosiani editioni constitutiones *novellae* Theodosii, Valentiniani III. Marciani, Maiorani, Severi et Anthemii, a Pithoeo primum vulgatae *Parif. MDXXXI.* nec non a Conr. Rittershusio *Francof. MDCXV.*

XXIV. Novellae illi adiectae.

XXV. Cum ergo nemo ante haec tempora legibus compilatis fecisset operae pretium, iurisprudentiaque esset *ὡς ἀν' ἄχθος καμηλῶν πολλῶν*, *multorum camelorum onus*, ut lepide ait Euphrius in *Vit. Aedesi p. 32.* factum est, ut Iustinianus Imp. de nova uniuersi iuris collectione cogitare coeperit, laudandus sane hoc nomine, quod dignum persona imperioque suo ceperit consilium, felix quoque eo, quod opus a multis ante se frustra tentatum perfecit, sed a multis reprehensus, quod non prudentius hoc negotium conficiendum curauit, et in eo infelicissimus, quod in ea incidit tempora, quibus obgliscentem barbariem vix licebat orbi literario magnum quid atque excellens a iureconsultis eius aetatis expectare.

XXV. Collectio Iustiniani.

XXVI. Est hic princeps ancipitis admodum famae, et, si eius ingenium ex Procopii iudicio aestimes, laudibus, quas ei vulgus iureconsultorum admetitur, vix dignus. Fuisse enim dicitur

XXVI. Huius Imperatoris genius.

varius in omni genere vitae, cleri pariter ac Theodoraë, mulieris scenicæ, quam vxorem duxerat, ludibrium, ad euertendas pretio leges paratissimus, a prudentia denique legislatoria parum instructus. Sic eum describunt fide Procopii in *Anecdosis* a Nic. Alemanno vulgaris, cui tamen ab Eichelio, Gabriele Triuorio, Io. Petr. Ludeuigio aliisque acriter contradictum est.

XXVII. Ictorum, quorum opera vsus, indoles.

XXVII. Nec opera vsus dicitur virorum huic labori parium, sed *Dorothei*, *Theophili*, aliorumque huius commatis iureconsultorum, et maxime *Triboniani*, cuius indolem post Suidam in voce *Tribonianus*, viuis coloribus depinxit Franc. Hotomanus in *Antitriboniano. cap. XI, et XII, p. 146. seq.* Et sane cum huius viri imprudentia et sublesta fides ex ipsis operibus elucere videatur, (quamuis et quaedam ei perperam vitio vertantur,) mirati olim sumus, Io. Chiffletium *de vtriusque iuris architectis*, et Ianum Vincentium Grauinam *de ortu et progr. iur. ciuil. CXXXII. p. 159. seq.* tanto molimine eius causam egisse. At, re paullo accuratius expensa, non magis eo nomine indignamur Triboniano, quam Iuliano (§. XIV.) Nihil enim illum, nisi ex praescripto principis, egisse, satis constat.

XXVIII. Codex Iustinianus.

XXVIII. Huius ergo viri opera, auspiciisque Iustiniani, A. C. DXXXVIII. Id. Febr. primo loco prodiit. CODEX IVSTINIANEVUS, qui, quam parum diligenter fuerit a decemuiris huic operi praefectis collectus, vel inde patet, quod postea

postea vna litura videtur induendus (b). *Const.*
Haec quae fin. de nou. C. fac.

XXIX. Deinde XVII. viris datum negotium, XXIX. *Pan-*
 conficiendi PANDECTAS, vel DIGESTA (c), *dedtae.*
 in quae Tribonianus eiusque socii, quidquid ex
 veterum iurisconsultorum scriptis excerpserant.
 coniecerunt. Sed quam parum diligenter isto
 quoque labore defuncti sint, et breuitatem tem-
 poris ostendere, aiunt, (intra triennium enim
 tantum opus absoluerunt,) et parum commo-
 dam excerpandi methodum et ordinem reru n
 perturbatissimum, ne ad edicti quidem perpetui
 seriem per omnia redactum (vid. Bynkersh.
Obs. II, 25.) et tot denique emblemata, quae
 iam dudum Pandolphus Prateius *in iurispruden-*
tia media, et Iac. Wissenbachius *singulari tra-*
ctatu notarunt. Quamuis et hic aliquando in-
 iuria fiat Triboniano.

XXX. Tum porro secutae sunt INSTITU- XXX. *Insti-*
 TIONES, a Triboniano, Theophilo et Doro- *tutiones.*
 theo, (tantillum scilicet compendium a tribus
 viris) conscriptae. In iis et diuisionem librorum,
 et materiarum ordinem aliquando auctorum

B 4

dxgi-

(b) Interim laudatur prior iste Codex in Institutionibus,
 in quibus adeo ad multas Constitutiones remittitur,
 quae in nostro *Codice repetitae paelectionis* deside-
 rantur.

(c) *Digestorum* vocabulum iam olim iureconsultis fami-
 liarissimum fuit. Exstiterunt *Digesta* Iuliani Alpheni
 Vari, Iuuentii Celsi, Vlpri Marcelli, Ceruidii, Scae-
 uolae, Pauli. Ita vero vocati sunt libri, in quibus
 decisiones et disputationes iuris continerentur, ac ve-
 luti digestae essent. Bertrand. *de Iurisp. I, I.* Ita et pan-
 dectas scripsere Vlpianus et Modestinus.

ἀκρίβειαν arguere, contendunt. In plerisque tamen secuti sunt Caium (*d*), quem Imperator, vel potius Tribonianus, ideo *suum* vocat. Conf. de eo Caio Menag. *Amoenit. iur. p. 464.* Bertrand. *de Iurisperit. I, 29.* Guil. Grot. *Vit. Iureconf. II, 7.*

XXXI. Codex repetitae praelectionis.

XXXI. Sed ne hic quidem substitit Iustiniani diligentia. Cum enim prior ille Codex parum placeret, et in multis pandectae ab eo discreparent: denuo V. viris eius emendationem commendavit. Vnde prodiit *CODEX repetitae praelectionis*, promulgatus anno *DXXXIV, XVI. Kal. Dec.* qui etiamnum exstat.

XXXII. Nouellae.

XXXII. Denique Iustinianus, vt erat ad mutandum emendandumque ius procliuis, multa in superioribus libris promulgata ipse sustulit et mutavit, editis subinde nouis constitutionibus, quas *NOVELLAS* appellant. Nouem earum collectiones, vel, vt barbaramente vocantur, *collationes* a cuiusnam manu sint, parum constat (*e*). Nec omnes Iustiniani, sed quaedam etiam *Tiberii*

(*d*) Exstat etiamnum *CAII institutionum* siue epitome, siue ἀποσπασμάτιον, ab Aniano Wisigotho feruatum, atque hinc inde interpolatum, quod cum aliis eius fragmentis luculentoque commentario edidit Iac. Oiselius et suis; aliorumque adiectis notis, Ant. Schulting. *in iurisprud. vetere anteiustiniana. Lugd. Bat. 1717. 4.* Seculo tamen XI. integriores adhuc superfuisse Cuius institutiones, ex Cyni loco memorabili ostendit. Bynkersh. *de reb. manc. cap. 7. p. 107.*

(*e*) Ipsum enim Tribonianum, qui *Nouellarum* collectionem promisit §. 4. *Const. de Emend. Cod.* auctorem haud esse, vel ex stilo apparet. Nec magis de Berguntione liquet.

berii Imp. sunt, vti CLXI. CLXIII. CLXIV. quaedam etiam Iustini, vti CXXVII. CXL. CXLIV. CXLVIII. CXLIX. Id saltem vel ipsa versio ineptissima indicat, eas collationes e barbaris seculis esse. Vnde de Graeco restituendo textu iam dudum solliciti fuere eruditi (f). Nouellas CXLIV. Graece edidit Greg. Haloander *Norib. MDXXXI. fol.* alias XXIII, e codice Fuggeriano extulit Henr. Scrimgerus Scotus, quae prodire *ex Stephaniana MDLVIII. fol.* Exstant et versiones Latinae cultiore stilo adornatae partim a Iuliano (g), Patricio et Antecessore Constantinopolitano, partim a Gr. Haloandro, quarum haec cum corpore iuris Haloandrino, illa e bibliotheca Pithoeorum prodit *Bas. 1576. f. et Paris. 1689. f.*

XXXIII. AVTHENTICAE ex nouellis defumtae adiectaeque codici iam seculo VI. a Gregorio M. *Epist. XI, 54.* et Iuone Carnot. *Part. III. Cap. CLXXXV.* citantur. Vnde nec ab Irnerio solo sunt, vt vulgo creditur, nec a Iure-

XXXIII. Authenticae.

B § consul-

(f) Nec omnes tamen nouellae Graecae conceptae, Vid. *Nou. 9. 11. 17. 23. 33. 34. 35. 41. 62. 65. 114. 138. 143. 150.* quae manifesto Latine editae a Iustiniano.

(g) Ad hunc Iulianum pertinet epigramma Thacetis, quod exstat in *Antholog. IV, 1.*

Τῆτον ἰσλιανὸν νομικῆς Φάος, ἔιπον ἰδῶσα
 ῥώμη καὶ Βεροῦν, πάντα φύσις δύναται
 Roma et Berytus, conspecto hoc lumine legum,

Quantum, aiunt, virtus, ingeniumque potest!

Quod elogium ad Saluum Iulianum, Edicti perpetui conditorem, frustra retulerunt Alciat. *Disp. II, 27.* et Bertrand. *de Iuris perit. I, 1. p. 30.* merito hunc notati a Menagio *Amoen. Iur. Ciuil. XXIV.* et Guil. Grot. *viz. Iureconf. II, 6 p. 122.*

consultis Papiensibus, qui tamen forsitan eas au-
xerunt. Vid. Strauch. *Diss. Acad. IV. Cap. 1. 2.*
Beyer. *Posit. Pandect. I, 2. p. 30. seq.*

XXXIV. Vfus
iuris Iustini-
anei in occi-
dente.

XXXIV. Post Iustiniani tempora in occidente
non adeo magnum iuris Iustiniani vsu fuisse
comperio. *Wisigothi* Codicem Theodosianum
compilationi Iustinianae praeferebant. In *Ita-*
lia, quo Longobardorum arma non pertigerunt,
Codex tantum et *Nouellae* in aliquo pretio erant.
Postea a Francis permissum Italis, iure vel Lon-
gobardico vel Romano vel Francico uti. Demum
ab Irnerii temporibus renatum est studium iuris
ciuilis in scholis Italicis. De quibus omnibus
videndus Conring. *de origine iur. cap. XX. seq.*

XXXV. In
oriente ius
Iustinianum
primo Grae-
ce vsu.

XXXV. At in oriente non cessatum a com-
pilandi studio, siue quod Imperatores Iusti-
niani gloriae inuiderent, siue quod eius com-
pilationes, ob insignem prolixitatem, odissent.
Et primo quidem de graece vertendo corpore
iuris cogitatum, imperante Phoca. Institutio-
nibus ergo eam operam nauauit Theophilus,
ille ipse, qui institutiones cum Triboniano et
Dorotheo elaborauit. Eius enim paraphrasin
iam laudari a Thalelaeo ipse obseruat Fabrott.
in Praefat. ad Theoph. vid. Gundlingiana *Part. II.*
obs. II. Pandectis et Codici Thalelaeus, Theo-
dorus Hermopolita, Anatolius et Isidorus.
Vid. Suares. *Notit. Basilic. Tom. I. praemiss.* Vinc.
Grauina *de ortu et progr. iur. ciu. n. CXXXIIX,*
p. 163. seq. Theophili *paraphrasis* potius, quam
versio, etiamnum exstat, edita primum a Vi-
glio Zuichemo, insigni Frisiae ornamento Bas.

anno

anno MDXXXIV. deinde a Christiano Wechelio Paris. *eodem anno*, hinc a Iodoco Petro Neithardo anno MDXLIV, porro a Iac. Curtio anno 1545. Dionysio Gothofredo anno MDLXXXVII. et denique a Carolo Hannibale Fabrotto Paris. 1634. et 1657. Thalelaei opus pandectarum nondum adspexit lucem (b).

XXXVI. Peste Basilius Macedo nouam collectionem instituit, desiderans in Iustiniano corpore breuitatem, perspicuitatem, ordinemque concinnum, Cedren. *Annal. p. 568.* Leon. Imp. *prooem. ad Basilica.* Sed morte praeuentus, non nisi epitomen edidit codicis Iustiniani, quam *πρόχειρον τῶν νόμων* appellauit. Perit hoc opus praeter fragmenta quaedam de nuptiis Io. Leuncl. *Iur. Graeco Rom. Lib. II. p. 86.* aliudque apud Baron. *Ann. DCCCXXVI. n. XII.*

XXXVII. In labore illo Basilio, idem, qui in imperio, successit Leo, filius, insigni rerum scientia σοφῆ vel φιλοσόφῃ cognomen adeptus. Et is quidem edidit *Βασιλικὰ νομιμα*, vel *διατάξεις βασιλικὰς* ex pandectis et codice, omiffis tamen iureconsultorum et Imperatorum nominibus, compilata Suares *l. c.*

XXXVIII. Denique Constantinus Porphyrogennetus, frater Leonis nati minor, edidit repetitam *Βασιλικῶν* praelectionem, quae et *πρόχειρον μέγα*, vt et *τὸ πλάτος τῶν νόμων* nec non *τὸ πλάτος* absolute appellatur. Et haec ipsa sunt illa

XXXVI.
Deinde noua collecti-
tentata Basilio.

XXXVII.
Et Leone.

XXXVIII.
Nec non Constantino Porphyrogenneta.
Vnde natum opus *Βασιλικῶν.*

(b) Vidisse se tamen alicubi hanc versionem MS Ct. testatur Greg. Haloand. in *praefat. Nouellar.* Quemadmodum et codicem. Graecum vitum esse in Creta insula, tradit Sualienb. in proleg. Harmenop.

illa *Βασιλικά*, quorum libros XXVIII, XXIX, XXX, XLV, XLVI, XLVII, XLVIII, edidit Gentianus Heruetus, Paris. c10 I0 LVII. Librum LX, Jac. Cuiacius, utraque coniunctim sub titulo *Βασιλικῶν διατάξεων* Dionys. Gothofredus *Ηανου. 1606. fol.* Libr. XXXVIII, et XXXIX. ex Cuiacii schedis emisit Car. Labbaeus Paris. c10 I0 CIY. Integra *Βασιλικά* (i), Graeca et Latina, debemus Car. Annib. Fabrotto, quia ea publicavit *Paris. 1607. f. Tomis VII.*

XXXIX. Variarum epitomae inde confectae.

XXXIX. Succedere variae epitomae, quales sunt: I.) *πρόχειρον μικρόν* ab iisdem Imperatoribus confectum, quod et *ἐκλογῆς καὶ ἐπιδιορθώσεως* nomine venit (k). II.) Index *νομικῶν κατὰ στοιχεῖον* per alphabeti seriem digestus, a Io. Sambuco Pannonio Tarenti repertus et sub titulo *ἐκλογῆς βασιλικῆς* editus a Io. Leunclauio *Basil. 1576.* Auctor fertur Romanus Lacapenus. Vid. Cuiac. *Obs. XVIII, 37.* III.) Mich. Attalioetae,

(i) Libri tamen XIX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XLIII. XLIV. XLIX. et LIX. non sunt authentici, sed a Fabrotto ex Synopsi *Βασιλικῶν*, et Theodoro Hermopolita, Constant. Armenopuli et Cuiacii Commentariis utcumque compilati. Forfan etiamnum in bibliotheca quadam latitant. Ita ominabar secundam editionem cum pararem. Vatem me fuisse haud vanum, nuper demum intellexi Amstelodami ex V. A. Corn. a Bynkershoeck, qui se bonam horum partem a iuvene nobili, Parisiis redente, nactum referebat. Gratulamur seculo hunc thesaurum, maxime si obstetricias viri doctissimi manus experietur.

(k) Eius titulos priores XXVII I. exhibet Io. Leunclau. *Jur. Graeco Rom. Tom. II. p. 79.* Conf. Lambec. *Bibl. Vind. Lib. V. p. 162. et Lib. VI. p. 24. 25.*

liotae, iudicis et Procof. *πρόνημα* seu *πραγματικῆ* tempore Michaëlis Ducae compilata (l). IV.) Michaëlis Pfelli *synopsis*, qua ius compendiarium verbis politicis complexus est (m). V.) *πρόχειρον* Constantini Harmenopuli, qui circa annum *MDCCCXLV.* floruit (n) ex Basilicis contractum, et nuncupatum *ἐξάριθλον*. Ei non abfimile VI.) Antiochi Balsamonis *πρόχειρον*, et si qua sunt huius generis alia.

XL. Denique Turcae, capta Constantino- poli, et Graecorum imperio, et iuris Romani in oriente studio finem fecerunt, dubiumque est, an in Turcicis dicasteriis quaedam iuris Iustinianei reliquiae seruentur. Vid. Groenweg. *ad prooem. Instit. num. I.* Feltmann. *ad l. 2. §. 3. D. de orig. iur.* Pagenstech. *Sicilim. Manip. 2. p. 105.* Leonis certe nouellas hodie- num in Graecia non extra usum esse, patet ex Christ. Angeli *de statu eccl. Graecae p. 112. et 115.* et obseruauit id Bynkersh. *obs. IV, 1. p. 385.*

XL. Finis iuris iustini-
aneus in
Oriente.

XLI. At in occidente a seculo XII. magis magisque in academias et fora irrepere coepit ius Iustinianeum, cuius tot ex eo tempore prodierunt editiones, glossae, commentarii, paratitla, systemata, compendia, vt eorum mole et multitudine laboremus.

XLI. Eius incrementa in occiden-
te.

XLII.

(l) Edidit illud *πρόνημα* sub titulo *σύνοψις ὡσανεὶ συνόψεως* Io. Leunclau *Tom. II. p. 1.*

(m) Prodiit ea *synopsis* cum aliis quibusdam Mich. Pfelli *opusculis* cura Franc. Bosqueti *Paris. 1632. 8.*

(n) Editus est Harmenopulus Graece et Latine cum notis Io. Merceri et Dionysii Gothofredi *Gen. 1587. 4.*

XLII. Ratio
veterum
tractandi
ius civile.

XLII. Cum Iustinianus §. 3. huius prooemii et §. 2. sequentis tituli nonnulla quoque de docendae discendaeque iurisprudentiae ratione moneat: licebit et nobis ea de re ex antiquitatibus differere. Iuris scientiam olim in latenti habebant patrici (o), nec temere solebant quemquam, nisi sui ordinis, hisce sacris initiare. Cicero *de offic.* II, 19. *Cum multa praeclara maiorum, tum quod optime constituti iuris civilis summo semper in honore fuit cognitio atque interpretatio. Quam quidem ante hanc confusionem temporum in POSSESSIONE SVA PRINCIPES retinuerunt: nunc, ut honoris, ut omnis dignitatis gradus, sic huius scientiae, splendor delectus est.* Addi poterit eiusdem Ciceronis *Oratio pro Muraena XII.* et *de Oratore I, 41.* et videtur sane antiquissimis temporibus iurisprudentia veluti traditione quadam conseruata inter patricios, vsu magis, quam institutione, addisci consueuisse. Quod non difficile erat in tanta Romanorum legum paucitate.

XLIII. Me-
thodus eo-
rundem tra-
dendi iuris-
prudentiam.

XLIII. Primus veterum hanc consuetudinem migravit Tiberius Coruncanius, primus e plebe Pontifex Maximus, anno V. C. IO. Is enim odio patriciorum iuris cognitionem, quam alii in latenti habuerant, paullo amplius diuulgauit, et discentibus se dare coepit. l. 2.

§. 35.

(o) Hinc est quod iure consulti appellantur *principes civitatis*. Cuiac. *ad Pompon. L. 3. §. 35. D. de Orig. iur. p. 1188. maximeque viri*, Pompon. *d. l. 2. §. 35.* Hinc illa Mucii obiurgatio: *Turpe esse patricio et nobili, et causas orantibus, in quo versaretur, ignorare l. 2. §. 43. cod. Conf. G. Schubart. de Fatis Iurispr. Rom. Ex. I, 16. p. 28.*

§. 35. *D. de O. I.* Eius exemplum deinde secuti sunt alii, veluti Q. Mucius Scaeuola, C. Aquilius Gallus, L. Lucilius Balbus, T. Iuuentius, Q. Cornelius Maximus, et inprimis Seruius Sulpicius, quorum ex aedibus, tanquam ex equo Troiano, magna praestantissimorum iuriconsultorum frequentia prodiit. Cum vero hi omnes amplissimos in vrbe honores gesserint: facile est ad existimandum, eos non scholas aperuisse, aut leui didactro inuitatos, subsellia percussisse discipulis. Sed solebant, cum de iure consulentibus responderent admittere iuuenes, qui audirent, notarentque responsa, rationemque tradendi atque interpretandi iuris, adeoque vna opera et consulentibus, et discipulis satisfacere. Cicero in *Oratore ad Brut. XLI.* *Ius ciuile docere, semper pulchrum fuit, hominumque clarissimorum discipulis floruerunt domus.* Et paucis interiectis: *Alteros respondentes audire sat erat, vt ii qui docerent, nullum sibi ad eam rem tempus ipsi seponerent, sed eodem tempore et discipulis satisfacerent, et consulentibus.* Ac denique in *Bruto LXXXIX.* *Ego autem, iuris ciuilis studio, multum operae dabam Q. Scaeuolae, P. F. qui quanquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat.* Ex quibus patet, vsu magis atque exercitatione, quam doctrina, veteres ad tantam de iuri respondendi facultatem adspirasse.

XLIV. Sub Imperatoribus publica Romae schola floruit, iurisprudentiae etiam studiis consecrata, de qua infra dicemus *Lib. I. Tit.*

XLIV. Schola iuridica Romana.

XXV.

XXV.n. XX. seq. Decuerunt in ea schola iureconfulti vel Antecessores duo, tempore Theodosii iunioris *L.vn.C. Theod. de stud. lib. vrb. Rom. et Const.* Antea tamen eodem instituto, quo veteres erant vsi, iuuenes domi habuisse videntur Papinianus, de cuius discipulis Lamprid. *in Alex. Sev. LXVIII.* quamuis in quibusdam codicibus multi ab illis temporibus remotiores immisceantur, Vlpianus, aliique iureconfulti egregii quorum in digestis fragmenta exstant.

XLV. Methodus docendi in scholis iuridicis ante et post Iulianum.

XLV. Denique a tertio seculo tres praecipue scholae floruerunt iuridicae, ROMAE, CONSTANTINOPOLI, et BERYTI, hoc privilegio munitae, vt non liceret alibi cuiquam ius docere, ceu infra docuimus *Lib. I. Tit. XXV. n. XX. seq.* In his scholis ea seruata methodus, vt primo anno non nisi ad limina legitimae scientiae admitterentur, dicti ideo DVPPONDII, quasi nullius predii homines (*p*). Secundo anno Edicti audiebant interpretationem, vnde et EDICTALES cognominati. Tertio anno ad praelectiones in priores octo libros Responsorum Papiniani admittebantur, atque inde dicebantur PAPINIANISTAE, quo nomine adeo sibi placebant iurium studiosi, vt diem, quo eius doctrina primum fuerant initiati, festum sullen-

(*p*) Seneca *Controu. X, I. Ita ne peribunt decem iuuenes propter dupondios duos?* Hieronym. *ad Heluid. p. 12. Tom. VI. Op. Quis te, oro, dupondio suppudabat?* Et Petron. *p. 13. dupondium* pro pretio vilissimo accipit, vbi addendae virorum doctorum obseruationes et Cuiac. *Obs. XII, 40.* Nemo non hic deprehendet speciem quandam monstri illius scholastici, quod recentiore aetate Penalismi nomine academias inuaserat.

sollennemque haberent. Bertrand. *de Iurisperit.* I. 2. p. 38. Quarto anno Responſa Pauli in manibus erant, eaque tunc ipſi recitabant, et tum dicebantur λύται, quaſi ſoluendis quaefſtionibus idonei, vel vt ait Iuuenalis *Satyr. VIII.* *Qui iuris nodos legumque aenigmata ſolunt.* Vnde errant, qui λύτας vertunt ſolutos: ſic enim dici debuiffent λύτοι, vt recte obſeruat Turneb. *Aduerſ. VIII, 19.* Quinto anno, quo Conſtitutiones addebant, προλύται dicti. Sed mutauit nonnulla Iuſtinianus, qui primo anno Inſtitutiones ſuas et τὰ πρῶτα legum praelegi, nouitioſque IVSTINIANEOS nouos dici voluit: ſecundo quosdam digeſtorum libros, quos ipſe praefcribit, per viciffitudinem interpretandos, audiebant, ſeruato EDICTALIVN cognomine. Tertio anno PAPINIANIſTAS vocari conſeſſit, ſed audire eos iuſſit libros digeſtorum XX, et XXI. Reliquos digeſtorum libros adiciebant anno quarto, quo λύται dicti, quemadmodum quinto codicem iungebant, et προλύτων nomen eo ipſo merebantur. Vid. Iuſtin. *Orat. ad Anteceſſores* §. 2. 3. 4. 5. et ibi interpretes.

LIB. I. TIT. I.

DE

IVSTITIA ET IVRE.

Titulo hoc inſtitutionum non inculcantur leges quaedam Romanae, ſed principia generalia, et quae ad ideam iuſtitiae et iuris concipiendam faciunt. Cum ergo in definitione IVSTITIAE et IVRIS a recentioris

Pars I.

C

ſcho-

scholae placitis se procul seiunxerint veteres iuriconsulti: ratio eius rei ex antiquitate erit reddenda.

I. Iuriconsulti operam dabant philosophiae.

I. Iuriconsulti, quod inter omnes constat, plerique cum legum studio philosophiam olim coniungere, ex eiusque principiis leges sunt interpretati. Vnde recte Cicero *de Legib. I, 5. iurisprudentiam non a praetoris edicto, ut plerique sua aetate fecerint, neque e XII. Tab. sed penitus ex intima PHILOSOPHIA petendam*, putabat.

II. Maxime Stoicae.

II. Quamuis vero non eidem omnes factae nomen dederint, et Epicureae imprimis fuisse dicantur C. TREBATIVS TESTA (a), (*Cic. VII. Epist. 12. Gassend. de vit. et morib. Epic. Tom. V. op. p. 188. Aegid. Menag. Amoenit. iur. p. 80.*) ALFEN. VARVS, (*l. 76. ff. de iudic. et ibi interpretes*) et alii: plerique tamen, veluti Scaeuola, Tubero, Rutilius, teste Athenaeo, *Deipnos. VI, 21. p. 274.* stoicam philosophiam maximi habebant, vel quia Zeno minime, ut aliae sectae philosophorum, a rebus gerendis auocabat, (*Diog. Laert. VII, 122. et 130.*) aequae sectae turbatos et negotiorum appetentes facere videbatur; *Tacit. Annal. XIV, 57.* vel quia isti sapientes philosophiam practicam feliciter, quam alii, excoluerant. Et hinc stoica philosophia *summa dicitur sapientia. l. 2. D. de leg. (b).* Multis id

(a) Dissentit Schilter. *Manud. phil. mor. ad iurispr. I, 6. p. 7.* Sed Trebatius initio stoicus, postea Epicureus factus videtur. *Cic. Epist. VII 12.*

(b) Fallitur ergo Paganin. *Gaudent. de ortu et progr. philos. ap. Rom. cap. XLIII. p. 106.* qui plerosque Ictos cum Aristotele potius et Platone sensisse, putat. *Conf. of. Hal. VII. p. 252.*

id demonstrarunt Schilterus in *Manuductione philosoph. moral. ad iurisprud. Cap. I. Vinc. Grauiua de ortu et progressu iur. ciuil. num. XLIV. p. 80. Em. Merrill. Obs. I, 8. et singulari ac pererudita oratione V. C. Euerardus Otto.*

III. Hinc frequentissimae in iure nostro I. *deriuationes nominum* fatis contortae, quales stoicis erant sollennes e. g. testamentum quasi testatio mentis *pr. Inst. de Testam. ord.* mutuum, quasi quod ex meo fit tuum. *l. 2. §. 2. D. de reb. cred.* peculium, quasi pusilla pecunia: Siue pusillum patrimonium, *l. 5. §. 3. D. de pecul.* diuortium, quasi diuersitas mentium, qua in diuersas partes itur: *l. 2. pr. D. de diuort.* agnati, quasi a patre cognati: *l. 7. D. de legit. tut.* Vid. Cuiac. *Obs. XI, 37.* Em. Merrill. *Obs. I, 8. seq.* Frequentissimae II. *definitiones* mere stoicae, qualis est etiam in hoc titulo *definitio iuris naturae.* Frequentissimae III. *diuisiones stoicae*, qualem esse illam rerum corporaliū et incorporaliū, ex secti Empirici VII. *adu. Mathem. et Senec. Epist. LXIII.* obseruauit Oiselius *ad Caii Inst. II, 1, 1. p. m. 73.* Frequentissimae denique IV. *decisiones* ex interioribus philosophiae stoicae principiis deriuatae, quales collegerunt Vinc. Grauiua *l. c.* Schilterus *l. c.* et V. C. Euerardus Otto *de philos. Stoica iurec.*

IV. Quamuis vero philosophiae amantiſſimi essent Romani Iureconsulti: semper tamen inter eos reliquosque philosophos ἀπράντες, imprimis Epicureos, quaedam intercessisse videtur aemulatio. Eoque pertinere arbitramur verbosam illam Vlpiani declamationem de *vera*

III. Vnde multa in iure Stoica.

IV. Aemulatio inter iureconsultos et philosophos.

non fucata iureconsultorum philosophia. l. 1. §. 1. D. de instit. et iure, non absimilis illis, quae Horatius Lib. I. Epist. I. canit: Nunc agilis fio, et mersos CIVILIBVS VNDIS, Virtutis verae custos rigidusque sacerdos. Conf. Cic. Epist. III, 9. et 10. vbi Epicuri philosophia ἀπραγτος ASTVTA vocatur. Locum praeclare explicari memini in Gundlingianis.

V. Cur iureconsulti multa philosophorum propria iuri applicarint.

V. Et ista quidem aemulatione factum est, vt iureconsulti ea, quae philosophorum erant propria, ad se raperent, e. g. vt definitionem philosophiae iure suo applicarent: §. 1. *Inst. b. t.* vt loco iuridicae definitionis iustitiae darent mere moralem et philosophicam: et denique ipsa illa iuris praecepta §. 3. *Inst. b. t.* ex philosophia morali stoicorum in ius transferrent. Conf. Schilter *l. c.* Christ. Thomas. *Annot. ad Inst. b. t.* Ger. Noodt *Iul. Paul. X. p. 365.* et quae nos obseruauimus in *Elem. Iuris ciuil. b. t.*

TIT. II.

DE

IVRE NAT. GENT. ET CIVILI.

Agitur hoc titulo de *diuersis speciebus iuris.* Cum vero iam superiore titulo, cur hanc potissimum de iure naturae et gentium sibi ideam formarint, abunde explicatum sit: iam ex antiquitate varia iuris ciuilis genera sunt explicanda, docendumque quid **LEX** fuerit, quid **PLEBISCITVM**, quid **PRAETORES** et **AEDILES**; quid item **IVRECONSULTI** ad locupletandum ius Romanum contulerint, quid

quid denique IMPERATORES in' legibus Romanis, earumque ferendarum ratione immutariint.

I. LEX Romanis, libera adhuc republica, vocabatur, quam populus Romanus, superiore magistratu rogante, constituebat (a). §. 4. *Inst. b. t.* Eiusmodi magistratus superiores, quibus cum populo agendi ius esset, praeter Reges, Interreges, Dictatores, Consules, erant Tribuni militum cons. potestate, Censores, Praetores. Hinc non ignotae leges *Regiae*; non ignota lex Aemilia de censura a *Dictatore*; lex Aelia Sentia, a *Coss.* lex Pinaria de ambitu a *Tribuno mil. cos. pot.* lex Caecilia de fullonibus a *censoribus* (b) (Plin. *Hist. Nat. XXXV, 17.*) lex Aurelia iudiciaria a *Praetore* (Epit. Liu. CXVII.) latae.

I. Leges proprie sic dictae a quibus latae?

II. Ab his ergo magistratibus, lex, si qua opus videretur, primo domi *scribenda* erat. Quod fiebat adhibitis viris prudentibus et necessariis, cum quibus expendere solebant, an lex esset e republica, maiorumque moribus conueniret. Vnde plerumque additae formulae: SI QUID IVS NON FVIT ROGARI, EIVS HAC LEGE NIHIL ESSET ROGA-

II. Earum scriptio.

C 3

TVM,

(a) Libera ergo republica ad legislationem omnes concurrebant, et hinc patet ratio, cur lex *communis reipublicae sponso* vocetur Vlpiano l. 1. D. de *Legib.*

(b) Alioquin non negatur, saepe etiam *leges censorias* appellari Censorum edicta, quibus conditiones locationum publicarum proponebantur. Gell. XV, 11. Vid. Gundlingiana *Parr. XVI. Obs. I. § XXVI. p. 61.*

TVM, itemque: SI QUID CONTRA ALIAS LEGES EIVS LEGIS ERGO LATVM ESSET, VT EI, QVI EAM LEGEM ROGASSET, IMPVNE ESSET. Cic. *ad Attic.* III. 23. Conf. Briffon. *de Form.* II. p. 138.

III. Commun-
nicatio cum
senatu.

III. Scripta lex *communicabatur cum senatu*, sine cuius auctoritate cum populo agere nefas habebatur. Liu. I, 17. Plutarch, *in Coriolan.* p. 227. Cum vero Senatus nonnunquam difficilior esset in permittendis comitiis, lege Maenia cautum est, *vti, rogatore comitiorum iusto postulante, patres ante inita suffragia fierent auctores eius rei, quam populus iussurus esset.* Cic. *in Bruto c. XIV.* In eandem sententiam legem tulit Q. Publilius Dictator apud Liu. VIII, 12. Et postea cum iste mos defuetudine obumbraretur illum denuo in usum reuocavit L. Cornelius Sulla. Vid. Ap- pian. *de bello ciuil.* I. p. 650.

IV. Promul-
gatio.

IV. Hinc porro legis sequebatur *promulgatio*. Publice enim lex proponebatur, vt quilibet e populo eam legere, expendere, et, ferendane esset, an antiquanda, secum statuere posset. Spatium promulgationis erat *trinundinum*, vt lex noua etiam a rustica plebe, quae singulis nundinis rure in urbem veniebat, legi ponderarique posset. Cic. *pro domo cap. XVI*, et *Phil. V. cap. 11*. Manut. *de Leg.* p. 839. Addebatur edictum, vt populus in proximum triundinum in campo Martio conueniret. Gell. *Noct. Attic.* XIII, 14. Cum tamen ipsis nundinis cum populo agere haud liceret: comitia plerumque in sequentem diem indicebantur. Macrob. *Saturn.* I, 16. Et his demum
omni-

omnibus obseruatis, magistratus quis POPV-
LVM IVRE ROGASSE, POPVLVSQVE IVRE
SCIVISSE dicebatur. Cic. *Philipp. I, 10.* (c).

V. Lex ipsa ferebatur in *comitiis*, olim in *cu-
riatis*, postea et *centuriatis*, et *tributis*, ad quae
vbi populus in *campum Martium* vel in *comi-
tium* ad rostra confluxisset, praeco primum le-
gem *recitabat*; dein is plerumque, qui rogatu-
rus erat, eandem *suadebat*, quod et alii faciebant
nonnunquam. Nec deerant, qui *dissuaderent*,
id quod cum tribuni plebis, tum etiam priuati,
si quibus a magistratu concio dabatur, facere
poterant. Liu. *XLV, 21.* Nonnunquam et ii
ipsi, qui legem rogaturi erant, eam dissuade-
bant, si forte non ex sua, sed senatus sententia,
legem ferrent. Exemplum Pisonis consulis re-
fert Cic. *Epist. ad Att. I, 4.* cui cum fructu addes,
quae nos nuper differuimus in *Comment. ad Leg.
Iul. et Papiam Lib. I. c. 4. p. 84.*

V. Recitatio
per praeco-
nem nec
non suasio
et dissaasio.

VI. Auditis orationibus, praesentibusque sa-
cerdotibus et diuina exponentibus, (Dionys. X.
p. 68r.) *sitella* vel *urna* deferebatur, in quam
coniiciebantur centuriarum nomina. Deinde
fortibus aequatis fiebat *sortitio*, quaeque prima
centuria, quae secunda, quae tertia de *sitella*
exiisset, ea eundem in suffragiis locum atque
ordinem obtinebat (d). Quae prima sorte exie-

VI. Auspicia
et sortitio.

C 4 rat

(c) Neque tamen promulgatio sola faciebat legem, sed
populi suffragium. Sola lex Didia Licinia tanto stu-
dio patrum lata est, vt Scto caueretur, vt eam pro-
mulgatam omnes seruarent. Macrob. II, 13.

(d) Sequiorum temporum est haec *sortitio*. Sub Tul-
lio enim Rege primae ad suffragium vocabantur
mani-

rat prima ferebat suffragia, atque inde PRAEROGATIVA, proxime sequentes PRIMO VOCATAE vocabantur. Reliquae IVRE VOCATAE dicebantur Ascon. Paedian. *in Cic. diuinat. p. m. 1819.* Liu. X, 22. XXVII, 6. Exemplum est in lege Thoria apud Sigon. *de ant. iure. Ital. II, 2. p. 638.*

VII. Intercessio facta a tribunis, auguribus, coss.

VII. Interim licebat iis, quorum intererat, legi *intercedere*. Faciebant id Tribuni plebis solenni illo VETO. Liu. VII, 17. XXVII, 6. XLV, 21. Faciebant et Consules, vel intercedendo, Dionys. Hal. VIII. p. 557. vel comitiales dies eximendo, vel supplicationes decernendo, vel ferias Latinas indicendo. Cic. *ad Quint. Fratr. II. Ep. 7.* Faciebant idem et *augures et magistratus*, quorum erat, de coelo seruare. Qui si quidquam aduersi visum auditumque obnunciarent (*e*), comitia impediabantur, reque infecta discedebatur.

VIII.

maximi census centuriae, in prima et secunda classe descriptae, quae, quia reliquas numero superabant, plerumque rem conficiebant, vt adeo raro vocarentur reliquae. Dionys. Hal. *Aniq. Rom. VI. p. 224. seq. VII. p. 460* Liu. I, 43.

(*e*) E. g. si fulsisset de coelo, si tonasset, si bubo volasset, a sinistra, si aues triste quid portendissent, si quis morbo comitali repente correptus concidisset: de quo morbo Sammonicus Serenus *Cap. LVI.*

Et subiri species morbi, cui nomen ab illo est,

Quod fieri nobis suffragia iusta recusar.

Saepe etenim, membris acri languore caducis,

Concilium populi labes horrendo diremit.

Longa enim est fabula, de qua Paul. Manut. *de Legib. p. 848.* Paul. Merula *de comit. III. p. 17. seq.* Struu. *Antiq.*

VIII. Si nihil finistri obnunciabatur: ipsa iam fiebat *rogatio*, sollenni formula: VELITIS IVBEATIS QVIRITES HOC ITA VTI DIXI ITA VOS QVIRITES ROGO. Cic. *pro domo XVIII. seq. (f)*. Tum addebatur: SI VOBIS VIDETVR, DISCEDITE QVIRITES. Quo facto, in suam quisque centuriam tribumue discedebat, in qua erat suffragium laturus. Ascon. Paedian. in Cic. *Orat. pro Corn. Balbo. p. 1310.*

VIII. Rogatio.

IX. Facta discessione ferebantur *suffragia*, olim quidem viua voce; post tabellariam vero legem *tabellis*, quarum alteri inscriptum V. R. *vti rogas*, alteri A, id est *antiqua probo*. Cic. *Epist. ad Attic. I, 14.* Tulit eiusmodi legem tabellariam L. Cassius Trib. pleb. C. Mario VI. et L. Valerio Flacco Coss. Cic. *de Legib. lib. III.* sed de iudiciis publicis. Vnde et in numis familiae Cassiae egregium tabellariae istius legis monumentum occurrit. Vid. Fulv. Vrsin. *de Famil. Rom. p. 67. edit. Patini.* De comitiis iam antea

IX. Suffragia per tabellas lata.

C 5

fimi-

Antiq. Rom. Synt. VI. p. 269. Ceterum haec omnia ideo inuenta, vt magistratus, vel collegarum, vel populi, consilia periculosa bonis rationibus turbare possent. Dio Cass. XXXIII. p. 66. Cic. *de Leg. III, 12.*

(f) Notanda hic quaedam vocabula, quae subinde confundi solent ab iis, qui sunt in Antiquitatibus Romanis hospites. Lex ROGATVR, dum fertur: ABROGATVR, dum tollitur: DEROGATVR eidem, dum quoddam eius caput aboletur: SVBROGATVR dum aliquid adiicitur, OBROGATVR denique, quoties aliquid in ea mutatur. Vlpian. *Fragm. I, 3.*

similis exstabat lex Gabina. Cicer. *in Laelio cap. XII.*

X. Modus et ordo suffragandi in pontibus.

X. Distribuebantur hae tabulae per *diribitores*, quibus nongenti *custodes* adstabant, daturi operam, ne qua fraus in distribuendis tabellis admitteretur. Plin. *Hist. Nat. XXIII, 11.* Et exstructi quidem in campo Martio erant *pontes* centum nongenti tres, totidem scilicet, quot numerabantur centuriae. Hi nihil aliud erant, quam angustae quaedam substructiones, opere subitaneo, e tabulatis solo editis, adornatae, per quas iis, qui suffragia ferrent, viritim esset transeundum. His ergo in capite pontium ministrabantur binae istae tabellae, quarum alterutram deinde in extremo ponte *cistulae* immittebant. Plut. *in Mario p. 407.* Fiebat id ita, ut praeco singulas centurias, eo ordine, quo sorte exiissent, ad suffragia vocaret. Quicumque vero ex ea centuria primus rogabatur, PRIMVS nuncupabatur. Cic. *pro Plantio XVI.* Reuersi e ponte intra *cancellos* concludebantur, quos *ouilia* vocat Lucanus, *Pharsal. II. v. 197.*

-- et miserae maculauit ouilia Romae.

Conf. Nic. Gruch. *de Comit. Rom. I. p. 688.* Omnia haec accurate depicta sistit egregius P. Licinii Neruae numus, quem exhibent. Fulu. *Vrsin. Fam. Rom. p. 149.* edit. Patin. et Ezech. Spanhem. *de usu et praestant. numism. Diff. VI. p. 579.*

XI. Suffragiorum diremtio.

XI. Latis hoc ordine suffragiis, *diremtio* fiebat. Numerabantur enim tabellae vtriusque generis a singulis custodibus, numerusque earun-

earundem *punctis* (g) notabatur, Cic. *Philipp. II, 33.* et *pro Planc. XXII.* vt ea centuriarum sententia renunciaretur, in quam plurima suffragia conuenissent, et reticeretur, illa quae paribus esset distracta suffragiis. Si plures sententiae legem probassent: SCITA vel PERLATA; sin plures eandem reiecissent, ANTIQVATA dicebatur. Manut. *de Legib. p. 842.*

XII. Perlatam legem primo *iureiurando* firmatam, deinde *aeri incisam delataeque in aerarium* legimus. Manut. *de Legib. p. 843.* Vnde patet, quatenus sint illa apud Ouid. *Metam. I, 3.*

XII. Legum confirmatio.

- - *Verba aere minacia fixo*

Exstant eius ritus vestigia in *l. 8. pr. D. ad L. Iul. pecul. Conf. Iust. Rycqu. de Capitol. cap. XXX, p. 374. seq.*

XIII. *Nomina* leges plerumque accipiebant ab utroque consule, e. g. lex *Aelia Sentia, Fapia Poppaea, Fusia Caninia.* Nonnunquam vnicum iis cognomen dabatur, si a dictatore, vel praetore, vel censore latae essent. Tales sunt lex *Aemilia*, lex *Aurelia* et aliae. Immo et Pompeii, qui consul sine collega fuit, et C. Iulii Caesaris, et Augusti leges vnum nomen *Pompeiarum* et *Iuliarum* tulerunt. Addebantur interdum alia cognomina, a materia legis desumpta, veluti lex *Cornelia sumptuaria*, lex *Gabinia tabellaria*, lex *Cassia agraria.*

XIII. Earundem cognomina.

XIV.

(g) Inde nata phrasis: *omne punctum ferre.* Horat. *Art. poet. v. 343.*

Omne tulit punctum, qui miscuit vile dulci.

De qua locutione, ipsoque hoc ritu, conferri meretur Sauaro *ad Sidon. Car. i. II, 20. et Epist. ult.*

XIV. Quo
stilo con-
signatae?

XIV. Quo *stilo* scribi concipique solitae sunt leges, ex multis antiquis monumentis apparet. Qualia sunt leges antiquae apud Reines. *Inscript. CCCC LXXIII*, vt et egregium fragmentum legis Seruiliae apud Car. Sigon. *de Iudic. II, 27. p. 422.* nec non legis Thorinae apud eundem *de Iure Ital. II. p. 638.* Adde Barn. Briffon. *de Form. p. 141. seq.*

XV. Plebifcita.

XV. Haec de legibus. Sequuntur PLEBISCITA, quae et ipsa LEGES vulgo vocantur, ceu exemplo legum Iciliae, Voconiae, Aquiliae, Cinciae aliarumque apparet, quamuis id more antiquo non fieret (*b*), teste Gellio *XV, 27. XX, 20.*

XVI. Eorum
differentia a
legibus pro-
prie sic dictis.

XVI. Erant plebiscita, quae plebs, plebeio magistratu interrogante, constituebat. §. 4. *Inst. de iure nat. gent. et ciu.* Ea cum eodem fere ritu, quo ipsae leges, conderentur; differentiae tantum legum et plebiscitorum erunt notandae. *Lex* ergo a superiore magistratu; *plebiscitum* a plebeio, id est, tribuno plebis, rogabatur, et eo quidem, cui illud e collegio sorte vel reliquorum collegarum consensu, obtigisset. Liu. III, 65. *Lex* suffragante vniuerso populo, *plebiscitum* suffragante plebe condebatur. Liu. II, 56. Dionys. Hal. IX, p. 598. Tribuni enim nec aduocare patricios, neque ad eos referre vlla de re poterant. Gell. *Noct. Attic. XV, 27.* *Leges* in campo Martio ferebantur et in comitio;

plebi-

(*b*) Primo, cum patricii plebiscitis teneri nollent, *plebiscita* vocabantur. Post leges Horatiam, Publiliam et Hortensiam *leges* dicebantur, vel *leges tribuniciae*. Cic. *de leg. Agrar. II, 8.*

plebiscita, non in ea tantum, sed et nonnunquam in circo Flaminio, aut in Capitolio, maxime vero in comitio, vbi ex *rostris* tribuni ad plebem concionabantur (i). Docent id exempla apud Ciceronem. *Epist. ad Attic. I, 1. ad familiar. VII, 30.* Plutarch. *in Gracch. p. 832.* Liu. III, 54. XXV, 3. XLV, 36. III, 54. *Leges* in Comitibus centuriatis et tributis; *plebiscita* in solis tributis condebantur, vbi non opus erat vel Scto vel auspiciis. Dionys. Hallic. IX, p. 598. et 605. Solebant tamen nonnunquam et Tribuni plebis aues consulare, et de coelo sruare, quando legem erant interrogaturi. Exempla sunt apud Plut. *in Gracchis p. 832.* et Cicer. *in Vatin. Cap. VII.* *Leges* plerumque tribuni plebis; *plebiscita* patricii et postea magistratus dissuadebant, quamuis eam facultatem coss. adimere conaretur Volero, tribunus plebis. Dionys. Hal. IX. p. 598. Sortitio etiam in plebiscitis duplex fiebat, quarum altera, in qua tribu Latini suffragium ferrent, explorabatur, altera inter ipsas tribus fiebat sortitio. Liu XXV, 3. Quidquid ergo tributim plebs ita iussisset, id ratum habebatur, et deinde tabulis inscriptum aedilibus plebeiis in aliqua aede custodiendum dabatur. l. 2. §. 21. *D. de orig. iur.*

XVII.

(i) *Rostra* inter praecipua tribuniciae potestatis insignia sunt. Hinc M. Lollius Palikanus, cum tribuniciam potestatem a Sulla abrogatam restituisset, *rostra* in numis suis signari iussit. Vid. Fulv. Vrūn. *de famil. Rom. p. 158. edit. Patini.*

XVII. Quos
ea obligauerint.

XVII. Quamuis vero plebiscita non ab vniuerso populo, sed a sola plebe, conderentur: tamen non plebem tantum, sed et patricios obligabant. Id quod post multas patriciorum tergiuersationes cautum est lege primum Horatia: anno V. C. CCCVI. Liu. *Hist. III, 55.* Dionys. Hal. XI. p. 725. deinde Publilia, anno CCCCXIV. lata a Q. Publilio dictatore, ac denique, cum plebs anno CCCCLXVI. in Ianiculum secessisset, lege Hortensia, lata a Q. Hortensio, dictatore. Gell. *Noct. Attic. XV, 27. §. 4. Inst. de iur. nat. gent. et ciu.*

XVIII. Ius honorarium.

XVIII. Praeter leges et plebiscita etiam EDICTA praetorum atque aedilium (*k*) certam iuris speciem, quam IVS HONORARIUM vocabant, constituere coeperunt. Quare et de praetoribus atque aedilibus et vtrorumque edictis nonnulla monenda sunt.

XIX. Praetoris origo.

XIX. Creari primum praetor coepit anno V. C. CCCLXXXIX. cum paullo ante plebs obtinisset, vt alter consulum plebeius esset. Male haec summae potestatis iactura habebat patricios: hinc dabant operam, vt penes consules eo minus esset potestatis. Fraudibus itaque adorti plebem, facile id consequerentur, vt redhostimenti loco e patriciis crearetur praetor, in quem deinde omnem, quae penes consules adhuc fuerat,

(*k*) Quin et censores edicta de locandis vectigalibus et operibus publicis proposuisse patet ex Gell. *Noct. Attic. XV, 11.* quae vocabantur etiam *leges censoriae*, sed improprie. Vid. Gundlingiana XVI. *Obs. I. §. XVI. p. 61. seq.* Cum his tamen non confundendae rogatae, a Censoribus, de quibus supra §. 1.

rat, iuris dicundi potestatem transferebant. Liu. *Hist. VI. ult. VII, 1.* Vnde fallit Pomponius, vel praecipuam saltim rationem dissimulat, quando ideo creatum ait praetorem, *quia consules auocarentur bellis finitimis, neque esset, qui in ciuitate ius reddere posset. l. 2. §. 27. De orig. iur.*

XX. Non diu tamen iste honor patriciorum mansit proprius. Non multo post enim, anno V. C. CCCCXVI. primus e plebe praetor creatus est. Q. Publilius Philo. Liu. *Hist. VIII, 15.* Sub belli deinde Punici primi tempora duo fieri coeperunt Praetores, quorum alter *urbanam*; alter *peregrinam* sortiebatur iurisdictionem. Flor. *Epit. Liu. XIX.* Vnde hic vocatur PRAETOR QVI INTER CIVES ET PEREGRINOS IUS DICIT, apud Reines. *Inscript. Class. VII. n. 10.* et ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ ΕΠΙ ΤΟΝ ΕΒΕΝΟΝ apud Grut. *Inscript. p. DIII.* In sequentibus temporibus hic numerus non semel auctus est, siquidem initio quatuor, (Liu. XXIII, 30.) tum sex, (Liu. XXXII, 27.) postea octo, mox decem, (Dio XLII, p. 209.) hinc porro duodecim, immo et quatuordecim, ac denique sedecim, a Iulio Caesare creati, Praetores ius dixere, Dio *Lib. XLIII. p. 237. et 239.* Quo factum, vt patrem imitatus etiam Augustus sedecim expleret numerum, mox ad XII. eundem reduceret, quem se non excessurum, Tiberius iureiurando pollicitus est. Dio *Cass. Lib. LVI. p. 586.* Tacit. *Annai. I, 14.* quamuis eius sibi gratiam fecisse videatur princeps parum religiosus, siquidem et illo imperante modo

XX. Varias in praetura mutationes.

XV. modo XVI. Praetores creatos nouimus. Idem *Lib. LVIII. p. 634.* Claudius porro iurisdictionem de fideicommissis, quotannis, et tantum in vrbe delegari magistratibus solitam, in perpetuum, atque etiam in prouinciis potestatibus demandauit. Sueton. *Claud. XXIII.* nouosque creauit *praetores fideicommissarios* (1) duos *l. 2. §. 32. D. de orig. iur.* ex quibus tamen vnum detraxit Titus *d. l. Accessit sub Nerua praetor fiscalis, ibid.* nec non *praetor tutelaris* sub M. Antonino Philosopho, Iul. Capitolin. *vit. Marci Anton. X. l. 6. §. 13. D. de excus. tut.*

XXI. Praetoris vrbanus praerogatiua.

XXI. Ex his praetoribus iidem, quibus Consules, auspiciis creatis vrbanus reliquos anteibat. Hinc consulibus instar collegae erat, Gell. *Noct. Att. XIII, 14.* Plin. *paneg. LXXVII, 4.* iisque absentibus, summum penes Praetorem erat in vrbe imperium, ceu patet ex Ciceron. *Epist. ad Fam. X, 12.* Liu. xxiv, 9. Dio Cass. *LVIII. p. 622.* Vtebatur enim praetor, sicuti consules, praetexta, sella curuli, ministris, scribis et accensis. Cicero *de lege agrar. aduers. Rull. II, 13.* Lictores cum praeibant duo cum fascibus. Quamuis enim de sex lictoribus subinde loquantur Plutarchus, Polybius, Appianus, qui ideo

(1) In marmoribus etiam mentio fit PR. DE FIDEICOMMISS. apud Gruter. *Inscrip. p. CCCXCIII, 6.* Illud addendum ex Quintilian. *Instit. Orat. III, 8.* fideicommissariam iurisdictionem ita diuisam esse inter praetorem et consules, vt ille ad certam summam; hi de maiore cognoscerent. Vnde lucem capit locus Vlpiani in *Fragm. XXV, 12.* Videatur Cuiac. *Obs. XXI, 34.* Merill. *Obs. V, 36, p. 112.*

ideo etiam praeturam ἀρχὴν ἐξαπελευκὴν vocare solent: intelligendum tamen hoc non est de praetura vrbana, ceu suspicatur Petr. Fab. *Semestr. I. p. 169.* sed de prouinciali, vti obseruatum est a Car. Sigon. *de antiquo iure Ciu. Rom. I, 20. p. 227.* Non postremum vero praeturae insigne erat hasta, quam decemviri litibus iudicandis regere dicebantur. *l. 2. §. 29. D. de orig. iur. Sueton. Aug. Cap. XXXVI.*

XXII. Totum praetoris munus tribus hisce verbis continebatur DO, DICO, ADDICO, Quid. *Fast. I. v. 47. seq. Varro de Lingu. Lat. V, 4.* Dabat enim Praetor actionem et exceptionem, dabat bonorum possessionem: *dabat* iudices, arbitros, recuperatores, *dabat* tutores ex lege Atilia. *Dicebat* viam in vindiciis: *dicebat* interdicens, quoties de possessione agebatur, *indicebat*, aduocata concione, ferias, si quando terra in vrbe tremuisset. *Gell. Noct. Attic. X, 24.* Sueton. *Claud. XXII.* *Addicebat* denique, veluti facta in iure cessione, mancipatione, ceteris.

XXII. Praetoris iurisdictionis.

XXIII. Mos autem erat, vt praetor, creatus centuriatis comitiis priusquam ius diceret, EDICTO in albo (m) proposito denunciaret, quomodo

XXIII. Edicta praetoria.

(m) *Album* quid fuerit, adhuc sub iudice lis est. Theophilo §. 1 2. *Inst. de action.* album est edictum, διὰ τὸ λευκοῖς γεγραμμένον γράμμασι, *Albis literis scriptum.* Enimvero non ipsum edictum album vocabatur, sed edictum in albo proponebatur. *Accursii* sententia, existimatis, fuisse parietem *dealbatum*, plerisque hodie vapulat. Sed videtur tamen idem colligi posse ex Plauto *Perf. I, 2. v. 21.* modo codices MSS. addicerent:

Pars I.

D

Nae

do eo anno ius esset dicturus. At quis? Urbanus tantum an peregrinus etiam? De provincialibus enim, nulla est dubitandi ratio. Praetori peregrino sane hoc ius negant Hotoman. et V. C. Io. Ge. Schubart. *de Fat. Iurispr. Rom. p. 399.* At eidem id vindicat V. C. Henr. Bern. Reinold. *Var. XXXVII. p. 267. ob legem 9. §. 4. D. de dol. mal.* vbi memorantur Labeonis *libri Praetoris peregrini.* Sed illis non tam videtur Labeo edictum Praetoris peregrini interpretatus, quam exposuisse officium Praetoris peregrini, quemadmodum etiam de officio Praetoris urbani egit in *libris Praetoris urbani*, quorum mentio fit in l. 19. *D. de V. S.* Sane libros ad edictum singulares scripsisse Labeonem, et ab illis diuersos, patet ex l. 1. §. 5. *D. de fugitiu.* et Gell. *IV, 2.* Certiora itaque sunt testimonia Boethii *ad Cic. Topic.* et Theophili §. 7. *Inst. de I. N. G. et. C.* qui et Praetores peregrinos edicta proposuisse, diserte scribunt, eiusque rei auctores procul dubio habent veteres et satis idoneos. Edicebant itaque omnes Praetores. Idque fiebat habita concione, cunctoque in leges iureiurando (n), ceu apparet ex Ciceron. *de Finib. II, 22.* Erant vero praetorum edicta vel *generalia* vel *specialia.* Illa, quam iuris dicunditionem per annum secuturus esset praetor, indicabant, unde et *leges annuae* dicuntur Cicer.

Verr.

Nae isti faxim nusquam appareant,

Qui hic ALBO. PARIETE aliena oppugnant bona.

Et *Suidas* voce *λευχώμα* album interpretatur *parietem, gypso obductum, ad inscriptionem civilium rerum aptum.* Iac. Raenard. *Potribun. IV. p. 887.*

(n) Praetores edicta scripturos etiam tribunos plebis adhibuisse in consilium, patet ex Cic. *de Offic. III, 20.*

Verr. I, 42. Haec, obuientibus quibusque negotiis, vel, vt *l. 7. pr. D. de iurisd.* habet, prout res incideret, dabantur, ad similes causas non extendenda. Vnde vberimus natus est iniquarum sententiarum prouentus, qui occasionem dedit edicto: QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATVERIT, VT IPSE EODEM IVRE VTATVR. Exemplum reperies apud Tacit. *Annal. II, 30.* Cum vero generalia edicta subinde mutarentur, nec leuis inde nasceretur iuris confusio: obuiam hinc praetorum licentiae itum est lege Cornelia (o), lata A. V. C. IOCLXXXVII. a C. Cornelio tribuno plebis, C. Pisone et Man. Glabrione coss. qua cautum est, vt praetores ex edictis perpetuis ius dicerent, neque per integrum annum quidquam in iis immutarent. Dio Cass. *Hist. XXXVI. p. 19.* Ex eo tempore paullo certius esse coepit ius praetorium (p), adeo, vt iam tempore Ciceronis plerique non, vt olim,

D 2

a XII.

(o) Antea A. V. C. IO. LXXXI. SC. ea de re factum, patet ex actis diurnis, quae in bibliotheca If. Vossii fuerunt, in quibus et haec exstant:

HORA OCTAVÆ SENATVS COACTVS IN
HOSTILIA.

SC. FACTVM EST. VTI PRAETORES EX
SVIS

PERPETVIS EDICTIS IVS DICERENT.

Vid. Dodwell. *ad Spartian. Hadr. p. 333.* et in *Append. p. 665.* Ez. Spanhem. *Orb. Rom. II, 12 p. 97.* Sed hoc SCtum, si genuinum est, mox procul dubio elusit praetorum potentia, vt centum annis post, noua opus esset lege Cornelia.

(p) Vnde iam ante edictum perpetuum ad edictum commentarii coeperunt iureconfulti, veluti Seru. Sulpicius, A. Ofilius et alii,

a XII. Tabulis, sed a praetoris edicto iuris disciplinam auspicarentur, ceu ex Cicer. *de Legib. I, 6.* obseruat Iac. Perizon. *Diss. de Leg. Vocon. p. 193.* Quamuis vero post legem Corneliam praetori haud liceret edictum suum per annum mutare: nihil impediēbat tamen, quo minus successor antecessorum edicta, inito magistratu, vel augetet vel immutaret. Vnde, quae retinebat successor, *edicti TRALATITII*; quae addebat vel immutabat, *edicti NOVI* nomine veniebant. Cic. *Verrin. I, 44.* Non prius ergo edictum vere perpetuum prodiit, quam temporibus Hadriani, de quo diximus in *prooem. n. XIII. et seq.*

XXIV. Quibus artibus praetores ius immutauerint?

XXIV. Quamuis vero praetores initio magistratus in leges iurarent: reuera tamen leges edictis suis euertebant sub specie aequitatis. Quod iam Dio Cass. *Hist. XXXVI. p. 10.* obseruans: *ὃ γὰρ* inquit, *οἱ στρατηγοὶ, πάντα τὰ δικαιώματα ἃ περὶ συμβόλαια διετεταγμένα, ἔτε ἐσάπαξ τῶν ἐποίων, ἔτε τὰ γεγραφέα ἐτήρην, ἀλλὰ πολλάκις αὐτὰ μετέγραφον, καὶ συχνὰ ἐν τῷ πρὸς χάριν ἡκατ' ἔχθραν τινῶν, ὡς περ εἰκὸς, ἐγένετο.* Neque enim praetores id ius, quod ad contractus dirigendos positum erat, obseruarant, neque scripto iuri steterant: sed saepenumero ea variauerant, crebroque per gratiam et odium certorum hominum, veluti fieri adsolet multa gerebantur. Vtebantur hanc in rem variis artibus, veluti I. FICTIONIBVS, quando, verbi gratia, fingeant, rem vsucaptam, quae vsucapta haud esset, vel contra. §. 4. et 5. *Inst. de actionib.* immo, quod magis ridiculum videri posset, quanto fingeant, filiam patroni esse filium

filium

filium, cuius παλαιᾶς ὑποκρίσεως ἢ παρατηρήσεως mentio fit in *Basilic. Lib. XLIX. tit. I. p. 594. Tomo IV.* Addantur, quae diximus in *Comment. ad L. Iul. et Pap. Lib. II. cap. 22. p. 355.* Vtebantur *II. nouis NOMINIBVS*, veluti cum *bonoru n possessionem* darent iis, quibus leges *hereditatem* negabant. Vtebantur *III. EXCEPTIONIBVS*, quibus actiones legibus datae eliderentur. Vtebantur *IV. RESTITVTIONIBVS in integrum*, quibus non modo leges, sed et res iudicatas resciderunt praetores. Ut adeo vero summa penes Praetores esset non quidem leges ferendi, sed euertendi potestas, quamuis edicta *adiuuandi, supplendi corrigendique iuris ciuilibus gratia* proponi, prae se ferrent. *l. 7. §. 1. D. de iust. et Iur. Thomaf. Naen. Iurispr. Anteiust. I, 7. p. 31. Ge. Beyer. Posit. Pandect. I, 2. p. 14.*

XXV. Praetorum exemplo AEDILES quoque edicta sua proponebant, quae et ipsa pertinebant ad ius honorarium. Erant aediles vel PLEBEII vel CURVLES. Plutarch. *in Mario. p. 408.* Illorum duo vna cum tribunis plebis creari coeperunt anno V. C. CCLX. ut Tribunis essent ad manus, eorumque iussu causas leuiores litesque priuatas diiudicandas susciperebant, aedium sacrarum, locorumque publicorum, et annonae, curam gererent, matronarum denique ciuiumque mores obseruarent. Dionys. Halic. *Antiq. Rom. VI. p. 411.* Curules vero, de quibus hic agimus, e patriciis initio legabantur. Cum enim discordia, de consule plebeio creando inter plebem et patricios exorta,

XXV. Aediles plebeii et curules.

sedata videretur, ludique ob eam rem decernerentur diis patriis, detrectantibus hanc curam aedilibus plebeiis, obtulerunt se bini iuvenes patricii, pollitici, se hoc munus suscepturos. Collaudavit populus hoc de republica bene merendi studium, et, denuo delusus patriciorum artibus, hos patricos iuvenes aediles creauit, fellamque curulem honoris causa concessit. Vnde et AEDILES CVRVLES dici consueuerunt. Liu. *Hist. IV, 42.*

XXVI. Penes hos ergo erat annonae (q) viarumque publicarum curatio, tutela vrbis, ludorum institutio, de rebus venalibus promercalibusque cognitio, et praecipue sacrum aedium cura, a qua et AEDILIVM nomen sunt consecuti. *l. 2. §. 21. D. de orig. iur.* Varro *de Lingua Lat. IV. p. 20.* Cicero *Verrin. VII, 14.* Iisdem quoque demandata erat ἐπισκοπή in fornices, lupanaria, cauponas ipsasque mulieres, quae quaestum corpore faciebant, quae nomina solebant apud aediles profiteri, vt suo loco docebimus.

XXVII Edi-
etum Aedili-
tium.

XXVII. De rebus hisce ad iurisdictionem suam pertinentibus ipsi quoque, vt iam diximus, edicta proponebant, ad quae alludit suo more Plautus *Capt. IV, 2. v. 43.*

Eugepe

(q) Hanc annonae procurationem postea Iulius Caesar demandauit duobus aliis Aedilibus, qui CERIALES vocabantur, Dio Cass. *Hist. XLIII, p. 271. l. 2. §. 32.* *D. de orig. iur.* pro quibus perperam *Praetores Cereales* sibi fingunt Rosinus, Alex. ab Alexandro et Iar. Vinc. Grauina, quibus satisfecit. V. C. Henr. Bern. Reinold. *Varr. cap. III, p. 27.*

Eugepe EDICTIONES AEDILITIAS
hic habet quidem.

Et ex hoc quidem aedilitio edicto descendunt actiones contra venditores rerum vitiosarum, et eos qui bestias feroces habent, vbi iter fit, veluti redhibitoria, quanti minoris, et aliae, quarum fragmenta tria etiamnum existant in pandectis. Primum scilicet *l. 27. §. 28. D. ad leg. Aquil.* alterum *l. 1. §. 1. et l. 38. pr. D. de aedil. edict.* tertium *l. 40. §. 1. et l. 41. 42. D. eod.* Fr. Pollet. *Form. Rom. III, 2.* Barn. Briffon. *de Formul. III. p. 289.* Ceterum, de quibus edicebant aediles, de iisdem plerumque et praetores cognoscere consueuerant, et illis deficientibus, causae ad hos transferebantur. De qua concurrente praetorum aediliumque iurisdictione (r), differit Iac. Cuiac. *Obseru. VIII, 38.*

XXVIII. Pergimus ad RESPONSA PRUDENTVM, quae et ipsa partem iuris constituebant. Dicebantur ea speciatim IVS CIVILE, Cicer. *pro A. Caecinna XXIII, L. 2. §. 5. D. de orig. iur.* non vero IVRISPRVDENTIA MEDIA :

XXVIII. Responsa prudentum.

D 4

DIA :

(r) Ob hanc concurrentem iurisdictionem factum videtur, vt et Aediles haud raro PRAETORES dicantur. Sic Paullus *Recept. Sent. I, 15. 2.* aedilitium edictum differte tribuit Praetori. Quin et generale fuit hoc magistratum nomen. Nam et consules, procoff. praefides, legati Caesaris, dicti nonnunquam a praeundo PRAETORES. In notis quoque Valerii Probi existat PR. VIGILVM, id est, vti V. C. interpretatur, *Praetor Vigillum*, qui et *Praetor plebis* vocatur Iustiano *Nou. XII.* Quamuis nulla sit ratio, cur apud Valerium Probum non potius legere malimus *praefectus VIGILVM.* Conf. Ger. Noodt. *Probabil. I, 6. p. 16. 17.*

DIA: §. 3. *Inst. de legit. agnat. success.* quo potius totius iurisprudentiae Romanae periodus lege XII. tabularum iunior, Imperiali autem dispositione anterior intelligitur. Addi tamen potest V. C. Iac. Perizon. *ad L. Vocon. p. 198.* Multa iuris capita post XII. Tab. per interpretationem inuenerunt Icti, ob eam rem IVRIS AVCTORES *l. 3. D. si pars hered. pet. l. 39. D. de act. emt. l. 17. D. de iure patr. vt et IVRIS CONDITORES* appellati. *l. 23. C. de procurat.*

XXIX. Iureconsultorum origo.

XXIX. Iureconsultis Romae originem dedit institutum a Romulo IVSPATRONATVS. Patriciorum enim erat, parentum munere fungi erga plebeios, vnde et *patroni* dicebantur, quasi patres, quemadmodum matronæ quasi matres sunt. Optio ergo cuius erat e plebe, quem vellet, sibi patronum legendi e patriciis. Hunc vero oportebat clientibus respondere de iure, cuius illi rudes erant, absentium aequae ac praesentium negotia curare, lites pro iis suscipere, in ius vocatos defendere, et quietem eis pro virili parare a publicis priuatisque negotiis. Vicissim *plebeiorum* erat, patronos in elocandis filiis iuuare, captiuos vel ipsos, vel eorum filios, redimere, litium aestimationes et mulctas pro iis soluere, in magistratibus muneribusque eos argento subleuare, et quae sunt alia huius generis officia. Vnde et *clientes* dicti, quasi *colentes* vel *κλεισντες*. Dionys. Halic. *Ant. Rom. II. p. 84.* Plutarch. *vit. Romuli p. 24. Tomo I. op. Polyb. Hist. I, p. 459.* Ea porro mutua obligatio tanta necessitudine ac fide adstringebatur, vt proximum patrono locum secundum parentes

rentes concedat Cato *apud* Gell. *Noct. Att. V, 13.*
 Nec priuati tantum, sed et coloniae, vrbes sociarum,
 gentes amicae et deuictae, suos Romae patroni s
 eligebant ex patriciis, et postea senatoriis fami-
 liis, quibus saepe numero senatus controuersas
 illarum decidendas commisit. Dionys. Hal. *II.*
p. 85. Cicero *de Offic. I, 11.* Immo nullum te-
 mere erat negotiatorum corpus, nullum artifi-
 cum collegium, quod non patronum sibi Ro-
 manam quandam familiam adoptasset. Sic in
 marmore Surretino *apud* Reines. *Inscript. Class.*
VI. n. 39. p. 412.

FLAVIO FVRIO FAVSTO V. C. TRIBVNO.
 AB ORIGINE PATRONO
 OB MERITA LABORVM SVORVM
 VNIVERSVS ORDO ET POPVLVS SVRRETINO-
 RVM;
 STATVAM NOBILITATI EIVS
 FACIENDAM CVRAVIMVS.

Ita et municipes Ciuilitani *L. ARCADIVM*
PROCVLVM V. C. LIBEROS POSTEROS-
QVE EIUS SIBI POSTERISQVE SVIS
PATRONOS COOPTAVERVNT Gruter.
Inscript. p. CCCLXII, 1. Sic et alibi laudantur
PATRONVS CAPVANORVM LONGE
A MAIORIBVS ORIGINALIS, Idem *p.*
CCCLIX, 1. *SVESSIANORVM COMMV-*
NIS AB ORIGINE PATRONVS *p. MXXVII,*
3. *PATRONI COLLEGIORVM CEN-*
NARIORVM Reines. *Class. I, 302.* *DEN-*
DROPHORORVM Idem *I, 283.* *FABRO-*
RVM. Idem *II, 17.* *LENVNCVLORVM*
 D 5 OSTI-

OSTIENSIVM. Idem I, 33. NEGOTIATORVM OLEARIORVM EX PAETICA. Idem VI, 123. PAGI POLENTINES. Id. *Append. num. VIII.* Horum patronorum in eo consistebat officium, vt coloniarum, vrbium, collegiorum, pagorum, negotia in senatu et vrbe sese curaturos, reciperent. Quo officiorum genere ita plerumque aere emungebant clientes, vt legibus nouis opus esset ad hanc patronorum rapacitatem coërcendam. *Tit. C. Theod. de patron. vicor. Lib. XI. tit. 24.* et *Cod. Iust. Lib. XI. tit. 53.* Liban. *Orat. πρὸ τῶν προσασιῶν. p. 14. seq. edit.* Iac. Gothofr. Alias veteri iure gratuita erant inter patronos et clientes officia, et vt illi gratis plebeiorum curabant negotia : ita et hi pecunias sine foenore credebant. Dionys. Halicarn. II. p. 48. Cum ergo initio e patriciis suis quisque clientibus de iure responderet : postea omnibus consulentibus promiscue se dare coeperunt, et quidem mercede conducti : et inde obsoleuit antiquum illud ius patronatus, natiq̄ue sunt iureconsulti, qui iam respondebant de iure, causasque egerunt, atque adeo omnia, quae olim patronorum fuerant, in se transferebant officia. Vid. praeter Fr. Brunnerum V. C. *ad Legem Cinciam.* Ge Schubarth. *de Fatis Iurispr. Rom. I, 15. p. 29.* Vnde facile reddi poterit ratio, cur plerique Iureconsulti veteres ordinis fuerint patricii? cur *patroni* dicti, qui causas agebant; cur iureconsulti atque aduocati eos, a quibus adhibebantur in consilium, *clientes* vocarint? Cur iure veteri et per legem Cinciam gratuitum esse oporteret aduocatorum

rum officium? Brummer. *l. c. cap. III. usque ad XI.*

XXX. Tria vero sunt summa capita, quibus iurisprudentiam locupletarunt iureconfulti: I. ACTIONES LEGIS, II. INTERPRETATIO legum, et III. NOVVM IVS quod interpretando inuenerunt, petitum plerumque ex mediis philosophiae moralis principiis, et iuri XII. Tabularum veluti appendicis loco adiectum, vt loquitur Iac. Raeuard. *de Auctorit. prudent. I. p. 952. Tomo I. op.*

XXX. Quale ius iureconfulti condiderint.

XXXI. ACTIONES LEGIS quid fuerint, iam supra est a nobis explicatum. Eas vero a iureconsultis maximam partem esse inuentas, apparet ex *l. 2. §. 6. D. de orig. iur.* Cicer. *pro Muraena XI. XII.* Et hinc eae ad singulare veluti iureconsultorum peculium (s) pertinebant, quod

XXXI. Actiones legis a iureconsultis inuentae.

(s) Equidem penes pontificum collegium fuisse legis actiones docet Pompon. *L. 2. §. 6. de orig. iur.* sed caue cum vulgo existimes, ad omnes legis actiones vniuersamque interpretandi rationem hunc Pomponii locum pertinere. Aliud docet Cicero *de Legib. II, 19.* *Saepe ex patre audiui, pontificem neminem bonum esse, nisi qui ius ciuile cognosset. Quid ita? Quid enim ad pontificum de iure parietum, aut aquarum, aut vlllo similium? Ergo quod cum religione coniunctum est. Id autem quantum est? De sacris, credo, de votis, de feriis, de sepulcris, et si quid eiusmodi est.* Conferatur et *cap. XXI.* Quaecumque ergo cum religione coniuncta erant, ea demum erant cognitionis pontificiae. Hinc eorum erat, dies signare, et litigantibus indicare, quibus diebus lege agere vel fas, vel nefas esset; *Liu. I, 19.* Cicero *pro Muraena XI.* respondere de iuribus domus, nam et domi sacra priuata erant, in quibus cum

quod seruabant tanto diligentius, quanto magis hac arte plebem habebant sibi obnoxiam. Cicero l. c. et *de Orat. I, 41.*

XXXII. Iidem leges interpretati sunt I. scribendo docendoque.

XXXII. INTERPRETARI porro iurisconfulti solebant leges, partim libris scriptis, partim editis responsis, partim disputatione fori. Et initio quidem a docendo non modo, sed et scribendo sese abstinebant, ne mysteria sua cum plebe communicarent. Postea, vbi Cn. Flavius et Sex. Aelius horribile illud actionum secretum euulgarant, multi se ad scribendum commendandumque certatim contulerunt, quorum interpretationes sensim auctoritatem iuris vsu fori sunt consecutae. l. 2. §. 38. *seq. de orig. iur.* Unde illud ius *sine scripto venire*, ait Pomponius l. 2. §. 5. *D. eod.* siquidem libri iureconsultorum non eo fine eoque instituto fuerant conscripti, vt instar legum promulgarentur; sed tantam auctoritatem eorum sententiae tacito populi consensu erant consecutae. At postquam Theodosius quibusdam iureconsultorum libris legum accommodauit auctoritatem, et Iustinianus eorum loca in Pandectas relata ita promulgauit, vt *quidquid ibi scriptum est, hoc Iustiniani appareret, et ex eius voluntate compositum* existimaretur; l. 2. §. 10. *C. de vet. iur. enucl.* coeperunt eae iureconsultorum decisiones iuri scripto

cum constitutae quoque essent vxores et liberi, etiam nuptiae, arrogationes, adoptiones auctoribus fiebant potuincibus. Denique de omnibus rebus sacris et religiosis iura interpretabantur Pontifices. Georg. Schubart. *de Fas. Iurispr. Rom. II, 59. seq. p. 296.*

pto accenseri. Et huc referenda §. 3. *Inst. h. t.*
Ger. Noodt. *de pact. et transact.* XIX. p. 715.

XXXIII. RESPONSA iureconfulti vel parti-
bus dabant consulentibus, vel iudicibus, vel
vtrisque; et tunc quidem vel scripto, vel verbis,
quid sibi videretur, exponebant. Solebant enim
iureconfulti frequenter medio foro in ambulare,
veluti obuii et communes iis, qui haerent in-
certi, et remedium sibi consulendi ignorarent.
Cicero *Topic.* XVII. *Priuata iudicia maxima-
rum quidem rerum in iureconfultorum mihi videntur
esse prudentia. Nam et adsunt multum* (in me-
dio puta foro) *et adhibentur in consilium* (a ma-
gistratibus,) *et patronis diligentibus ad eorum
prudentiam confugientibus* (domi) *hastas mini-
strant.* Vnde facile pater, cur et ADVOCATI
dicti sint. Deinde et domi suae sibi constituere
solebant solium, ex quo confluentibus ad se
clientibus, tanquam ex tripode, responderent.
Cicero *de Leg.* I, 3. Et ad hoc solium respicere
arbitror eundem Ciceronem, quando per iocum
scribit: *C. Aquilium iureconfultum iurasse mor-
bum, et illud suum REGNUM IVDICIALE
opposuisse.* *Epist. ad Attic.* I, 1. Mane ergo quo-
tidie ad aedes eorum ventitabant clientes, et
vestibula eorum maxima semper frequentia ci-
uium celebrabantur, vt non immerito iure-
confulti domus totius oraculum ciuitatis vide-
retur Cicero *de Orat.* I, 45. Quo pertinent
illa Horatii *Serm.* I, 1. v. 9. 10.

XXXIII. Vt
et II. de iure
responden-
do.

Agricolam laudat iuris legumque peritus.

Sub galli cantum consultor vbi OSTIA PVLSAT.

Et

Et alibi *Epist. II, 1. v. 103.*

*Romae dulce diu fuit, et solenne, reclusa
Mane domo vigilare, clienti promere iura.*

Immo et Tibullus *l. 4.* quali amatorii iuris scientiam sibi arrogans, seque ad priscam iureconsultorum imitationem componens:

*Me, inquit, qui spernentur, amantes
Consultent: cunctis ianua nostra patet.*

*Tempus erit cum me Veneris praecepta ferentem
Deducat iuuenum sedula turba domum.*

Ge. Schubart *de fat. iurisp. Rom. II, 52. p. 265.* Ceterum et hoc fiebat formulis quibusdam et verbis sollennioribus. Venia enim prius petebatur his verbis: LICE'T CONSVLERE? Annuente iureconsulto, et respondente: CONSVLE, plerumque breuissime referebatur negotium, addita quaestione; QVAERO AN EXISTIMES? vel: ID IVS EST, NECNE? Respondebat Iureconsultus: SECVNDVM EA QVAE PROPONVNTVR, EXISTIMO, PLACET, PVTO, id semper dans operam, vt quam modestissime loqueretur. Horat *Serm. II, 3. v. 192. seq.* Turneb. *Aduers. VII, 10.* Briffon. *de Form. III. p. 331.* Franc. Duaren. *Disp. Annu. II, 11. p. 1064.* Ger. Noodt *de dolo malo XII. p. 507. et de pact. et transact. p. 733.* Consulebantur etiam nonnunquam iureconsulti a iudicibus, quibus vel absentes scribebant, quid esset iuris *l. 2. §. 47. D. de orig. iur.* vel coram iura explicabant. Plerumque enim iudices in consilium adhibebant aliquod iureconsultos, vt patet ex Gellii *Noct. Attic. XII, 13.* Car. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. II, 18. de antiquo iure prouinc. II, 5. p. 198.*

XXXIV. Erant responsa illa breuissima, et nullis munita rationibus. Seneca *Epist. XCIV. Quid? quod etiam sine probationibus monentis auctoritas prodest, sic, quomodo iureconsultorum valent responsa, etiamsi* RATIO NON REDDITUR.

Nonnunquam tamen et rationes quasdam addebant, vel ex legum verbis, vel ex aliorum prudentum auctoritate, vel ex usu fori, vel ex decretis denique seuerioris philosophiae depromptas. Hortl. *Diss. de vero sensu l. 20. D. Legib. n. XLVIII.* D. Okel. *Diss. de inreconf. rationali III. et VII. p. 154*

XXXV. Pertinet etiam ad interpretationem DISPUTATIO FORI. Nonnunquam enim de grauibz perplexisque quaestionibus dissidentes iureconfulti, rationibus subductis, decisionem communi suffragio inueniebant, adeoque prius in commune consulebant, eaque dicebatur DISPUTATIO FORI, cuius meminit Pomponius *l. 2. §. 5. D. de orig. iur.* In dubium quidem id vocat Ge. Schubartus *de fat. iurisprud. Rom. Ex. II, 57. p. 292.* sed sexcenta adsunt rei testimonia. Augustum ob quaestionem de codicillis, conuocasse prudentes viros, interque eos Trebatium quoque, cuius tunc maxima erat auctoritas, notum est ex *pr. Inst. de codicill.* Pari ratione diui fratres, cum quaestio esset de exclusione nepotis a bonis auiti liberti, cum Maeciano, aliisque amicis suis iurisperitis adhibitis, rem plenius tractarunt, teste Vlpiano *l. 17. D. de iure patron.* Sed et Paullus ait, cum de quodam quaereretur, an recte exheredatus videretur, Scaeuolam respondiisse, non videri, et in DISPUTANDO responsi sui rationem

XXXIV. Responsorum forma.

XXXV. De-nique III. Disputatio-ne fori.

nem

nem eundem Scaeuolam adiecit. l. 19. *D. de lib. et postum.* Nec alio videtur respexisse Asconius Paedianus in Cicer. *Verrin. III. p. 1849.* quando ait: *Maleficia sponte, et non DISPVTATIONE IVRISCONSVLTORVM, sed naturali interpretatione, fugienda sunt.* Denique eodem referenda illa veteris Scholiaetae, qui explicaturus illa Iuuenalis. *Sat. I. v. 128.*

---- *Iurisque peritus Apollo.*

addit *p. m. 26.* *Quia iuxta Apollinis templum iureconsulti sedebant, et TRACTABANT.* Vbi tractare idem ac disputare est. Plura dabit Iac. Ræuard. *prudēt. XIV. p. 1031.* Reperta vero eiusmodi disputatione definitio, quamuis non haberet vim iuris, nisi simul usu recepta, magnae tamen auctoritatis habebatur, et, si vel usus fori, vel noua auctoritas accederet, etiam ad similes extendebatur casus, Ger. Noodt *ad Leg. Aquil. XV. p. 106. de Pact. et Transact. XIX. p. 718.* Et tum demum vocari solebat RECEPTA SENTENTIA, RECEPTVMIVS, RECEPTVSMOS, POST MVLTAS VARIATIONES RECEPTVM (t). *L. 115. §. 2. D. de verb. obl. l. 3. C. in quib. caus. in integr. restit. necess. non est. l. 41. D. de reb. credit.* RECEPTVM enim inquit Festus, *dicitur, quidquid a plerisque prudentibus approbatum est.* Conf. Barn. Briffon. *de verb. signif. voce Receptum* et Guill. Budaeus *in Comment. ad l. 11. §. 1. D. de verb. signif.* Quin et REGVLAE IVRIS, quarum toties ius no-

strum

(t) Frequentissima in iure nostro locutio: *Post magnas varietates obtinuit. L. ult. D. pro Legat. L. 32. D. de oblig. et act. L. 55. §. 1. de legat. 2.*

strum meminit, nihil aliud sunt, quam breues quaedam positiones, quae rem fori disputatione definitam, et iureconsultorum consensu receptam concise enarrant. *Raeuard. de Auct. Prud. XV, p. 1063. seq. et Comment. ad l. 1. de reg. iur. p. 125.*

XXXVI. Tertium, quod iureconsultis ius Romanum debet, caput veluti appendicem quandam XII. Tabularum et reliquarum legum complectitur. Vbi enim deficere videbantur leges, et praetorum aediliumque edicta, ibi iureconsultorum erat, ius ex aequitate supplere. Hinc permulta nata sunt in iureconsultorum scholis ac disputationibus decreta, quae ex nulla scripta lege, nulloque edicto descenderunt. Sic acquisitio verbi gratia per arrogationem inuenta fuerat a iureconsultis *princ. Inst. de acquisit. per arrogat.* Eandem originem fuisse nouimus codicillorum, exheredationis posthumorum, differentiae inter exheredationem filiorum, filiarum et nepotum, stipulationis Aquillianae, regulae Catonianae, substitutionis pupillaris, donationis inter virum et vxorem prohibitaе, actionis rei vxoriae, querelae inofficiosi testamenti, aliorumque huius generis capitum iuris. Luculentum hanc in rem exstat testimonium Ciceronis in *orat. pro Muraena XII.* Cum permulta praeclare legibus essent constituta, ea iureconsultorum ingenii pleraque corrupta ac deprauata sunt. Mulieres omnes propter infirmitatem consilii maiores in tutorum potestate esse voluerunt: hi inuenerunt generatutorum, quae potestate mulierum contineretur

XXXVI. Iureconsulti ius suppleuerunt.

tur. Sacra interire illi noluerunt: horum ingenio senes ad coëmptiones faciendas interimendorum sacrorum causa reperti sunt. In omni denique iure civili acquitatem reliquerunt: verba ipsa tenuerunt. Sic multa inuenere iureconsulti, multa disputationibus suis ac responsis inuexerunt in forum, quae nec lege vlla; nec praetoris edicto constituta fuerant. Et haec decreta ob auctorum duntaxat celebritatem vim quandam legum obtinuerunt, et postea rerum iudicatarum constantia firmiter haeserunt. Vid. Vinc. Grauius *de ortu et progr. cur. ciu. §. XLIII.*

XXXVII. Eorum auctoritas initio minor.

XXXVII. Quantaunque vero esset veterum Iuristarum auctoritas: iudices tamen non obligabant eorum responsa. Hinc Cicero *pro Mur. XIII. Iureconsultorum responsa et decreta saepe de oratoribus dicundo euerit*, testatur. Et in *orat. pro a Caecina XXIV.* exemplum adducit Crassi, qui in iudicio centumuirali obtinuerit, ut Scaeuolae responsum minime valeret. Quare tunc ne signabant quidem responsa. *l. 2. §. 47. D. de orig. iur.* (certe id non videbatur necessarium, et plerumque utebantur verbis SVADEO *l. 3. §. 1. D. de minorib. vig. quinque ann.* VIDE TVR, PVTO, SENTIO. etc. Duaren. *Disp. ann. II, n. p. 1064.* ut ne iudici praescribere sententiam viderentur. Immo ob eandem causam omnibus, quibus esset studiorum fiducia, de iure respondere licebat. *l. 2. §. 47. D. de Orig. Iuris (u).*

XXXVIII.

(n) Errat ergo Theophilus §. 8. *de iure nat. gent. et ciu.*

XXXVIII. Sed ista mutauit Augustus, qui primus respondendi de iure facultatem certis tantum hominibus beneficii loco indulfit, adstrinxitque iudices, vt ne ab eorum responsis discederent. §. 8. *Inst. b. t. l. 2. §. vlt. D. de orig. iur.* Quamuis enim in dubium id vocet Iac. Gothofredus in *Comment. ad. C. Theod. Lib. I. Tit. 4. p. 32. 35.* vbi hanc iureconsultis auctoritatem partim iam ante Augustum saluam fuisse, partim denique a Valentiniano III. Imp. stabilitam esse putat: satisfecit tamen eius argumentis Thomas. *de naeuis iurispr. anteiust. II, 2. p. 67.*

XXXVIII. Augustus quibusdam priuilegium dedit de iure respondendi.

XXXIX. Causa huius sanctionis non ea erat, quam prodit Pomponius *l. 2. §. 47. D. de orig. iur. vt maior esset iuris auctoritas*, nec solum, vt noua responsa vetus edictum et iudiciale praetoris regnum euerterent, ceu acute coniecit V. A. Vlr. Huber. *Auspic. domest. V. p. 178.* nec, vt plebs, otii delinita dulcedine, atrocem reip. memoriam exueret, quae eiusdem est Huberi sententia: sed partim, ne plebs innumeris implicata litibus, de excutiendo iugo consilia conferret: (Thomas. *l. c. II. p. 70.*) partim vt eo ipso Augustus legislatoriam potestatem callide sibi vindicaret, legesque pristino reip. statui accommodatas, per iureconsultos paullatim corrigeret, et ad praesentem reipublicae faciem detorqueret

XXXIX. Ratio huius instituti.

E 2

ciu. vbi iureconsultos vocat σοφῶς, οἷς τὸ νομοθετεῖν ἢ δῆμος ἢ σύγκλητος, ἢ βασιλεὺς ἐπέτρεψε, sapientes, quibus iura condere aut populus, aut senatus, aut princeps concessit. Nunquam enim in libera republica vel populi, vel Senatus concessione, opus fuisse responsuris de iure, inter omnes constat.

queret (x). Vnde et eam potestatem primo Ateio Capitoni, aliisque suarum partium ICTis, concessisse videtur.

XL.

(x) Praecipua Augusti cura fuit, *legum munia in se trahere.*

Tacit. *Ann. I, 3.* Cum ergo nouis omnino legibus opus esset, nouo hoc statu reip. plures quidem initio rogationes tulit ad populum, seruato veteri reip. more, et inde natae tot *leges Iuliae*, quarum pleraeque Augusto debentur, itemque *Falcidia*, *Aelia Sentia*, *Fufia Caninia*, *Papia Poppaea*, *Iulia et Titia*, et aliae: sed non integrum tamen erat Augusto, omnes antiquas leges eadem facilitate euertere, qua illas, sub triumuiratu latas, *uno edicto*, boleuerat. Tac. *Ann. III, 28.* Cum ergo refigi non possent leges antiquae, caeque tamen non conuenire viderentur nouo isti statui reipublicae: illud vnum supererat, vt per interpretationem eae ad praesentem reip. formam sensim deflecterentur. Iam magistratibus hoc permittere, non videbatur tutum: sibi soli id vindicare et inciuile, et inuidia plenum erat, et molestissimum. Reliqui ergo erant iureconsulti, tanto ad hoc negotium aptiores, quanto magis iam in vetere rep. potestas quaedam interpretandi penes istos fuerat. Quemadmodum vero hoc maximum erat Augusti arcanum politicum, quod, priscis vocabulis retentis, res nouas inueheret, *eadem magistratuum rerumque vocabula; nihil vsquam prisci atque integri moris* relinqueret: Tacit. *Annal. I, 3.* ita et iureconsultis, specie antiqui moris, instrumentis nouae dominationes vsus est, ita scilicet leges interpretaturis, quemadmodum id suo expediret imperio. His praestructis, totius nouae constitutionis reddi poterit ratio. Promiscuam istam respondendi licentiam sustulit, eamque concessit paucis. Cur vero? nisi vt eos seligere posset, quos sciret sibi fore obnoxios? Iussit eos non priuatim, sed publica auctoritate, respondere. Quamobrem? vt legum interpretatio ita penes se esset. Iudicibus eam legem dixit, ne ab istis responsis discederent. Quam ob causam? ne, obseruata legum antiquarum ruina, intercedere, et Augusti consilium turbare conarentur. Signo opus erat, non rationibus. Cur vero? vt ne per rationum

XL. Sequentes imperatores, (si a Caligula discefferis, qui totum iureconsultorum ordinem aboliturum se minabatur, teste Suetonio *Calig. XXXIV.*) hoc Augusti institutum diligenter seruabant, saltem vsque ad Hadrianum. De Tiberio saltim id patet ex *l. 2. §. 47. D. de orig. iur.* ex quo loco etiam apparet, Hadrianum iterum more maiorum unicuique dedisse facultatem respondendi, qui sui haberet fiduciam.

XL. Idem placuit imperatoribus frequentibus.

E 3

Roga-

tionum infirmitatem palam fieret, id agi, vt leges antiquae euerterentur. Ceterum vera esse haec omnia, vel ex iis patet, quae inter eum Antistiumque Labeonem acta sunt. Eminentissimi ea aetate Icti erant Antistius Labeo, et Ateius Capito, adeo, vt non immerito *quo pacis decora* eos appellet Tacitus *Ann. III, 75.* Quare operam dabat Augustus, vt hos potissimum sibi conciliaret. Labconi ergo consulatum offerebat, hoc fidelicet auctoramento calamum eius redditurus obnoxium. Sed *cum incorrupta libertate gauderet, ab ambitione bonorum vacuus.* Tacit. *Ann. l. c.* cumque *nihil ratum pensumque haberet, nisi quod iustum sanctumque esse, in Romanis antiquitatibus legisset:* Gell. *Noct. Attic. XIII, 12.* honorem istum plane respuit. Animaduertens vero Augustus, labeonis sibi operam parum utilem futuram Ateium Capitonem adortus, hunc modis omnibus ornare coepit, consulemque creauit. Tacit. *Ann. III, 75.* Erat enim hic eo ingenio, vt *eius obsequium non posset non dominantibus magis probari* iudice Tacito *Ann. III, 75.* Egregia sane adulationis specimina eum dedisse, obseruant Tacit. *III, 70.* Sueton. *de illustr. Gramm. XXII.* Ergo maximo hunc studio sibi adiungebat Augustus, vt eius opera in nouo dominatu vteretur. Haec historia egregie coniecturam nostram firmat. Intelligimus enim inde, I. Augustum de iureconsultis primariis sibi conciliandis magnopere laborasse. Quod sane non fecisset tantus

Rogatus enim a viris praetoriis, vt sibi liceret respondere, rescripsit, *hoc non peti, sed praestari solere*. Itaque ab Hadriano ad Alex. Seuerum libera denuo esse coepit respondendi facultas. Dodw. *Præf. Cambden. IX, u. p. 355*. Postea denuo reductum Augusti institutum, ceu patet exemplo Innocentii, iureconsulti, quem respondendi facultatem ab Imperatoribus accepisse tradit Eunapius *in vita Chrysanthii p. 268*.

XLI. Valentiniani III. et Theodosii constitutio de auctoritate iureconsultorum,

XLI. Non poterat non hoc Augusti priuilegium sectas, summamque iuris incertitudinem inuehere. Hinc de remedio cogitarunt Valentinianus III. et Theodosius iunior Imperatores, qui Papiniani tantum, Paulli, Caii, Vlpiani, et Modestini scripta iusserunt valere in iudiciis, et plura eorum praeualere paucioribus, ex paribus vero ea, inter quae Papiniani essent testimonia: si sententiae denique sine Papiniano pares essent, iudicis arbitrio locum esse. *L. vn. C. Theod. Respons. prudent. et ibi Gothofredus*.

Adda-

tus princeps, nisi eorum operam perutilem sibi in nouo principatu constituendo, legibusque ad praesentem statum flectendis, futuram, animaduertisset. II. Talibus iureconsultis amicis eum vti voluisse, quorum sibi obsequium probaretur, id est Capitonis similibus, qui non antiquo iuri mordicus inhaerent, sed callide inferuient temporibus. Ex quo denique colligimus, III. non alia de causa eam respondendi facultatem quibusdam tantum iureconsultis dedisse, quam vt eorum calamis vteretur, ad leges veteres et in libera republica receptas euertendas, et nouae imperii sui formae tanto facilius accommodandas. Plura de Augusti prudentia νομοθετικῆν diximus in *Præf. Comment. ad L. Iul. et Papianam*, quam euoluisset non poenitebit.

Addatur Thomaf. *de Naen. iurisprud. anteiufin.* II, 7. p. 112. *seq.*

XLII. Denique et id incommodum vifum Iuftiniano, qui Iureconfultorum fententias hinc inde decerptas in pandectas recepit, corpusque conficiendum curavit, aliquando non optime cohaerens, quippe e membris fibi difsimillimis compositum. *l. 1. §. 5. 6. C. de vet. iure enucl.*

XLII. Iuftiniani inftitutum.

XLIII. Quin et omni interpretandi facultate interdixit iureconfultis, eosque ad confcribendas metaphrafes et paratitla conficienda, condemnauit. §. 2. *Conft. de concept. Digest. Paratitla* quid fint, explicat Aeg. Menag. *Amoenit. iur. ciuil. XV.*

XLIII. Facultas interpretandi iureconfultis adempta.

XLIV. Reftat, vt quas fymbolas PRINCIPES, mutata reip. forma, ad ius Romanum contulerint, paucis dicamus. Initio Imperatores veterem leges ferendi morem aliquandiu retinuerunt. Hoc enim ritu fub Augufto, centuriatis comitiis ad populum latae funt leges *Iuliae, Aelia Sentia, Papia Poppaea*; fub Tiberio *Iunia Norbana*. Claudius quoque veteri ritu rogauit legem, vt Domitius in familiam Claudiam et nomen Neronis transfret. Tacit. *Annal. XII, 26.* Quin ne fub Galba quidem plane exoleuiffet veterem leges curiatis faltem de arrogatione ferendi ritum, patet ex Tacit. *Hift. I, 15.*

XLIV. Principes initio veteri ritu leges tulerunt.

XLV. Quemadmodum vero habita illa fub Imperatoribus comitia nonnifi quaedam priftinae libertatis fimulacra erant: ita Tiberius, princeps aftutus, tyrannicisque artibus

XLV. Deinde vfi funt Senatus confultis.

magis, quam quisquam alius, instructus, novum commentus est leges ferendi morem. Ut enim populo ius omne eriperet (y): comitia, magistratum creandorum causa habenda e campo transtulit in curiam, id est, et honorum conferendorum arbitrium non amplius populi suffragiis, sed senatorum sibi obnoxiorum sententiis subiecit. Tacit. *Annal.* I, 5. Sueton. *Tiber.* XXX. Restituit populo comitia Caius. Caligula Dio Cass. *LIX.* p. 647. sed illa paullo post ipse iterum illi eripuit. Idem p. 665. Ex eo tempore rarius vel magistratus creati, vel leges latae populi suffragiis: ast eo frequentius prodierunt SENATVSCONSVLTA, quibus plerumque praemittebatur *oratio principis*, non quidem semper ab ipso principe, sed saepius (z) a *quaestoribus*, qui *candidati* vocabantur,

(y) Falluntur ergo, qui cum Pomponio l. 2. §. 9. *D. de orig. iur. et Triboniano* §. 5. *Inst. b. r.* existimant, ideo in curiam e campo translata esset comitia, quia difficile esset, tantam populi multitudinem in unum convenire. Quasi difficilius id fuisset sub Tiberio, quam libera republica, quando tota Italia ad comitia confluebat. Cic. *Orat. ad Quirit. post redit.*

(z) In marmoribus saepe legimus QVAESTOR KANDIDATVS, Reines. *Inscr.* II, 26. IV, 4. TAMIAS KANΔΙΔΑΤΟΣ, Gruter. *Inscript.* p. ccccxv, 2. Vocabantur ita, qui libris, epistolis et orationibus principum in Senatu praelegendis praeerant. L. I. *D. de offic. Quaest.* Dio Cass. *LIV.* p. 617. Tacit. *Annal.* XVI, 27. Suet. in *Tiro VI*, eosque iam ab Augusto adhibitos constat ex Dione Cass. *LIV.* p. 539. et Sueton. *Aug.* LXV. Ideo vero dicti videntur candidati, quia post quaesturam statim praetores fiebant, et inde regebant prouincias. Lamprid. *Vid. Alex.* XLIII.

tur, recitata. Briffon. *Antiq. Rom. I, 17. p. 19.*
 Vnde *oratione Praecipuis cautum* dicitur, quod
 erat Senatus consulto constitutum *l. pen. D. ad*
Sct. Tertull. l. 8. pr. D. de transaction. l. 52. §. 10.
D. pro soc. l. 60. pr. D. de ritu nupt. l. 32. pr. §. 1.
seq. D. de don. int. vir. et vx. l. 1. l. 7. C. de praed.
min. non al.

XLVI. Equidem et libera republica fiebant
 SCTA: sed ea vim legum non habebant. Quam-
 uis enim initio, pulsis regibus, aristocratiam me-
 ditarentur patres, et hinc apud Dionys. Haricarn.
VI. p. 329. legem esse dicerent, iam inde ab vrbe
 condita, *quae omnia in senatus potestate ponat,*
praeter magistratum creationem, legum latio-

LXVI. Dif-
 ferentia Sct.
 in libera
 rep. et sub
 Imperatori-
 bus.

E 5

nem

XLIII. Vnde haec dignitas ingressus erat et quasi pri-
 mordium gerendorum honorum, et sententiae in senatu
 dicendae. Immo recentiore aevo saepe cum aliis digni-
 tatibus coniungebatur haec quaestura. Sane Anicius Au-
 cheniuss Bassus in marmore Romano praeter hanc quae-
 sturam etiam alios gessisse honores dicitur. Reines.
Inscript. VI, 4.

ANICIO. AVCHENIO. BASSO. V. C. QVAE-
 STORI CANDIDATO.

VNO. EODEMQVE TEMPORE. PRAETORI.
 TVTELARI. PROCONSVLI.

CAMPANIAE. PRAEFECTO. VRBI. TRIN-
 MAGISTRATVS.

INSIGNIA. FACVNDIAE. ET. NATVLIAM.
 SPECIOSA. LVCE. VIRTVTIS. ORNATI.

Talis etiam est Inscriptio. posit.

M. NVMMIO. ALBINO. V. C.

QVAESTORI. CANDIDATO

PRAETORI. VRBANO. COMITI.

DOMESTICO. ORDINIS. PRIMI. ET

CONSVLI ORDINARIO. ITERVM.

Reines. *Inscr. VII, 132* Legendus de hac dignitate
 idem Reines. *Var. III, 16, p. 600.*

nem, et bellum inferendi deponendique arbitrium: id tamen non persuaserunt plebi, libertatis popularis appetentissimae. Vnde non erat penes Senatum potestas legislatoria: sed quaedam tantum erant negotia, quae senatus populi iussu ad curam suam reuocauerat, vt puta, aerarium et pecunia publica, quae Senatus arbitrio dispensabatur: controuersiae in Italia suscitatae, publicaue obiurgatione vel grauiore decreto componendae: legationes aut ad indicendum bellum, aut alia grauiora negotia obeunda discernendae, aut exterorum excipiendae: prouisiones imperii et prouinciarum: conuocatio populi: ac denique indictio feriarum et supplicationum. Haec enim omnia Senatus solius curationi suberant, nisi tribuniciis intercessionibus res deuolueretur ad populum: ceu praeclare suo more docet Polyb. *Hist. VI, 12. seq.* et ex eo Zamosc. *de Senatu Rom. II. p. 174. et seq.* De his ergo solis in libera republica SCta condebantur, vt recte obseruatum a Bachouio in *πρώτοις, p. 38. seq.* Sed maxime senatus potestas exercebatur in trepidis rebus ac turbatis, quibus triste illud fieri solebat senatusconsultum: DARENT OPERAM CONSVLES, NE QUID RESPVBLICA DETRIMENTI CAPERET. Quod decretum summum ac latissimum in consules transferebat imperium, vt suo iure possent exercitum parare, bellum gerere, coërcere, etiam iniussu populi, vnde *extremum et ultimum hoc senatusconsultum* vocatur. Liu. III, 4. Sallust. *de bello Catilin. XXIX.*

Cic.

Cic. *Catilin.* I, 2. et *pro Milon.* XXVI. Caesar. *de Bello Ciuili* II, 1. Barn. Briffon. *de Form.* II. p. 212.

XLVII. Fiebant Scta non nisi in sacro auspiciisque dedicato loco (a). Romulus in templo Vulcani extra urbem Senatum coëgit. Plutarch. *Quaest. Rom.* XLVII, p. 276. Tullus Hostilius in curia Hostilia. Libera republica aedes Apollinis, Martis, Bellonae, Quirini, Castoris, Concordiae, Virtutis, Fidei, vt et curiae Hostilia, Pompeia, Iulia, senatui habendo inferuebant. Gell. *Noct. Attic.* XIV, 7. Nam et in curiis templa erant per augures dedicata. Gell. *Noct. Att.* VI, 7. Ordinaria tamen senacula erant aedes Concordiae, aedes Bellonae, et locus ad portam Capenam. Fest. *voce Senaculum* p. 431. Conueniebat Senatus stans temporibus, hoc est, singulis Kalendis, Nonis et Idibus, exemptis tamen diebus comitialibus, (quibus conuenire nefas habebatur per legem Papiam. Cicero *ad Fam.* I, 4.) nec non diebus atris, quibus senatum non nisi in rebus trepidis habere licebat. Dio Cass. XLV. p. 278. Et hi ordinarii conuentus *senatus* LEGITIMVS dicebantur. Si vero vel legatis vel aliis ob quamcunque causam Senatus extra ordinem dabatur: ille vocari

(a) Immo et non nisi peractis sacris, captisque auguriis, fiebant. Appian. *de bello ciu.* II. p. 216. Exempla existant apud Liu. XXII, 11. XXIV, 11. Non addicentibus auib, negotium in alium diem differebatur. Cic. *Epist.* X, 12. Augustus hac molestia liberaturus senatores, instituit, priusquam consideret quisque iure et merito supplicaret apud aram eius Dei, in cuius templo coiretur. Sucton. *August.* XXXV.

vocari solebat INDICTVS. Fr. Hotom. *de Senatu V.* Et tunc quidem conuocabantur plerumque senatores per edictum, quo olim frequentes adesse iuebantur QVI PATRES, QUIQUE CONSCRIPTI: Liu. *II, 1.* postea vero edici coepit: QVI SENATORES, QVIBVSQVE IN SENATV SENTENTIAM DICERE LICET. Fest. *voce conscripti et senatores* ibique Dacer. *p. 496.* Gell. *Noct. Att. XIV, 18.* Briff. *de Form. II. p. 264.*

XLVIII. Relatio facta a Consule, Dictatore, Praetore.

XLVIII. Frequens si aderat senatus, tum Consul, quem penes fasces eo mense erant, aut eo absente Praetor, aut Dictator, si quis erat, aut Interrex aut Praefectus vrbi, ad senatum referebat. Gell. *XIV, 7.* Si quando id recusaret consul: eas in se partes suscipiebat aliquis tribunus plebis, cui etiam ius erat, addere relationi consulis, quod e re videbatur, aut nouam de integro ordiri. Paull. *Manut. de Senatu V. p. 859.* Relationibus plerumque praefari solebant sollemni illa formula: QVOD BONVM FAVSTVM, FELIX, FORTVNATVM SIT. Sueton. *Calig. XV.* deinde addebant: REFERIMVS AD VOS, PATRES CONSCRIPTI. Briffon. *de Form. II. p. 165.*

XLIX. Rogatae sententiae.

XLIX. Finita relatione, sententiam rogabantur senatores (b), non verbis precatiuis, qualibus in comitiis utebantur rogatores, sed imperatiuis; DIC. SP. POSTVMI, QVID CENSES? Liu. *IX, 8.* vel QVID FIERI PLA-

(b) Qui rogabant, CONSVLERE, nec non PERROGARE SENTENTIAS dicebantur. Liu. *XII, 60. XXIX, 19.* Suet. *Aug. XXXV.*

PLACET? QUID VOBIS VIDETVR? Brisson. *de Form. II. p. 165.* Qua in re non idem semper, at plerumque is obseruabatur ordo, vt ante comitia princeps senatus; post comitia vero consules designati primo loco dicere iuberentur sententias. Sequebantur eos viri consulares, hos praetorii, tum aedilicii, quaestorii ac denique tribunicii (c), inter quos tamen reliquos anteibat, quem consul priorem rogasset, modo gradus magistratum non turbarentur. Cic. *Phil. V, 13.* Solebant vero consules, quem ordinem initio magistratus instituerant, eundem per totum annum tenere, donec cum morem antiquum C. Julius Caesar migraret. Sueton. *Iul. XXI.* Immo Augustus omnem ordinem plane sustulit, promiscue perrogans sententias, vt magis quisque attenderet. Sueton. *Aug. XXXV.*

L. Sententiam singuli dicebant stantes, formula vsi: QVOD C. PANSA VERBA FECIT DE—DE EA RE ITA CENSEO. Brisson. *de Form. II. p. 169.* Integrae eiusmodi senatorum sententiae existant apud Ciceronem. *Philipp. III, 15. V, 4. VIII, 11. IX, 7.* et apud Liuium passim. Nec licebat consulibus interpellare dicentes, quamuis aliena multa immisce-

L. Eaedemque ordine dictae.

rent,

(c) Tribuni plebis non erant olim senatores, nec ius iis erat dicentiae in senatu sententiae. Ante curiam itaque sedebant in subfelliis, donec scita ad se ferentur, quae ipsi vel approbant deinde, vel reiiciebant. Val. Max. II, 2. 7. At etiam senatoria dignitas iusque dicendi sententiam iis data sunt lege Atinia. Gel. *Noct. Att. XIV. ult.*

rent, quod data opera nonnunquam faciebant, qui senatus consultum fieri nollent (d). Cum enim ante et post occasum solis illud fieri non posset: Gell. XIV, 7. solebant *diem dicendo extimere*, vel *noctem postulare*, ut ita se infecta discedendum esset Senatui. Cicero *Epist. ad Quint. Fratr. II, 1. Epist. ad Att. IV, 2.* Gell. IV, 10. Qui plura capita vna oratione complectabatur, is iuebatur DIVIDERE SENTENTIAM. Cic. *ad Famil. I, 2. pro Milon. VI.* Senec. *Epist. XXI.* Qui alterius sententiam sequebantur, ASSENTIRI se, vnico verbo aiebant. Et hoc erat *verbo assentiri*, quod opponitur alteri muto assensui, quo quis *pedibus ibat in alterius sententiam*. Vtramque locutionem iungit Liu. XXVII, 34. L. *Veturius et Licinius censores eum tonderi et squallorem deponere, et in senatum venire, fungique aliis publicis muneribus, coegerunt, sed tum quoque aut verbo assentiebatur, aut pedibus in sententiam ibat.* Nonnunquam non omnino assentiebatur quis sententiis antea dictis, sed aliquid

(d) Erant et aliae artes, quibus SCta impetiebant Senatores. Postulare enim poterant, *ut consulerentur singuli*, vel, si tot non adessent senatores, quot praesentibus licebat perferri SCt. clamabant: *numera Senatam*. Festus *hac voce p. 338.* Coelius apud Cic. *Epist. VIII, 11.* SCt. enim a iusto paucioribus factum per INFREQUENTIAM FACTVM dicebatur, et irritum erat. Liu. xxxviii, 44. Tempore Ciceronis ducenti senatores frequentem senatum constituere videbantur. Cicero *ad Q. Fratr. Epist. II, 1.* Postea cccc, quod sublatum ab Augusto Dio Cass. *Lib. LIV. p. 545.* qui tamen sequente libro p. 550. eundem Augustum senatorum numerum secundum singulas SCti formas definiuisse ait.

aliquid praeterea addendum censebat, et tunc utebatur formula: **SERVILIO ASSENTIOR, ET HOC AMPLIVS CENSEO.** Cicero *Philipp. XIII, 21. (e).*

LI. Dictis denique sententiis, consuliserat, vel pronunciare aliquam vel eas suppressere. Licebat ei in tanta varietate sententiarum, earum auctores et principes edere, simulque iubere, ut quisque ex pronunciatis sententiis vnam amplecteretur. Et id sibi vult sollemnis illa locutio: **PRONVNCIARE SENTENTIAM,** apud Ciceron. *ad Famil. X, 12. I, 2.* Formula, qua tunc utebatur consul, haec erat: **QVI HAEC SENTITIS: IN HANC PARTEM, QVI ALIA OMNIA, IN ILLAM ITE, QVA SENTITIS.** Quae verba, lege praescripta, explicat Plin. *Epist. VIII, 14.* His dictis senatores mutabant locum, et singuli eo discedebant, ubi recitata fuerat, quam probarent, sententia. In quamcunque vero partem frequentior concesserat Senatus, de ea dicebat consul: **HAEC PARS MAIOR VIDETVR,** et in eam sententiam deinde conficiebatur Senatusconsultum. Briffon. *de Form.*

LI. Pronunciatio sententiarum factaque discessio.

II. p. 184.

LII. Varro equidem apud Gellium. *Noct. Attic. III, 18.* Senatusconsulta vel per **DISCESSIONEM** vel per exquisitas singulorum **SENTENTIAS** facta scribit, cum contra Ateius Capito et Tubero nullum sine discessione **SCT.** fieri

LII. Senatusconsulta quotuplicia.

(e) Aliquando etiam in altercationem abibant senatorum sententiae. Cuius rei exempla collegit Briffon. *de Form. II. p. 184. seq.*

fieri potuisse, censerent. Sed salua res est. Ad omne SCt. fiebat discessio: sed non semper singuli rogabantur sententias, et hinc illa demum SCt. per discessionem facta dicebantur, ad quae non singulorum fuerant exquisitae sententiae. Huber. *Digress. I. p. 87.*

LIII. Scripta
Senatusconf.

LIII. Denique SCt. sollemniter scribebatur, ita, vt primo dies, deinde locus, vbi Senatus habitus, tum porro, qui scribendo adfuerint (*f*), postea, quis ad senatum retulerit, et denique, quid placuerit senatui, referretur. Integra SCta verbis suis legitimis perscripta existant *in l. 20. §. 6. D. de hered. petit.* (vbi tamen plura mendose scripta esse, animaduertimus,) et apud Ciceron. *ad Fam. VIII, 7.* Frontin. *de Aquaeduct. II.* Briss. *de Form. II. p. 198.* Omnium vero integerrimum est SCt. Marcianum de Bacchanalibus, egregie illustratum a viro amplissimo, Corn. van Bynkersh. *de relig. peregr. Diss. II. p. 259. Opusc.*

LIV. Confir-
mata a tri-
bunis et il-
lata aedi Ce-
reris.

LIV. Verum ne sic quidem ratum erat SCt. nisi Tribunis etiam placuisset, qui, eo perlecto et probe expenso, literam T, si e republica videretur, addebant. Valer. Maxim. II, 2. 7. Sin minus placeret: suo illo sollemni VETO intercedebatur, moramque faciebant SCto, et tunc AVCTORITATES perscribi solebant. Cicero *ad Attic. V, 2. ad Fam. VIII, 7.* id est, vt expli-

(*f*) Scribendo enim aderant aliquot Senatores. Nonnunquam si scribis publicis hoc committere nollent ipsi viri amplissimi hanc in se operam suscipiebant, idque SCtum TACITVM vocabatur. Iul. Capitolin. *Gordicq. XII.*

explicat Dio Cass. LV. p. 629. ἡ μὲντοι καὶ τέλος
 τὴ ὡς κεκυρωμένη ἐλάμβανεν, ἀλλὰ ἀξικτώριτας ἐγίγνε-
 το, non vim Sct. obtinebat, sed auctoritas sena-
 tus dicebatur. Haec vero auctoritas non vim le-
 gis habebat, sed efficiebat, vt eadem de re ite-
 rum referri posset ad Senatum. Coel. apud Cic.
 Epist. VIII, 8. Postremo scriptum Sct. in aedem
 Cereris, Liu. III, 55. vel in aerarium deferebatur,
 Sueton. August. XCIV. et tunc Senatus dimit-
 tebatur formula sollenni: P. C. NEMO VOS
 TENET, vel NIHIL VOS MORAMVR.
 Cicero ad Quint. Fratr. I, 2.

LV. Eodem ritu et sub Imperatoribus con-
 dita sunt Scta, nisi quod princeps orationem
 praemitteret, et senatores plerumque petibus
 irent in principis sententiam. Quin eo pro-
 lapsa erat patrum adulatio, vt orationes princi-
 pum non nisi acclamationibus exciperent. Plin.
 Epist. IV, 9. et, ne periret eius adulationis me-
 moria, in acta referebantur. Idem. Panegyri.
 LXXV. Plura exempla occurrunt in scripto-
 ribus historiae Augustae, quae colligit Briffon.
 de Form. II. p. 187.

LVI. Enimuero, haec senatusconsulta non
 nisi ideo inuenerant Imperatores, vt viderentur
 veterem senatus auctoritatem libertatemque
 reipublicae tueri: Itaque ea fictione tantisper
 opus fuit, dum seruituti paullatim adsueuis-
 sent Romani. Hinc coeperunt sensim Im-
 peratores rescribere, editisque constitutioni-
 bus leges veteres abrogare, nouas inducere,
 irrogare priuilegia, omniaque, vt paucis
 Pars I. F dicam,

LV. Hoc ri-
 tu Scta et-
 iam sub Im-
 peratoribus
 facta.

LVI. Rescri-
 pta princi-
 pum.

dicam, pro lubitu decernere. Rescriptis illis principum vel ad libellos siue magistratum, siue vniuersitatum, siue priuatorum, respondebatur, et tunc ista EPISTOLAE seu LITERAE; *l. 3. §. 1. D. de test. l. 31. D. de re iudic.* illa SANCTIONES PRAGMATICAE, *l. 7. §. 1. C. de diu. rescript.* (Graecis enim *πραγματικὰ* dicuntur rescripta, uti Latinis *facta*: Iul. Capitolin. in *Macrin. Cap. XIII.*) haec denique ANNOTATIONES vel SVBNOTATIONES dicebantur. *l. 6. sequ. C. de diu. rescr. l. 1. C. de prec. Imp. offer.* Libellorum integra exempla exstant tum *l. 9. D. de lege Rhodia* tum in marmore Romano apud Briffon. *de Form. III. p. 292.* Aliquando a principibus vel de plano decernebatur, vel sententia cum plena causae cognitione ferebatur: Illae dicebantur INTERLOCUTIONES qualis *l. 13. D. quod met. caus.* haec DECRETA, quale exstat *l. 2. D. de his quae in testam. del.* Denique aliquando nouum ius constituebatur, et tunc dici solebant EDICTA (*g*) vel CONSTITUTIONES. De quo discrimine plura differunt iureconsulti.

LVII. Primus rescripsisse videtur Hadrianus Imp.

LVII. Primus ita rescripsisse videtur Vespasianus, cuius edictum exstat in *l. 4. §. 6. D. de legation.* At hic et successores rarius id auisi videntur: multo frequentius vero Hadrianus. Nam praeterquam quod sub eo principe noua quae-

(*g*) Id hic obseruari iuuabit, atrificiose admodum Principes sibi potestatem leges per edicta ferendi iensim vindicasse. Initio enim ea, quae SCRIS sanxerat Senatus, edictis promulgabant, postea firmata satis auctoritate, etiam incon-sulto Senatu, qui fieri placeret, edicere coeperunt. V. C. Burmann. *de Vectig. pop. Rom. VI p. 113.*

quaedam forma inri publico aequae ac priuato accessit, in tantum, vt Latin. Facatus *Panegy. ad Theodos. Cap. XI.* eum legibus imbuisse rempublicam dicat: nullius sane Principis antiquioris in Codice exstant constitutiones, quam Hadriani, a cuius temporibus etiam Gregorium codicem suum orsum esse, iam supra ostendimus. Plures etiam Hadriani Epistolae et sententiae Graece etiamnum exstant, collectae a Dositheo Grammatico, ex quibus satis constat, quam rationem in rescribendo respondendoque tenuerit Imperator. Eius deinde exemplum secuti sunt Antonini, ceterique Imperatores omnes, quorum rescripta quamplurima in codice Iustiniano, Theodosiano, vt et Gregoriano et Hermogeniani fragmentis exstant.

LVIII. Neque tamen ob rescripta illa statim desierunt SCta fieri, quamuis illa ex eo tempore rariora esse coeperint. Sane sub ipso Hadriano, vt alia exempla praetermittamus, prodierunt SCta Iuuentiana *l. 20. §. 6. D. de hered. pet. l. vlt. C. de seru. reipubl.* Apronianum, *Vlp. Fragm. XXIV, 8. l. 26. D. ad SCt. Trebell.* Tertullianum; *§. 2. Inst. de SCt. Tertull.* sum M. Antonino Orficianum. Memoratur etiam Oratio M. Antonini et Commodi, *l. 16. D. de R. N. l. 9. §. 3. D. de iure dot.* Orationes D. Seneri et Antonini Caracallae, *l. 32. pr. et §. 19. D. de don. int. vir. et vx.* Antonini Caracallae solius oratio *l. 3. D. de donat. int. vir. et vx.* Orationes vero principum pro SCt. accipi, supra §. XLV. monuimus. Recentius, quod de iure priuato

LVIII. Senatusconsulta tamen etiam post Hadriani tempora facta.

agat, Sct. mihi non succurrit. Et sane, qui ex eo tempore demum plane desiisse Senatusconsulta, quibus noua iura constituebantur, existimant, eis nos non inuiti nostram adiungemus sententiam.

LIX. Transi-
tio ad mate-
riam de pri-
uilegiis et
lege Regia.

LIX. Et hae sunt leges proprie sic dictae, quae Romae, cum libera adhuc republica, tum sub Imperatoribus, vigerunt. Iam et de aliis quibusdam rebus, quarum obiter hoc titulo meminit Imperator, quaeque ex antiquitati-
bus lucem aliquam desiderant, paucis agen-
dum. Eodem enim §. 6. b. t. quo de Principum
differit constitutionibus, etiam PRIVILEGIO-
RVM, vt et LEGIS REGIAE, qua populus
imperium omne et Principem transtulerit, fa-
cit mentionem. De vtrisque nonnulla monere
operae fuerit pretium.

LX. Privile-
gia quid fue-
rint cum
odiosa.

LX. Nonnunquam Imperatores quaedam
statuebant, quae ad personam singularem per-
tinebant, neque trahenda erant ad exemplum,
quae, siue poenam duriolem irrogarent, siue
quid alicui indulgerent ob meritum, PRIVI-
LEGIA, appellabantur, quasi *prinae leges* vt
tradit Gell. *Noct. Att. X, 20.* Isidor. *Orig. V, 18.*
Et olim quidem priuilegii vocabulum fere sem-
per in deteriolem partem acceptum videtur
pro poena extra ordinaria, quae certae perso-
nae tantum extra ordinem et exempli causa
infligebatur. Lex sane sacrata aequae ac de-
cemviralis dum PRIVILEGIA IRROGARI
vetuit, poenas eiusmodi duriores quibus-
dam hominibus extra ordinem infligi prohi-
buit, ceu vel ex verbo IRROGARI colligas,
quod

quod ad poenas pertinere nemo ignorat. Vid. Ger. Noodt. *ad Pandect. tit. de legibus senatusc. et long. consu. p. 18.* Enenckel. *de Priuileg. iur. Civ. I, 1. 2. et 3.* qui etiam obseruat, Ciceronem vocem priuilegium plerumque in deteriorem; rarius in meliorem partem accipere. Ast iam libera re publica, saepius hanc legem migrabant tribuni plebis, et quicumque e ciuibus ad maiorem potentiam adspirauerant. In Milonis odium Pompeius; in Ciceronis Clodius multa statuerat, quae a legibus abhorrebant, quaeque ipse Cicero *priuilegia* vocat, in oratione *pro domo XVII.* Postea saepe eo iure utebantur etiam Imperatores, eoque pertinet exemplum Hadriani, qui herae cuiusdam faeuitiam poena satis rigida relegationis in insulam vindicauit. *l. 2. in fine D. de his qui sui vel. al. iur.* Id vero non mirum in herili imperandi ratione. Theodosius tamen iusserat, vt si Imperator odiosum eiusmodi priuilegium irrogaret, poena triginta dies differretur. *l. 20. C. de poen.* Quam legem auctore Ambrosio, occasione tumultus, in ludis Circensibus Theffalonicae excitati, latam, illustrat Ad. Rechenb. *Dissert. Hist. polit. Tom. II. dissert. X.*

LXI. Ast solebant tamen et beneficia vel LXI. Tum
certo statui, vel hominum generi concessa, fauorabilia
PRIVILEGIA vocari. Vnde saepe in iure nostro occurrunt *priuilegia creditorum, pupillorum, militum, fisci*, reliqua: quamuis ea a priuilegiis discernenda, et *beneficia* potius legum vel iura singularia dicenda existiment, qui paullo accuratius rem expendunt. Cuiac. *Obs. XV, 8.*

Quin et singularibus hominibus concessa contra ius commune beneficia *privilegia* audiunt, tum apud auctores, tum in iure nostro, in quo etiam appellantur *privata privilegia*. l. 4. C. Theod. de itin. mun. vt et *personalia rescripta*. l. 5. eod. Taliia Privilegia fuerunt leges de Menandro l. 5. §. vlt. D. de capt. vt et de Hofst. Manc. l. 17. D. de legat. Conf. Iac. Gothofr. ad XII. Tab. tab. IX. p. 228.

LXII. Lex Regia qua potestas legislativa translata in Principes.

LXII. Vero ergo extremis temporibus summa potestas legislativa penes Principes fuit, quibus eam delatam esse per LEGEM REGIAM, consentiens est iureconsultorum opinio. Vlpian. l. 1. pr. D. de constitut. princ. *Quod principi placuit, legis habet vigorem: utpote cum LEGE REGIA, quae de imperio eius lata est, populus ei, et in eum, omne suum imperium et potestatem conferat.* Quae totidem verbis repetit Imperator §. 6. Inst. b. t. Meminit quoque eiusdem legis Alexander Imperator. l. 3. C. de testam. vbi ait: *Licet enim LEX IMPERII sollemnibus iuris imperatorem soluerit: nihil tamen tam proprium imperii est, quam legibus viuere. Legem enim Imperii hic eandem esse, ac legem regiam, iam dudum obseruarunt eruditi.* Sed et l. vn. §. 14. C. de caduc. tollend. AVGVSTVM PRIVILEGIVM appellatur a Iustiniano.

LXIII. Varias de hac lege sententias.

LXIII. Ast ea de lege dici non potest, quantae enatae sint inter eruditos controuersiae. Eam Hotomanus eandem esse putat cum ea, quae de regno Romuli lata fuerit, quam REGIAM etiam vocat Liu. XXXIV, 6. Ast eandem in Tribonianus cerebro fuisse natam, suspicabatur Mart. Shookius

kius in *diatrib. de lege regia Triboniani*, quam repetitis curis auctiorem edidit sub titulo *de quadruplici lege regia Francof. 1668. 12.* Cum enim Regium nomen perosi sint Romani, neque vnquam Augustus titulo tam inuidioso se passus sit ornari, nec verosimilie fiat, populum Romanum, qui Caesare interfecto, fessus ciuilibus discordiis, tolerabat magis monarchiam, quam perpetuam optabat, tam inimica libertati lege in seruitutem seipsum addixisse: non abs re suspicari sibi videbatur Shookius, quidquid de lege regia in iure nostro legitur, ex Triboniani natum esse ingenio. Nec multo aliter sentiunt Connanus *Comment. I. 16, 3. Vultei. ad §. 6. Inst. b. t.* Sed Hotomano iam Scipio Gentilis singulari *de lege regia* oratione; Shookio abunde satisfecit, doctiss. Huberus. *Digress. I, 16. sequ.*

LXIV. Res ita se habet. Cum Augustus omnia intestinis fessa diffidiis nomine principis in potestatem suam recepisset: Senatus aequae ac populus ei sensim plures honores decreuit, et modo hanc, modo illam τὴν κρείττην partem detulit. Sic anno V. C. DCCXXIV. ei concessa tribunicia potestas per omnem vitam; cautumque, vt ad Augustum prouocare ius esset, vtque ipse in omnibus iudiciis suffragium Minervae ferret. Dio Cass. *Hist. LI. p. 513.* Mox anno V. C. ICCCXXVII. consulatu septimo, solutus est Augustus legibus, idque denuo repetitum anno V. C. ICCCXXX. Dio, *LIII. p. 582. et LIV. p. 591.* Quod tamen non de omnibus omnino legibus, sed de lege Cincia intelligen-

LXIV. Quid de ea veroflatuendum.

dum esse, recte monet Ger. Noodt *de iure summi Imp. et leg. reg.* p. 777. Porro anno V. C. ICCCXXXI. eidem, vndecimum consuli, permiffum est a fenatu, vt proconsul femper esset, liceretque ei, quotiescunque vellet, ad fenatum referre, denique in prouinciis maior esset eius, quam proconsulum, auctoritas. Dio *LIV. p. 594.* Quin anno ICCCXXXV. facultatem ei dederunt, emendandi omnia suo arbitrio, ac leges, quas vellet, ferendi. Dio *LIV. p. 604.* Vt alia praetermittam huius generis, quae ab aliis ac potissimum Io. Frid. Gron. in *Orat. de lege regia* collecta sunt diligentius.

LXV. Lex Regia repetita, quoties Princeps nouum auspiciabatur imperium.

LXV. Haec itaque, aliaque SCta in gratiam Augusti subinde facta, postea repeti consueuerunt quotiescunque noui Imperatores inchoabant imperium. Sic de Vespasiano Tacit. *Hist. IV, 3. Tum Senatus omnia, principibus solita, Vespasiano decreuit.* Quae de lege regia recte interpretatur Pichena. Vnde apparet, quaecunque sensim Augusto detulerat fenatus, ea postea Tiberio, aliisque principibus fuisse decreta. Omnia ergo illa SCta non vno eodemque tempore facta, saepiusque deinde repetita, simul sumta, LEX IMPERII vocari consueuerunt a iureconsultis, vt et LEX REGIA, exemplo, vt opinor, veterum Romanorum, qui, vrbe vix nata, Romulo supremam potestatem concesserant LEGE REGIA, cuius meminit Liu. *XXXIV, 6.* Quamuis Huberus *Digr. l. c.* posterius nomen Antoninorum demum temporibus, alii adhuc ferius, inualuisse existiment. Conf. Io. Frid. Gronou. *Orat. de leg. regia.*

regia. Ian. Vinc. Grauina *de Orig. iur. civ.*
CXIV. p. 139. *seq.*

LXVI. Caue vero existimes, hac ipsa *lege regia* in seruitutem se addixisse Romanos, seque omnino abdicasse imperio. Minime gentium. Quamuis enim id vulgo colligant ex Dione *LIII.* p. 582. *L. 1. D. de Const. princ. et L. 31. D. de leg. falsissimum tamen id esse, vniuersa docet historia. Sane post omnia illa S^Cta in gratiam Augusti facta, Caligulae Senatus vacationem legis Papiæ Poppæae caducariae dedit, teste Dione *LIX,* 747. Quid vero opus erat hac indulgentia, si iam lege regia Imperatores legibus omnibus fuerint soluti? Ergo iis legibus soluti erant principes, quibus eos nominatim soluerat S. P. Q. R. vt paullo post ex fragmentis tabulae Capitolinae apparebit. Conf. Ger. Noodt. *Dissert. III. de iure summi Imp. et lege reg. p. 778. et Obs. I, 3. p. 411. seq.* Ian. Vin. Grauina *de orig. iur. civ. l. c.**

LXVI. An hac lege dominatus Imperatorum stabilitus?

LXVII. Ceterum regiae illius legis sub auspicia Imperii Vespasiani repetitae fragmentum bene longum ac egregium exstat in tabula aenea Capitolina quam in Lateranensi basilica primus initio saeculi XVI. descripsit et *Lib. II. de mirand. vet. Rom.* edidit Franc. de Albertinis, ex eo vero postea recusam dedit Gruter. *Inscript. p. CCXLII.* cuius *γνησίοντα* in dubium a nonnullis vocatam Hotomanus, pluresque viri doctissimi, et nuper etiam clarissima Romanae antiquitatis lumina Blanchinus, Fabretus, nec non postea Iustus Eccardus, qui ipse hoc monumentum descripsit et luculenta expli-

LXVII. Fragmentum legis Regiae.

catione illustravit, agnouerunt. Illorum epistolae hanc in rem scriptae exstant apud Ian. Vincent. Grauin. *l. c. p. 231. sequ.* Ipsum vero illud legis fragmentum ita se habet :

FOEDVSVE. CVM. QVIBVS. VO-
LET. FACERE. LICEAT. ITA.
VTI. LICVIT. DIVO. AVG. IVLIO.
CAESARI. AVG. TIBERIOQVE.
CLAUDIO. CAESARI. AVG. GER-
MANICO.

VTIQVE. EI. SENATVM. HABE-
RE. RELATIONEM. FACERE.
REMITTERE. SENATVSCONSVL-
TA. PER. RELATIONEM. DISCES-
SIONEMQVE. FACERE. LICEAT.
ITA. VTI. LICVIT. DIVO. AVG.
TI. IVLIO. CAESARI. AVG. TI.
CLAUDIO. CAESARI. AVG. GER-
MANICO.

VTIQVE. CVM. EX VOLVN-
TATE. AVCTORITATEM
IVSSV. MANDATVVE. EIVS
PRAESENTEVE. EO. SENATVS.
HABEBITVR. OMNIVM. RERVM.
IVS PERINDE. HABEATVR. SER-
VETVR. AC. SI. E. LEGE. SENA-
TVS.

FVS. EDICTVS. ESSET. HABERE.
TVRQVE.

VTIQVE. QVOS. MAGISTRA-
TVM. POTESTATEM. IMPE-
RIVM. CVRATIONEMVE. CVIVS.
REI. PETENTES. SENATVI. PO-
PVLOQVE. ROMANO. COMMEN-
DAVERIT. QVIBVSQVE. SVFFRA-
GATIONEM. SVAM. DEDERIT.
PROMISERIT. EORVM. COMITIS.
QVIBVSQVE. EXTRA. ORDINEM.
RATIO. HABEATVR.

VTIQVE. EI. FINES. POMERII.
PROFERRE. PROMOVERE.
CVM. EX. REPUBLICA. CENSE-
BIT. ESSE. LICEAT. ITA. VTI.
LICVIT. TI. CLAVDIO. CAESARI.
AVG. GERMANICO.

VTIQVE. QVAECVNQVE. EX.
VSV. REIP. MAIESTATE. DI-
VINARVM. HVMANARVM. PV-
BLICARVM. PRIVATARVMQVE
RERVM. ESSE. CENSEBIT. EI.
AGERE. FACERE. IVS. POTESTAS-
QVE. SIT. ITA. VTI. DIVO. AVG.
TIBERIOQVE. IVLIO. CAESARI.
AVG.

AVG. TIBERIOQVE. CLAUDIO. CAESARI. AVG. GERMANICO. FVIT.

VTIQVE. QVIBVS. LEGIBVS. PLEBISVE SCITIS. SCRIPTVM. FVIT. NE. DIVVS. AVG. TIBERIVSQVE. IVLIVS. CAESAR. AVG. TIBERIVSQVE. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. GERMANICVS. TENERENTVR. IIS. LEGIBVS. PLEBISQVE. SCITIS. IMP. CAESAR. VESPASIANVS. SOLVTVS. SIT. QVAEQVE. EX. QVAQVE. LEGE. ROGATIONE. DIVVM. AVG. TIBERIVMVE. IVLIVM. CAESAREM. AVG. TIBERIVMVE. CLAVDIVM. CAESAREM. AVG. GERMANICVM. FACERE. OPORTVIT. EA. OMNIA. IMP. CAESARI. VESPASIANO. AVG. FACERE LICEAT.

VTIQVE. QVAECVNQVE ANTE. HANC. LEGEM. ROGATA. ACTA. GESTA. DECRETA. IMPERATA. AB. IMPERATORE. CAESARE. VESPASIANO. AVG. IVSSV. MANDATVVE. EIVS. A. QVOQVE. SVNT. EA. PERINDE. IVSTA. RATAQVE. SINT. AC. SI POPVLI. PLEBISVE. IVSSV. ACTA. ESSENT.

SANCTIO.

SI. QVIS. HVIVSCE. LEGIS. ERGO.
 ADVERSVS. LEGES. ROGATIONES.
 PLEBISVESCITA. SENATVSVECONSVL-
 TA. FECIT. FECERIT. SIVE. QVOD. EVM.
 EX. LEGE. ROGATIONEVE. PLEBIS-
 VESCITO. S. VE. C. FACERE. OPORTE-
 BIT. NON. FECERIT. HVIVS. LEGIS.
 ERGO. ID. EI. NE. FRAVDI. ESTO. NEVE.
 QVID. OB. EAM. REM. POPVLO. DARE.
 DEBETO. NEVE. CIV. DE. EA. RE.
 ACTIO. NEVE. IVDICATIO. ESTO.
 NEVE. QVIS. DE. EA. RE. APVD. SE.
 AGI. SINITO.

Hoc est monumenti illius quantiuis pretii fragmentum, ex quo satis apparet, quod supra ostendimus, legem regiam ex multis Sctis in honorem Augusti, Tiberii, Claudii aliorumque Imperatorum factis, fuisse conflatam.

TIT. III.

DE

IVRE PERSONARVM.

Prima apud Romanos hominum diuisio erat in LIBEROS et SERVOS. Illi iterum vel INGENVI erant, vel LIBERTINI. Hoc titulo de libertate et seruitute; sequentibus de inge-

ingenuis et libertinis agitur. Tametsi vero seruitus sit iuris gentium: Romanorum tamen serui in plerisque differebant a reliquarum gentium mancipiis, ceu Germanorum Romano-
rumque comparatione ostendit. Tacit. *de moribus Germ.* XXV.

I Serui fie-
bant captiui-
tate.

I. Obseruandum ergo initio, Romanos captos bello hostes redegisse in seruitutem (a). Quemadmodum enim, qui, positis armis, vitro sese dedebant, sub iugum mittebantur, saluaque retinebant ingenuitatis iura: (quem ritum accuratissime, vt solet, describit Dionys. Halic. *Ant. Rom.* III. p. 159.) ita capti in acie, urbium expugnatione, sub corona veniebant. Gell. *Noct. Attic.* VII, 4. Illi DEDITITII, hi SERVI vocabantur, quod essent in bello seruati, itemque *mancipia*, quasi manu capti. §. 3. *Inst. b. t.*

II. Et quia
non pro per-
sonis, sed
pro rebus
habebantur.

II. Redacti in hanc conditionem non pro personis, sed pro rebus, immo pro nullis habebantur. Hinc non solum in iure rebus mancipi accensebantur: Vlpian. *Fragm.* XIX, 1. sed et Iuuen. *Sat.* VI. v. 221. alludens ad mores Romanorum scribere non dubitat: *O demens, ita seruus HOMO est? ὑπερβολικῶς* vt solet, nec tamen sine ratione. Quamuis enim serui essent *homines*, quamuis ratione status naturalis etiam *personae* dici possent:

(a) Ita agebatur cum hostibus. Excipiebantur ergo bella ciuilia, in quibus capti non in seruitutem redigebantur, l. 21. §. 1. ff. *de capt. et postl.* sed *proscribebantur* a victoribus. Quam proscriptionem, ita dictam a tabula, qua nomina proscriptorum proponebantur, primus inuenit L. Sulla, Vellei. *Paterc. Hist.* II, 28.

sent: *l. 22. pr. D. de reg. iur.* non tamen erant personae civiles, et hinc dicuntur ἀπρόσωποι Theophilopr. *Inst. de stip. seru. personam legibus non habentes*, Cassiod. *Var. VI, 8.* deinde sine capite, οἱ ἄδεμίαν πάλαι εἶχον κεφαλήν. Theoph. §. 4. *Inst. de cap. dernin.* Nihil ergo sibi acquirebant: non matrimonia contrahebant, sed in contubernio viuebant cum ancillis: nec gaudebant iure testamenti factionis et contractuum, nec vlla in personam seruilem cadebat obligatio, *l. 22. pr. D. de reg. iur.* Vnde secundum genus hominum vocantur a Floro *Hist. III, 20.*

III. Ex quo sequebatur, vt nec liberi seruorum melioris, quam mater, conditionis haberentur. Fructus enim, tanquam rerum accessiones, non secus ac ipsae res, ad dominos pertinere videbantur. Et eiusmodi quidem serui, domi nati, *vernae* appellabantur.

III. Etiam nascebantur ex ancillis.

IV. Porro et hoc inde fluebat, seruos aequae ac alias res posse legari, donari, immo et vendi: vnde perpetua Romae erat seruorum nundinatio, quotidiana comparatio. *l. 44. princ. D. de vsurp. et vsucap.* Qui seruos vendebant, promittere tenebantur eorum sanitatem. *l. 43. §. 1. D. de contr. emt. L. 16. §. 2. et L. 31. D. de euict.* Nonnunquam tamen mancipii sanitatem explorabant accensi gagatis lapidis odore, maxime si seruum morbo caduco laborare suspicarentur. Apulei. *Apolog. p. 303.* Sed et nudos venum exponebant seruos, ne quod vitium corporis latitaret. Seneca filius *Epist. LXXXI*, et pater *Controu. I, 2.* Immo de animi vitiis

IV. Et erant in commercio.

vitiis caueri solebat in eiusmodi venditionibus seruorum. Horat. *Serm. II, 3. v. 285. seq.* veluti, nec furem esse, nec fugitium, nec lenonem, noxis solutum esse, et quae sunt huius generis alia. Singulorum enim seruorum titulos scribi iusserant aediles, ut quid cuique morbi vitiique esset, intelligeretur. Gell. *Noct. Attic. IV, 2.* Seneca *Epist. XLVII.* Turneb. *Audu. XXIII, 2.* quamuis postea ea omnia essent palam pronuncianda. *l. 1. §. 1. D. de Aedil. edict.* Ceterum serui, quorum nomine nihil promittebatur, pileati veniebant. Gell. *Noct. Att. VII, 4.* quemadmodum bello capti sub corona. Varro *de rer. rust. II, 10.* trans mare aduecti, cretatis vel gypsatis petibus, Plin. *Hist. Nat. XXXV, 17. et 18.* Tibull. *III, 3.* Alia quae in seruorum venditionibus obseruata sunt, explicauit Briffon. *de Form. VI. p. 492. sequ.*

V. Saepe et in poenam fiebant serui.

V. Saepe et poenae loco in seruitutem detrudebantur facinorosi, veluti I. qui censum vel militiam subterfugerant, quippe qui, bonis in aerarium redactis, virgis caesi trans Tiberim veniebant. Dionys. Halic. *IV, p. 221.* Cic. *pro Caecin. XXIV.* II. Damnati ad metalla vel bestias, aliaque extrema supplicia. Hi enim serui poenae fingeantur. §. 3. *Inst. quibus modis ius patr. pot. solu.* Vid. infra *Lib. I. Tit. XVI. §. V.* III. Liberti ingrati, quippe qui etiam in seruitutem reuocabantur. Suet. *Claud. XXV. (b).* IV. Mulieres liberae, amore seruorum alienorum bacchantes, quam poenam tamen, earum commodo,

(b) Plura de huius iuris historia notabimus infra *Lib. I. Tit. VI. §. 9.*

modo, fustulit Iustinianus, *L. vnic. C. de Sct. Claud. tollendo*. V. Qui ab alio adfert, praestitaeque cautione edictis citati, per annum se haud stitissent, *L. 1. §. 2. C. de adfert. toll.*

VI. Quemadmodum vero nihil erat seruitute durius, nihil miserabilius: ita tantus erat libertatis fauor, vt illa non crederetur esse in commercio: neque adeo liceret ingenuis, se ipsos addicere in seruitutem (c). Multo minus rata habebatur venditio, si quis extraneus (d) hominem liberum venundedisset. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. I, 6.*

VI. Libertas non erat in commercio.

VII. Ast hinc mirae fraudes. Solebant enim adolescentes male feriatu se ipsos aliis vendendos dare, predii participandi causa, ac deinde pro-

VII. Serui tamen fiebant, qui se pretii participandi causa venundari passi erant.

(c) Quod licebat Ebraeis, vt docet Selden. *de iure nat. et gent VI, 7.* vt et Germanis, teste Tac. *de mor. Germ. XXIV.* non item fas erat Romanis. Vnde errat Ræuard. *Coniect. II, 8.* fugnes Tuscum vicum, vbi homines se ipsi vendiderint. Plautus equidem *Curcul. IV, 1. v. 19.*

Sub Veteribus, ibi sunt, qui dant, qui que accipiunt foenore:

Pone aedem Castoris, ibi sunt, quibus credas male:

In Tusco vico, vbi sunt homines, qui ipsi sese venditant.

Et Horat. *Serm. II, 3. v. 228.*

Ac Tusci turba impia vici.

Sed ibi de improbis meretricibus et lenonibus sermone esse; iam pridem obseruarunt eruditi. Vid. Taubmann. *ad Plauti Curcul. l. c.*

(d) Patribus equidem licebat filios, quos habebant in potestate, ter venundare: sed saluo tamen ingenuitatis iure. Manumissi enim ex ea seruitute non libertini erant, sed ingenui. Vid. infra *Lib. I, Tit. IV. n. 1.*

Pars I,

G

proclamare ad libertatem. Exemplum huiusmodi fraudis in scenam produxit Plaut. *in Pers. I, 3. v. 55. III, 1. IV, 3. v. 9.* Quare SCto demum cautum est (e), vt, qui essent maiores, seque pretii participanti causa venundari suissent, in seruitute manerent, *l. 1. l. 3. D. quibus ad lib. pro l. non licet.*

VIII. Varia
seruorum
ministeria.

VIII. Quamuis vero in seruorum conditione nulla sit differentia: §. 5. *Inst. b. t.* reuera tamen si eos, tanquam familiae partem consideres, discrimen haud vnum occurrit. Ratione *munerum* alii erant atrienses, alii dispensatores, alii medici, topiarii, pistores, capsarii vel *ματιοφύλακες*, scoparii, lecticarii, structores, scissores seu carptores, insularii (f), et quae alia erant seruorum ministeria, de quibus accurate actum a Laur. Pignorio *in libro de seruis eorumque apud veteres ministeriis*, et Tito Pompa in *Tractatu de operis seruorum coniunctim editis Amst. MDCLXXII, 12.* Ratione dominorum *privati* alii erant, alii *publici*. Illi priuatis seruiebant, hi ad publica adhibebantur ministeria et potissimum

(e) SCt. Claudiano hoc ius esse inuectum nescio quo auctore tradit Dionys. Gothofr. *ad §. 4. Inst. b. t.*

(f) Et horum profecto diuersissima erat in domo conditio. Nam seruorum quidam laudius habebantur in familia: alii contra neruis ac compedibus vincti seruiebant. Tales erant ianitores et ostiarii, quos in catena fuisse, docet Sueton. *de clar. Rhet. III.* Sic et ruri quidam vincti faciebant opus. Columella *de re rust. I. vlt.* Plin. *Hist. Nat. XVIII, 3.* Seneca *de Benef. VII, 10.* Huc comparata erant ergastula domestica subterranea, quae diligenter exploranda esse a circumspectis patribus familias, monet Columella *de re rust. I, 8.* Conf. Barn. Briff. *Antiqu. Rom. II, 9. p. 33.* Lips. *Elect. II, 15.*

mum magistratibus apparebant. Publici vel in poenam seruiabant, vel tanquam captiui redigebantur in seruitutem. Prior mos non caret exemplis, quamuis minus probaretur a recti exempli viris. Vid. Plin. *Epist. X, 40. 41.* Posteriore consuetudine nihil est frequentius. Et hi captiui. redacti in seruitutem, nomina plerumque accipiebant vel a prouinciis, vt *Brutiani, Cyprii*, vel a victoribus, a quibus in acie capti, veluti *Gelliani, Clodiani*, Lips. *Elect. I, 12. et Annot. ad Tacit. Annal. II. p. 95.* Eorum alii erant tabelliones, alii actores, alii notarii populi Romani. Et longe tolerabilior erat eorum, quam priuatorum seruorum, conditio, siquidem et ante manumissionem iure gaudebant, pro parte dimidia testamentum faciendi. Vlpian. *Fragm. XX, 16.* P. Pithoeus *Schol. ad Coll. Leg. Mos. et Rom. V, 2. p. 752.* edit. Ant. Schulting. Denique alii erant serui proprie ita dicti, alii statu liberi, qui destinata in tempus vel conditionem habebant libertatem, l. 1. *D. de statuliberis.* Sane et hi serui diserte dicuntur, l. 9. *pr. et l. 29. pr. D. de statulib. l. 12. §. ult. D. famil. ercisc.* Sic et serui rustici et vr bani distinguuntur in l. 99. *D. de legat.*

III. Vbi videndus Merill. *Obs. III, 5. pag. 143.* Alii denique adscriptitii, vel glebae adscripti. Quamuis enim et hi quibusdam ingenui videantur, ob l. *vn. C. de colon. Thrac.* eo quod iure connubii gauderent, et aliquid possent habere proprii: Thomas. *de vsu pract. distinct. inter liber. et seru. I, 16. seq.* erant tamen in commercio. d. l. *vn. C. eod. l. 21. C. de agric. et censit.*

Vnde saepe serui vocantur in iure nostro, nec a seruis differre, hinc inde dicuntur, *l. 21. fin. C. de agric. et censit. Nouell. CLXII. cap. 3.*

TIT. IV. ET V.

DE

INGENVIS ET LIBERTINIS.

Liberi homines subdividuntur in INGENUVOS et LIBERTINOS. Vtrorumque conditio denuo ex antiquitatibus Romanis eruenda est.

I. Ingenui
qui?

1. INGENVI erant Romanis, qui nunquam iustam seruiuerant seruitutem. Iniuste enim in seruitutem detrusi, impetrata libertate, non ad libertinorum, sed ad ingenuorum statum redibant. §. 1. *Inst. b. t.* Idem obseruandum de filiis, quos patres in seruitutem vendiderant, quod ter facere poterant ex instituto Romuli. Dionys. Hal. II, 28. Nam et hi manumissi non libertini erant sed ingenui. Paull. *Recept. Sent. I, 1.* Et ita interpretanda *l. 2. pr. Cod. Theod. de liberali causa*, vbi Constantinus M. negat, *libertatem*, id est ingenuitatem, *filiis eripi posse a parentibus*. Ingenuos enim καὶ ἐξοχῆν dictos esse *liberos*, ex *l. 4. D. de iust. et iure* patet. Immo ne ciuitatis quidem iura penitus perimebantur hac venundatione, Cic. *pro Caecin. XCV.* nec iis iure postliminii opus erat, si manumitterentur. Idem *de Orat. I, 181.* Bynkersh. *Opusc. p. 149. seq.* Denique et illi, qui ob aes alienum addicebantur creditoribus itemque filii familias noxae dediti, seruebant quidem, sed manumissi ingenuitatis iura

recu-

recuperabant. Quintilian. *Inst. Orat.* VIII, 3. et *Declam.* CCCXI. Iac. Cuiac *Obferuat.* XIII, 9. (a).

II. Si qui vero e iusta feruitute erant manumiffi, eos vocabant LIBERTINOS. Quamuis enim *libertini* vetuftioribus auctoribus fint libertorum liberi: Suet. *Claud.* XIV. fequiore tamen aeuo id maxime apud iureconfultos inualuit, vt et manumiffi dicerentur libertini Cafaub. *ad Suet. Aug.* XXV. Obferuatur tamen differentia, vt ratione patronorum dicantur *liberti*, ratione ftatus *libertini*. Oifel. *ad Caii Inftit.* I, 1. p. 7.

II. Et quinam libertini?

III. Manumiffiones antiquitus fiebant follenniter I. CENSU, quando feruus iuffu domini nomen fuum in cenfum Iuftrolem conferebat. Vlpian. *Fragm.* I, 8. p. 564. Non fine caufa vero Vlpianus meminit cenfus Iuftrolem. Non ftatim enim, atque eum cenferi iufferat dominus, plenam libertatem confequebatur, fed expectandum erat, dum Iuftrum conderetur: interim enim domino poenitere licebat, ceu ex Cic. *de Orat.* I, cap. 40 *oftendit* Lud. Charond. *annot. ad Vlpian. l. c. p. 564. edit.* Schulting. Adde *Append. Lib. I, §. 48.*

III. Ritus manumiffionis per cenfum.

IV. Deinde cum Vindex vel Vindicus, Vitelliorum feruus, coniurationem Brutorum aliorumque iuuenum ad fenatum detuliffet, Praemium ei decernebantur libertas et ciuitas.

IV. Manumiffionis per vindictam origo.

G 3

Vnde

(a) Signum ingenuitatis apud pueros et puellas erat bulla aurea, collo adpenfa, poftca toga praetexta. Theodor. Marfil. *ad Perf. Sat.* V, v. 35. p. 3.

Vnde et II. follenni illi manumiffioni, quae coram magiftratu fiebat, VINDICTAE nomen inditum Liu. II, 5. l. 2. §. 24. D. de orig. iur.

V. Eiusdem ritus.

V. Fiebat haec manumiffio coram Confule (b) Praetore, Procof. adhibito lictore, qui feruo percuffo, addebat verba: HVNC HOMINEM LIBERVM ESSE VOLO. Quo facto in girum actus feruus, inflicta alapa liber dimittebatur (c). Hinc Perf. Sat. V. v. 75. de Dama feruo, in girum acto:

- - Heu fertiles veri, quibus vna Quirites
Vertigo facit: hic Dama eft, non treffis agafio,
Vappa et lippus, et in tenui farragine mendax.
Verte-

(b) Et confules quidem etiam fequioris aevi ftatim, vt confulatam inierant, manumiffiones folebant explicare ad renouandam manumiffionis illius a Bruto factae memoriam. Id quod ex Calliodori Varr. VI, 1. p. 227. Ammiani Marcell. Hift. XXII, 9. aliisque locis egregie demonftrat P. Faber. Semeftr. I. ult. p. 194. Pertinent huc illa Sidonii Carm. II, ad Antrim. v. 545.

Nam modo nos iam fefta vocant, et ad Vlpia po-
fcunt

Te fora donabis quos libertate Quirites:
Quorum gaudentes expectant verbera malae.

Vt et illa Claudiani Conful. IV. Honor. v. 613.

Adfpice, mox laetum fonuit clamore tribunal.

Te faftos ineunte quater, foliennia ludit

Omnia libertas, deducrum Vindice morem

Lex celebrat, famulusque, iugo laxatus berili,

Ducitur, et grato remeat securior iccu.

Vbi conferri merentur Casp. Barthii Annot. p. 706.

(c) Subftituunt alii formulam: AIO TE LIBERVM MORE QVIRITIVM. Oifel. ad Caii Inft. I, I. p. 11. 12. edit. Schulting. Initio ipfe dominus haec verba pronuntiabat, pofttea, tacente domino, lictor, vel ea vt dicta accipiebantur, l. 23. D. de manum. vindict.

*Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama.*

Virga, qua seruus percutiebatur, *vindicta* vocata est, ab eodem, vt putatur, *Vindicio*. Et de ea idem Persius *Satyr. V, 88.*

Vindicta postquam meus a Praetore recessi.
Conf. Claud. *Paneg. de IV. Conf. Honorii v. 612.*
De alapis in manumissione inflictis legi meretur Casp. Barth. *ad Britton. Philipp. p. 406.* De formula manumittendi Fest. voce *manumitti* et Briffon. *de Form. VIII. p. 724.* Singulare est, quod notauit Appianus, *de bello ciu. Lib. IV. p. 669.* Labeonem moriturum seruum quendam, quem sibi fidissimum putabat, in tabernaculo dextra apprehensum circumegisse, moxque ei prae-buisse iugulum. Ea sane manumissio non fuit haec sollennis per vindictam peracta, quippe quam in iure fieri oportebat, sed alia priuata, et mortis causa facta, quae tantum libertatem Latinam tribuebat: vti rem recte explicat Merillius *Obs. VII, 14. p. 25.*

VI. Accessit porro III. ex legibus XII. Tabularum manumissio PER TESTAMENTVM, qua, si quibus libertas daretur verbis directis: DAVVS SERVVS MEVS LIBER ESTO: liberti eiusmodi vocabantur *Orcini*, seu *Charonitae*, quasi, qui nullum patronum, nisi in orco, haberent. Iac. Cuiac. *Obs. III, 23.* Sin verbis precativis vsus esset testator: ROGO HEREDEM MEVM, VT DAVVM MANVMITTAT; heres fiduciarius retinebat iura patronatus. Sin denique in certum diem vel sub-

VI. Manu-
missio per
testamentum.

conditione cuidam daretur libertas : is *statuliber* audiebat, nec plenam libertatem, nisi veniente die, vel existente conditione ; consequebatur. *l. i. pr. D. de statu lib.* Fest. voce *statuliber*.

VII. Et in sacrosanctis ecclesiis.

VII. Et hi quidem sunt antiquissimi manumittendi modi. Loco manumissionis per censum Imperatores Christiani (*d*) introduxerunt aliud manumissionis genus, quod fiebat IN S. S. ECCLESIIS, vt recitatis iussu domini tabulis, a clero signatis, seruus libertatem consequeretur. Ita ritum exponunt Augustin. *Serm. V.* a Sirmondo edit. Papien. in *Respons. III. p. 829.*

VIII. Nec non per epistolam, inter amicos, et per conuiuium.

VIII. Paulo ante ea tempora inualuerant manumissiones variae minus solennes, quales *I. PER EPISTOLAM et II. INTER AMICOS.* Illa initio sine omni sollemnitate expediebatur, donec Iustinianus quinque testium exigeret subscriptionem *l. vn. §. i. C. de Lat. libert. toll.* Haec ita fiebat, vt dominus seruum, praesentibus quinque amicis, liberum esse iuberet. Sufficiebat etiam ad libertatem, si seruum dominus III. CONVIVIO adhiberet. Glossae nomicae Labbaei, *περ μένσαν ἐλευθερία, ἔταν συνεσθιασθῆναι μοι κελύσω τὸν δῶλον μῶ.* *Per mensam libertas est, si tecum epulari seruum iussero.* Indecorum scilicet olim habebatur, cum seruis vilibusque homini-

(*d*) Et quidem Constantinus M. ceu patet ex *l. I. et 2. C. de his qui in eccl. manum.* Conf. Sozom. *Hist. eccl. I. 9.* Videtur tamen quibusdam Constantinus exemplum gentilium fecutus, qui et ipsi subinde vel in templis, ad aras Deorum, vel in publicis populi coetibus manumittebant, ceu obseruat Iac. Gothofred. *ad l. vn. C. Theod. de manum. in S. S. ecclesiis.*

minibus accumbere, iisque non lecti, sed subsellia, erant parata. Hinc parasitus apud Plaut.

In Stichus III, 4. v. 32.

Haud postulo equidem, me in lecto accumbere :

Scis tu, me esse imi subsellii virum.

Et in eadem comoedia serui duo : *V, 4. v. 27.*

--- Potius in subsellio

Cynice accipiemur, quam in lectis.

Quod si ergo seruus iuberetur accumbere : signum hoc erat datae libertatis. Plin. *Epist. VII, 16.* Quo et locus Luc. XII, 37. a nonnullis refertur. Sed et hic Iustinianus quinque amicorum, tanquam testium, exegit praesentiam *l. vn. §. 2. C. de Lat. lib. toll.* Sunt et alii modi innumerabiles Latinae libertatis, uti ait Iustinianus *l. vnic. C. de Latin. libert. toll.* Sic, imposita puero bulla ex praetexta, ille manumissus credebatur Sueton. *de clar. Rhetor. cap. I.* Manumissus censebatur seruus, quem dominus actis interuenientibus filium vocauerat, quamuis id non sufficeret ad adoptionem. *§. 12. Inst. de adopt.* Item, si ancilla a domino matronali habitu donata fuisset, vel seruus, domino volente, signasset tabulas. Quintilian. *decl. XXXIV.* Immo et mortis causa datam esse eiusmodi libertatem, ex *l. 15. D. de manumiss.* probat. Merrill. *Obs. L. VII. cap. XIV.*

IX. Denique et ipso iure, nolente licet domino, seruis nonnunquam libertatem competisse, nouimus. Causas a Iustiniano fere inuentas accurate recenset Thomas. *Diss. de usu pract. distinct. hom. in ingen. et libert. I, 32.*

IX. Serui nonnunquam ipso iure libertatem sunt consecuti.

X. Liberti-
norum vnum
initio genus.

X. Ceterum antiquissimis temporibus vna erat eademque omnium manumissorum libertas: siquidem manumissione non solum libertatem, sed et ciuitatis iura consequiebantur, idque instituerat Seruius Tullius, qui et ipse libertinae fuerat conditionis. Dionys. Halic. IV. p. 126. Quam in rem Cicero *pro Corn. Balbo Cap. IX. Seruos denique quorum vis, fortuna et conditio infima est, bene de republica meritos, persaepe libertate, id est, CIVITATE, publice donari, videbamus.* Ciuitatem ergo vna cum libertate consequiebantur serui, sed ita, vt in quatuor urbanas tribus, tanquam ignobiliores, describerentur. Flor. *Epit. Liu. XX.*

XI. Quod
mutatum
lege Aelia
Sentia.

XI. Enimvero cum ciuitas deinde tota scelestissimorum hominum colluie impleretur, nequissimique homunciones, a dominis manumissi, ciuium iura inuaderent: (Dionys. Hal. *l. c. p. 228.*) primum sub Augusto, lege Aelia Sentia cautum est, ne serui sceleris causa publice caesi, victi, aut torti, aut stigmatate vsti (e), impetrata a dominis libertate, melioris

(e) Solebant enim serui ob leuia crimina flagellis caedi, dominisque reddi. *l. 10. princ. D. de poen. l. ult. D. de iniur. Paull. Sent. Recept. V, 4. 22.* Nonnunquam etiam ea lege reddebantur dominis, vt aliquandiu in vinculis haberentur. Paull. *l. c. et v. 18. 1.* Fugitiuis vero seruis epigramma in facie scribebatur, et talibus quidem plerumque literis: F. H. E. L. T. *Fugitiuus hic est L. Titii.* Quibus de notis multa congeffere Oisél. ad Caii *Inst. I, 1. 3. p. 16. seq.* Lips. *Elect. II, 15.* Rader. ad Martial. *Epigr. II, 25. et VIII, 70.* Rad. Forner. *Rer. Quotid. VI, 26.* Tit. Popma, *de operis seru.* Ioan. Rhod. ad Scribon. Largum. *cap. 231.* Io. Nicol.

ris essent conditionis, quam dedititii. Sueton. *Aug. LX.* Dio Cass. *LV. p. 556.* Vlp. *Fragm. I, 11.* Caius *Inst. I, 1. 3. p. 15.*

XII. Postea A. V. C. DCCLXXI. M. Iunio Silano et L. Iunio Norbano Balbo Coss. lata est lex Iunia Norbana, qua cautum, vt manumissi per epistolam aut inter amicos, aliisque modis minus sollennibus, de quibus supra §. VIII. non ciuium, sed Latinorum tantum iura consequerentur. Vlpian. *Fragm. I, 10.* Cai. *Inst. I, 1, 2.* et ibi viri docti. Hinc non desunt exempla manumissionum per epistolam aut inter amicos, per vindictam deinde ideo confirmatarum, vt liberti iura ciuitatis consequerentur. Plin. *Epist. VII, 16.* Nonnunquam et ab Imperatoribus Latini Iuniani iura Quiritium impetrabant. Plin. *Epist. X, 4.* Introducti subinde et alii modi, quibus iura Quiritium consequerentur Latini Iuniani, veluti, si quis vxorem duxerat, testatione interposita, quod *liberorum quaerendorum causa* id fecerit, ex eoque matrimonio natus erat filius: si quis Romae triennium inter vigiles militauerat: si naue X. M. modiorum frumentum Romam deportauerat. Suet. *Claud. XIX.* si aedificium Romae construxerat. Vid. Vlpian. *III, 2. seq.*

XII. Et postea lege Iunia Norbana.

XIII.

Nicol. *de Sigl. vet. XXV.* Stigmata eiusmodi vultibus imprimi vetuit Constantinus *l. 17. C. de poen.* ex eoque tempore seruis fugitiuis circumdata collaria ferrea, vel laminae collis adpenfae, quibus epigrammata inscripta. Delineatas eiusmodi lamellas dedit Iac. Spon. *Miscell. Erud. Antiq. p. 300. 301.*

XIII. Hinc
libertini
alii ciues,
alii Latini
Iuniani, a-
lii dedititii.

XIII. Ex eo ergo tempore trium generum erant libertini. Alii enim fiebant CIVES ROMANI, alii sola consequebantur iura Latino- rum, dicti hinc LATINI IUNIANI. Alii denique vtriusque iuris expertes ad DEDITI- TIORVM tantum conditionem adspirabant, Iac. Cuiac. *Obs. IV, 5.*

XIV. Qui-
nam Lati-
ni Iuniani?

XIV. Iura ciuitatis quaenam fuerint, inter omnes constat, et infra ostendetur accuratius. LATINI IUNIANI eiusdem erant conditionis cum Latinis, in colonias deductis. Vlp. *XIX, 4. Fragm. Regul. ex vet. Iureconf. VIII, p. m. 805.* quales coloniae passim in orbe Romano exsta- bant, etiam aevo Imperatorum. Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I, 9.* Libertate igitur gaudebant, participes erant commerciorum, et mancipa- tionum cum ciuibus, Vlp. *XIX, 4.* et familiae emtores, et testes, et libripendes fieri, (Vlp. *XX, 8.*) quin et fideicommissum capere pote- rant. (Vlp. *XXV, 6.*) Sed tamen nec testari iis licebat (f), nec ex testamento quidquam cape- re, nisi intra centum dies creationis iura Quiri- tium consequerentur. Vlp. *XVII, 1.* Hinc vul- go dicitur, vixisse Latinos Iunianos vt liberos, decessisse vt seruos. *l. vn. C. de Lat. lib. toll.*

XV. Quates
dedititii.

XV. DEDITITII vero vix vmbram liberta- tis consequebantur. Nam et iuris commercio- rum,

(f) Videntur tamen et Latini Iuniani testari potuisse, vo- lentibus concedentibusque patronis. Nam et domini permittere poterant ipsis seruis testamenti factionem, ceu apparet ex Plin. *Epist. VIII, 16.*

rum, mancipationumque, erant expertes, et testamenti factione tum actiua, tum passiuā, plane carebant, et, quae miserrima erat eorum conditio, nulla ipsis spes supererat, vlllo modo ad ciuium Romanorum, vel Latinorum saltim, conditionem adspirandi, Suet. *Aug. XL*. Caius *Inst. I, 1. 4.* adeoque eiusdem erant conditionis cum populis dedititiis (g).

XVI. Et haec differentia libertinorum fuit etiam sub imperatoribus insequentibus obseruata. Quamuis enim Antoninus Caracalla in nota illa lege *in orbe Romano l. 17. D. de statu hom. ciuitatis iura cum omnibus, qui in orbe Romano viuerent, communicarit: id tamen beneficium non ad libertinos, sed ad ingenuos tantum pertinuit, vt recte obseruarunt Ezech. Spanh. Orb. Rom. II, 5. Ant. Schulting. ad Caii Inst. I, 1. 2. p. 13.*

XVI. An ea differentia sublata ab Antonino Caracalla?

XVII. Primus Iustinianus discrimen istud sustulit, *l. vn. C. de dedit. lib. toll. l. vn. C. de Lat. lib. toll.* quibus constitutionibus omnibus libertinis iura ciuitatis indulgit. Quin immo, quae erat Imperatoris liberalitas, denique omne discrimen inter ingenuos et libertinos sustulit, saluo

XVII. Iustinianus eam primus sustulit.

(g) Qui se, diuinaque et humana omnia dedebant, mittebantur sub iugum, de quo ritu videndus Dionys. Halic. *Ant. Rom. III, p. 159.* Qua formula deinde facta fuerit deditio; ex Liu. I, 38. ostendit Barn. Briffon. *de Form. IV p. 354.* Pet. Fab. *Semestr. I, 7. p. 36* Effectus vero erat, vt populi eiusmodi ingenuitatis quidem iura retinerent, at nullo modo ad ciuitatis commoda adspirarent. Conf. Car. Sigon. *de antiq. iur. Ital. I, 1. p. 47.*

saluo tamen iure patronatus, omnibusque libertis ius aureorum annulorum et natalium restitutionem (b) dedit. *Nou. LXXVIII.* Quam parum prudenter id consilii ceperit Imperator, alii ostenderunt. Vid. Wissenb. *ad Tit. C. de iure aur. p. 360.* Thomaf. *de vsu pract. dist. hom. in ingen et libertin. I, 31. seq. p. 18.*

XVIII. Insignia libertinorum.

XVIII Certum inter insignia libertinorum erat, quod veste alba et annulo donarentur a patronis. Tertull. *de resurr. cap. LVII.* et deinde pileati et capite raso incederent. Et capillos quidem radere solebant in templo Feroniae (i). De quo ritu videndi Taubm. *ad Plaut. Amphitr. I, 1. extr.* Alex. ab Alex. *Genial. dier. IV, 20.* Dalechamp. *ad Plin. II, 55.* Assumebant etiam praenomen, nomenque patroni suo addebant. Vid. infra *Lib. III. Tit. VIII. §. 1.* Quo alludens Persius *Sat. V. v. 77. Verte rit hunc dominus : momento turbinis excit MARCVS Dama.* Add. Arrian. *Diff. Epictet. II, 1.* Ceterum, quia, iam libertatem consecuti, non amplius pro rebus, sed pro personis habebantur; hinc in iure nostro qui statum mutarunt, et vel ex seruis liberi, vel ex liberis serui facti, non iidem censentur, sed vocantur *noui homines l. 27. §. 1.*

(b) De iure aureorum annulorum et restitutione natalium a principe impetrari solitis vid. Lips. *Elect. II, 8. lo.* Kirchmann. *de annullis XV. XVI.* Thomaf. *de vsu pract. dist. in ingen. et libert. I, 26. 27. p. 14. seq.*

(i) Qui mos ponendi capillos vtrum ad exemplum naufragorum introductus sit, an ab Atheniensibus Romam manarii, disputat Briffon, *Ant. Form. I, 11. p. 13.*

§. 1. *D. de adim. vel transfer. leg.* Itemque alii
homines. l. 98. §. 8. D. de solution.

TIT. VI.

DE IIS,

QUI ET EX QVIBVS CAVSIS MANV-
MITTERE NON POSSVNT.

Licentia manumittendi restricta primum est per legem AELIAM SENTIAM, cuius adeo historia, occasio, et materia ex antiquitate erunt explicandae.

I. Lata ea lex imperante Augusto, Sex. Aelio Cato, (ita enim cognomen ex vetustis monumentis primus restituit Henr. Noris. *Cenot. Pis. Diff. III. cap. IX.*) et C. Sentio Saturnio Coff. anno ab V. C. DCCLVII. Dio Cass. *LV. p. 557.* Vnde fallitur Mynsingerus *Comment. ad Instit. b. t.* dum mentionem huius legis fieri putat a Cicero in *Top. II.* Illa enim lex *Aelia Sentia*, cuius Cicero meminit, si genuina esset vulgaris lectio, a nostra foret diuersissima. Sed acute conicit Norisius, ab indocti scribae manu esse alterum *Sentia*, legem vero Aeliam in loco Ciceronis non aliam esse, quam *ius Aelianum*, vel Aelii *tripartita*, de quibus supra in *proem. §. VIII.*

I. Lex Aelia Sentia quando lata.

II. Occasionem legi dedit nimia manumittendi facilitas, qua fiebat, vt vrbs pessimorum vilissimorumque ciuium colluue adflueret. Quod quanto cum dedecore publico fuerit coniunctum praeclare ostendit Dionys. Halic. *Antiq. Rom. IV, p. 228.* *Talis est nostro tempore confu-*

II. Ratio huius legis.

confusio, et sic ad sordes atque ignominiam degeneravit Romanorum probitas, ut nonnulli a latrocinis, parietum perfossionibus, prostitutionibus, omnibusque aliis sceleribus, pecunia collecta, libertatem redimant, statimque se Romanos faciant: alii conscii dominis, et socii beneficiorum, homicidiorum, facinorumque, tum contra Deos, tum contra rempublicam susceptorum, eam ab illis gratiam recipiant: quidam ideo manumittantur, ut acceptum est, publico frumentum menstruum, et si qua alia liberalitatis in egenos ciues conferuntur a principibus, dent his, a quibus sint facti liberi. Accedebant aliae causae manumittendi parum honestae. Saepe domini seruos omnes manumittebant in fraudem creditorum. Tacit. Ann. XV, 55. Saepe serui a minoribus, quorum amores adiuuerant, libertatem sibi loco mercedis stibulabantur. Cuius rei exempla multa in scenam producunt Terentius et Plautus.

III. Plura
huius legis
capita.

III. Eam licentiam, cum indigna videretur Augusti seculo, lata hac lege coercendam putabat princeps prudentissimus. Quae de re Sueton. Aug. XL. *Manumittendi modum terminauit. Et paucis interiectis: Cum et de numero, et de conditione, ac differentia eorum, qui manumitterentur, curiosè canisset: hoc quoque adiecit, ne victus unquam tortusque quis villo libertatis genere ciuitatem adipisceretur.* Prius Augustus lege Fufia Caninia; posteriùs Aelia Sentia praestitit. Quintam necessariam tamque dignam seculo suo hanc legem existimabat Augustus, ut inter mandata extrema, quae Tiberio senatuique et populo

populo Romano dederat, huius quoque legis commendaret custodiam. Qua de re Dio Cass. *Hist. LVI. p. 591.* καὶ τὸ τέταρτον ἐντολὰς καὶ ἐπισκήψεις τῷ τιβερίῳ καὶ τῷ κοινῷ, ἀλλὰς τε καὶ ὅπως μὴ τ' ἀπελευθερώσι πολλὰς, ἵνα μὴ παντοδαπῶν ὄχλων τὴν πόλιν πληρώσωσι μὴτ' αὖ ἐς πολιτείαν συχναὶ ἐσγράψωσιν, ἵνα πολὺ τὸ διάφορον αὐτοῖς πρὸς τὸ ὑπήκουον ἦ. *Quarto mandata Tiberio, et reipublicae data, interque alia, ne multos manumitterent, ne promiscua turba urbs impleretur, neue multos iure ciuitatis donarent, quo magnum inter ipsos et subiectos discrimen remaneret.* Constat vero ea lex capitibus quamplurimis, quae non nisi sparsim ex auctoribus colligi possunt.

IV. Primo enim seruos flagitiosos, stigmatē IV. De dediti-
vstos, tortos, et ad ferrum datos, vetuit fieri ci-
uitatis. titiis.
ues Romanos, voluitque eos ad dedititiorum
tantum conditionem redigi. Vlp. *Fragm. I, 11.*
p. 566. Caius *Inst. I, 1. 3.* de quo capite actum ad
titulos antecedentes.

V. Deinde et impedimentum ea lex excitauit V. De aetate
ex aetate, tum seruorum tum dominorum. Nam
dominorum
neque seruus triginta annis minor, vindicta ma-
manumit-
numissus, ciuis Romanus fiebat, nec dominus tentium et
seruorum
XX. annis minor manumittere poterat; nisi alle-
manumit-
gata probataque causa apud consilium. Suet. *Aug.*
tendorum
XL. Dio Cass. *LV. p. 557.* Vlp. *Fragm. I, 1. 13.* Inter
has causas §. 5. *Inst. b. t.* etiam refertur manumissio
propter matrimonium. Sed haec non ex lege Ae-
lia Sentia est, (tunc enim nondum ciuibus licebat
ducere libertinas, (sed ex SCto quodam *l. 13. fin.*
D. de man. vind. quod hanc manumissionem ex
Pars I. H ratio-

rationibus legis Iuliae et Papiae admisit. Apud Gruterum *in scr. p. DCXXI.* nominatur PER-SICVS. SERVVS. MANVMISSVS. AD CONSILIVM. Consilium vero erat Romae confessus decemviro- rum litibus iudicandis, id est, quinque Senatorum totidemque Romanorum equitum: in prouinciis XXV. recuperatorum, ciuium Romanorum. Vlp. *l. c. Iac. Ræuard. Protribun. XVIII. et XIX.* Ger Noodt. *de iurisd. et imp. I, 12.* Et tale est τὸ συμβέβηκτον, cuius mentio fit Actor. XXV, 12.

VI. De manumissione in fraudem creditorum facta.

VI. Porro hac lege vetabantur manumissiones, quae fierent in fraudem creditorum, i. e. quae obligatos seruos creditoribus dolo malo eximerent, partemque detraherent pignorum, aut portionem solutionis creditori aut hereditatis patrono imminuerent. Vlpian. *l. c. §. 14.* Cai. *Inst. I, 1. 5.* Intelligendum hoc caput esse de Manumissionibus non minus inter viuos, quam vitima voluntate factis, egregie probat Schulting. *ad Caii Inst. l. c. p. 21.* Vbi tamen fraudulentus animus non concurrebat: valebat manumissio inter viuos facta. Et huc pertinet exemplum apud Tacit. *Ann. XV, 55.* vbi Sceuinus libertatum et pecuniarum in seruos collatarum rationem hanc reddit, *quia tenui iam re familiari, et instantibus creditoribus, testamento diffideret.*

VII. Contra dominos libertos inopes alere recusantes.

VII. Porro eadem lege adempta sunt dominis iura patronatus, qui libertos inopes alere negligenterent. *L. 33. D. de bon. libert. L. 6. D. de lib. agnosf.*

VIII.

VIII. Eadem lege iuribus patronatus excidebant, qui libertos ad mercedem operarum promittendam induxerant. *l. ult. §. 1. D. qui et a quib. manum. liberi non sunt.*

IX. Proditā etiam hac lege est actio aduersus libertos ingratos, non quidem, ut in seruitutem reuocarentur, (quod postea demum Claudius Imp. inuexit (a). Suet. *Claud. XXV.*) sed ut in lautumias darentur ad perpetuas operas. Vid. *Dosit. Sent. et Epist. D. Hadriani III, 3. p. m. 862. seq. Iac. Cuiac. Obs. X, 33. Vinc. Gratiua de Leg. et SCtis p. 528. seq.*

X. Accedit et aliud caput, quo iure patronatus exuuntur, qui hac lege manumifere, ut ne liberti uxores ducerent, aut liberos tollerent. *l. 6. D. de iur. patr.*

XI. Et haec quidem sunt potiora legis Aeliae Sentiae capita, quorum auctores et iura nostra meminere (b). Sed quod ad caput tertium

H 2

§. VI.

(a) Non videtur Claudius expressa quadam constitutione vel SCto definiuisse, in seruitutem libertos ob ingratitude a patronis reuocari posse, sed extra ordinem quosdam ingratos libertos ita multasse. Sane temporibus Neronis, cum ad Senatum referretur, ut liberti ingrati reuocarentur in seruitutem, id plerisque displicuit, additumque nihil aliud laeso patrono concedi, quam ut vicesimum ultra lapidem in oram Campaniae libertum possit relegare. Tacit. *Annal. XIII, 26.* Eoque iure vsi videntur Romani, donec Commodus Imperator, quod extra ordinem fecerat Claudius, edita constitutione induceret. *l. 6. D. de agnos. lib. Conf. Iac. Ræuard. Coniectan. I, u. p. 23. seq.*

(b) Aliud huius legis caput commemorat Iustin. *Nov. CXII, 1. edit. Haloandr. de donatione facta inter*

VIII. Contra dominos mercedem sibi a libertis stipulantes

IX. Contra libertos ingratos.

X. Contra dominos libertos prohibentes uxores ducere.

XI. Cur licuerit dominis obae-ratis feruum vnum hercedem necessarium instituere.

§. IV. a nobis recensitum attinet, illi adiecta erat exceptio. Licebat enim domino obaerato feruum suum cum libertate heredem instituire, ea lege, vt ei heres esset solus et necessarius. Eo ipso enim nihil admodum amittebant creditores. Sed dominus tantum id lucrabatur, vt ne bona suo nomine possiderentur a creditoribus, quippe quod veteribus ignominiosum videbatur. Cic. *pro P. Quint. XV.* Confer. infra. *Lib. II. Tit. XVIII. XIX. n. XI.*

XII. Lex Aelia Sentia ordini et integritati suae restituta.

XII. Scripseramus haec olim. Ast postea maiora ausi, ipsius legis fragmenta non modo diligenter conquisiuimus, verum etiam ea suo ordini suaeque integritati restituere conati sumus, ductu praecipue VLPANI, et Iulii PAVLLI, quorum ille quatuor; hic tribus libris hanc legem celeberrimam illustrauit. Huius diligentiae nostrae vt fructum capiat lector, totam legem vna cum probationibus hic exhibemus:

SEX. AELIUS. --- CATVS. ET. C. SENTIUS. C. F. C. N. SATVRNINVS. COS. POPVLVM. IVRE. ROGARVNT. POPVLVSQVE. IVRE SCIVIT. IN FORO. PRO. ROSTRIS. TRIBVS PRINCIPIVM. FVIT. PRO. TRIBV. PRIMVS, SCIVIT.

CAP. I.

virum et mulierem. Sed textum in mendo cubare, et pro lege *Sentia* legendum. *Cincia*, iam monuit Gothofredus.

CAP. I. (a).

DE IIS, QVI MANVMISSI

DEDITITI FIVNT.

Qui seruus, quaeue ancilla, poenae causa (b) a domino (c) VINCTVS VINCTAVE (d) aut in custodiam datus, datae (e), quibusue vestigia scripta (f), itemque, qui quaeue propter noxam tortus tortae, nocens inuentus inuentaue (g), item qui quaeue, vt ferro, aut cum bestiis depugnaret (h), damnatus, damnatae, aliove supplicio adfectus. adfectae (i) fuit: is eae, quoquo modo (k) manumissus manumissaue, iustam libertatem non consequitor (l), sed dedititiorum numero esto (m).

PROBATIONES.

(a) Caput hoc primum fuit procul dubio, partim quia praecipuum, partim, quod VLPPIANVS libro I. *Comment. ad L. Ael. Sent.* de eo egit. l. 216. ff. de V. S.

(b) Non ergo ob aliam causam vinctus vinctae, veluti ob furorem Paull. *Rec. Sent. IV*, 12. 7.

(c) Vel eius iussu a Procuratore. Paull. *ibid.* §. 8. non si solum feruum Dominus approbet, antequam vinctum sciret: Paull. *ibid.* nec si communi seruo vnus, altero non approbante, iniecisset vincula: Idem *ibid.* §. 5. nec si feruum oppignoratam vinctuerit creditor: *Id* §. 6. l. 24. §. vlt. *D. de pignor. act.* nec si seruo, quem manumittere iussus erat, vincula iniecerat heres. Paull. *ibid.* §. 4.

(d) Legitimum hoc fuisse vocabulum discimus ex VLPPIANVS *Lib. I. l. 216. de V. S.* vbi id non intelligendum esse monet de eo, qui carceri mancipatus, sed qui ibi vinculis constrictus fuit, quamuis alias, vbi de fauore vincti quaeritur, et in carcerem coniectus, pro vincto habeatur. l. 9. ff. *ex quib. caus. mai. 25. ann. in int. rest.*

- (c) Ita Vlpianus *Fragm. tit. I, 11*. Sed annon sibi ipse contrarius, cum paullo ante negare cum viderimus in custodiam datum pro vincto haberi? Negamus, quia in *l. 216. de V. S.* de priuato carcere; qui non nocebat sine vinculis: hic autem de carcere publico loquitur. Vid. Iac. Cuiac. *ad Vlp. l. c.*
- (f) Vlp. *ibid.* §. 11. Cai. *Inst. I, 1, 3*, nec opus videtur emendatione in textu Vlpiani, vbi pro *vestigia* quidam rescribi iubent *stigmata*.
- (g) Vlpian. *ibid.* non ergo si tortus de nulla culpa fuerat confessus. Paull. *Rec. Sent. ibid.* §. 3.
- (h) Ferro depugnant *gladiatores*, cum bestiis *arenarii*, Cui. *ad Vlp. Fragn. tit. I, 11*. De vtrisque plura nos in *Comm. ad L. Iul. et Pap. Lib. II. Cap. I, 1. et 2.*
- (i) Immo et virgis caesi publice. Cai. *Inst. I, 1, 3*.
- (k) Vlpian. *ibid.* Apud Suetonium *Aug. cap. 40.* est: *ne villo libertatis genere ciuitatem adipiscerentur*, id est, nec censu, nec vindicta, nec testamento.
- (l) Suet. *Aug. cap. 40.* Vlp. *ibid.*
- (m) Vlpian. *Fragm. I, 11.*

CAP. II. (a).

DE AETATE MANVMITTENDORVM
PER VINDICTAM.

Minor XXX. annorum seruus ancillae, censu (b) vindictae manumissus manumissaue, ciuitatis Romanae ius, nisi causa apud consilium probata, ne consequitor.

PROBATIONES.

- (a) Caput hoc secundum fuit, quia et aetas pertinet ad qualitatem manumittendorum, de qua curiose cauisse Augustum tradit Sueton. *l. c.* Meminit huius capituli Dio *LV. p. 557.* eiusque sententiam seruauit Vlpian. *Fragm. tit. I, 12.*

(b) Cui.

- (b) *Census* non meminit Ulpianus *l. c.* quia eius aetate ab usu pridem recefferat. Ast *Fragm. Reg. vet. Icti Pariatori LL. Mos. et Rom. subiunctum §. 17. Et qui in censum manumittitur, si XXX. annos habeat, ciuitate Romana potitur.* Ergo non minor XXX. annis.

CAP. III. (a)

DE AETATE ET CONDITIOE
MANVMITTENDO AVM PER
TESTAMENTVM.

Minor XXX. annorum (b), testamento manumissus manumissaue, quamuis in libertate moreretur, liber tamen et ciuis Romanus ne esto (c).

PROBATIONES.

- (a) Hoc caput a priore seiungi non potuit. Hinc coniunxit etiam vtrumque Ulpian. *Fragm. I, 12.*
- (b) Nisi libertas in hoc tempus data. Hinc frequens in testamentis formula: LIBER ESTO, SI ANNO-RVM XXX. ERIT. *l. 39 §. 2. fam. erc. l. 46. de manum. test. l. ult. D. de reb. dub. l. 13. §. 5. de statulib.* item, CVM PER LEGES LICEBIT, LIBER ESTO, *l. 38. de man. test.*
- (c) Serui itaque erant, quamuis in libertate morarentur, nec seruire eos pateretur Praetor. Post legem Iuniam Norbanam omnes iustam libertatem per manumissionem haud consecuti, praeter dedititios, Latini erant, adeoque et hi eiusdem conditionis censebantur. Ulp. *ibid. et ad h. l. V. C. Ant. Schultingius.*

DE CONDITIONE EX HVIVS-
MODI PARENTIBVS
NATORVM.

Ex his, qui quacumque iustam libertatem non consequuntur, nati nataeque, civis Romani et in parentum potestate ne sunt. Sin civis Romanus huiusmodi mulierem, quasi civem, per errorem duxerit, siue civis Romana per errorem ei, qui deditiorum numero erit, nupta fuerit; causa apud consilium probata, civitas tam liberis, quam parentibus (b), praeter eos, qui deditiorum numero erunt, redditor, illique in patria potestate sunt.

PROBATIONES.

(a) Hoc quoque caput a superioribus seiungi non potuit. Expressimus illud ex Vlpiani *Fragm. VII, 44*. Idem caput in mente habuit Caius *apud Pariat. LL. Mos. et Rom. Tit. XVI*. dum scripsit: *Idem iuris est de his, quorum nomine ex L. Aelia Sentia vel ex SCto post mortem patris, causa probata, in potestate eius futuri essent.*

(b) Probanda ergo causa erat vivis parentibus, At postea ex SCto etiam post mortem patris fieri poterat probatio. Caii. *ib.* Vnde miror, de sententia huius SCti, et an eo diuersum quid a Lege Aelia Sentia cautum sit, disputare ad Caii locum viros ductos.

CAP. V. (a).

DE MINORE XX. ANNIS

MANVMITTENTE.

Minori XX. annis (b) non aliter, quam per vindictam (c), causaque apud consilium probata (d), manumittere ius esto (e).

PROBATIONES.

- (a) Egere de hoc capite VLPIANVS *Lib. II. l. 16. ff. de man. vind.* PAVLLVS *Lib. I. l. 15. de manum. vind.* Vnde id a superioribus proximum locum tenuisse patet. Vti enim prima legis parte de conditione manumittendorum; ita secunda de manumittentibus actum. Sententiam capitatis habemus apud Cai. *Inst. I. 1. 7.* Vlpian. *Fragm. I, 13.* et in §. 5. *Inst. qui et ex quib. caus. man. non poss.*
- (b) Coeptum tamen annum XX. pro completo habitum, colligo ex *l. 74. §. 1. ff. de SCT. Treb.*
- (c) Attamen, qui vindicta possunt apud consilium manumittere, possunt etiam heredem sibi necessarium testamento scribere. PAVLL. *Lib. I. l. 27. de man. test.*
- (d) Modo causa ex affectu, non ex luxuria, descendat, VLP. *Lib. II. l. 16. de man. vind.* Qualis est sanguinis coniunctio VLPIAN. *Lib. II, l. 12. eod.* item conditionis implementum PAVLL. *Lib. I. l. 15. D. eod.* Aliae causae recensentur in *l. 9. 11. 12. sequ. D. eod. et §. 5. Inst. b. t.* Sunt tamen quaedam non ex hac lege, sed ex SCTis, de quibus *l. 13. fin. l. 4. C. qui man. non poss.* Add. Cuiac. *Obs. XV, 13.*
- (e) Quid si minor XX. annis seruum alii dederit, vt manumitteretur? Vid. *l. 20. §. ult. D. de man. l. 16. §. 1. D. de man. vind.*

CAP. VI. (a).

DE FEMINA MANVMITTENTE.

Ne feminae, nisi auctoribus tutoribus suis (b), libertatem seruis dare ius esto (c).

PROBATIONES.

- (a) De hoc quoque capite egit PAVLLVS *Lib. I. l. 16. D. de auct. tut.* Sententiam eius seruauit *Fragm. Vet. ICri post Fariat. LL. Mos. et Rom. §. 15.*
- (b) Etiam si coeci sint tutores. PAVLL. *Lib. I. l. 16. de auct. tut.* Si Femina per epistolam manumittebat, disputabatur, utrum, dum scriberet illa epistolam, an tunc, quando eam seruus acceperit, interponenda sit auctoritas? Vid. laudat. *Fragm. §. 15.*
- (c) Nisi iure liberorum per legem Papiam Poppaeam tutela liberaretur. *Fragm. Vet. ICri §. 15. Vlpian. Fragn. II. §. ult. Addatur Comment. noster ad Leg. Iul. et Pap. Lib. II. cap. II. p. 233. sequ.*

CAP. VII. (a).

DE MANVMISSIONE IN FRAVDEM

CREDITORVM.

Qui in fraudem (b) creditorum manumissit, nihil egisse censetur (c), et manumissus manumissaue seruus ancillaue manento.

PROBATIONES.

- (a) De hoc quoque capite PAVLLVS adhuc *Lib. I. Commentarii sui* egit. Sententia extat apud Cai. *Inst. I. 1. 5. Vlpian. Fragn. I, 14. in pr. Inst. b. r. l. 16. §. 2. D. qui et a quib. man. lib. l. 1. C. qui man. non poss.*

(b) Quid

(b) Quid vero est in fraudem manumittere? *l. 10. D. qui et a quib. man. lib. non sunt. l. 79. D. de R. I.* Hac lege nec miles solutus. *l. 29. §. 1. D. de rest. mil. l. 8. §. 1. D. qui et ex quib. caus. manum.* Non tamen legem violat, qui minor. XX. annis heredem rogavit, vt seruum proprium manumitteret. *l. 34. §. 1. D. de fideic. libert.*

(c) Si id vrgeant creditores. Antea enim manumissus in eorum fraudem veluti statuliber erat. *l. 1. pr. de statulib.* Inde est, quod libertas huiusmodi per Legem Aeliam Sentiam dicitur RESCINDI, *l. 5. §. 2. D. qui et a quib. manum. RETRAHI, l. 45. §. 3. de iure fisc. REVOCARI. l. 1. C. qui manum. non poss.*

CAP. VIII. (a).

DE SERVO NECESSARIO HEREDE
INSTITVTO.

Attamen ei, qui soluendo non est (b), vnum seruum, quem velit (c), per testamentum manumittere, et heredem instituere (d) ius esto: et tunc manumissus liber heresque necessarius esto.

PROBATIONES.

(a) Caput hoc a superiore proximum fuisse, cum res ipsa, tum Paulli fragmenta ad caput sequens adferenda docent.

(b) Etiam minori XX. annis. *l. 27. de man. test.* Quid si, qui soluendo est, necessarium heredem instituat, et is ablineat, an libertates debentur? *l. 32. D. de manum. test.*

(c) Licet minorem XXX. annis: Vlpian. *Fragm. I, 14.* etiam si in ea causa sit, vt dedititius fieri deberet. Vlp. *ibid.* Heres enim esse non possiet, nisi iustam consecutus libertatem. Aliud dicendum, si impedimentum non ex lege Aelia Sentia sit, sed ex alia lege, Scto vel constitutione Principis. *l. 83. pr. de her. inst.*

(d) Quid

- (d) Quid si obaeratus seruum heredem necessarium instituerit, eique substituerit tamen liberum hominem?
l. 57. D. de her. inst.

CAP. IX. (a).

QVID SI IN FRAVDEM CREDITORVM

PLVRES MANVMISSI.

SI. DVO. PLVRESVE. EX. EADEM. CAUSA. HEREDES. SCRIPTI. ERVNT. VTI. QVISQVE. PRIMVS. SCRIPTVS. ERIT. liber et HERES. ESTO (b).

PROBATIONES.

- (a) Legitima haec fuisse huius capituli verba, apparet ex l. 60. D. de her. inst. S. Cti vero ad hanc legem facti meminit. l. 83. §. 1. eod.
(b) Quid si duo Apollonii instituti? l. 42. D. eod. Paull. Lib. I. l. 43. eod. Quid si primo loco seruum cum libertate instituerit, et eum substituerit, cui libertas debebatur ex fideicommissio? Paul. Lib. I. l. 55. ff. eod.

CAP. X. (a).

DE SERVO IN FRAVDEM FOENERATORVM MANVMISSO.

In fraudem foeneratorum manumissus, tametsi in libertate moretur, libertatem tamen iustam ne consequitor (b).

PROBATIONES.

- (a) Huius capituli solus meminit Auctor *Fragm. Vet. I Cti* §. 16. *Obstat enim libertati Lex Aelia Sentia, quae vetat seruum, foeneratorum causa manumissum eum*

ciem Rom. fieri; sed Latinum. Nisi itaque dicere malimus, auctorem huius fragmenti ius omnibus notum plane ignorasse: dicendum sane erit, legem Aeliam Sentiam distinxisse, in *creditorum* fraudem quis manumissus sit, an in fraudem *foeneratorum*, in quorum odium lex passa est feruum, in eorum fraudem manumissum, in libertate morari.

- (b) Atqui Latinum factum esse, ait Auctor fragmenti. Factus omnino, sed demum ex *L. Iunia Norbana*, quae omnes Latinos fecit, quos iustam libertatem consequi non patiebatur *L. Aelia Sentia*. Videantur, quae notauimus ad Cap. III.

CAP. XI. (a).

DE MERCEDE MANVM MIS-
SIONIS.

Si quis eum eamue, quem quamue manumissurus est, ad mercedem manumissionis praestandam obligauerit (b) iuribus patronatus priuator.

PROBATIONES.

- (a) Hactenus de manumittendis et manumissionibus. Iam de prohibitis manumittendi conditionibus, de quibus PAVLLVM *Libro Comment. II.* egisse, patet ex *l. 6. ff. de iur. patr.* Ceterum sententiam capituli seruat. *l. ult. D. qui et a quib. manum.*
- (b) Non ergo prohibet Lex mercedam a Liberto capere, sed eum obligare. *l. ult. §. I. qui et a quib. manum.* Nec haec prohibitio pertinet ad speciem si patronus sibi operas centum, aut in singulas quinos aureos stipulatus sit. PAVLL. *Lib. II. l. 6. §. 1. D. de iur. patr.*

DE IVREIVRANDO LIBERTORVM DE
LIBERIS NON TOLLENDIS.

Qui libertum, ut ne vxorem ducat (b), vel libertam, ne nubat, liberosue tollat (c), iureiurando adiget (d), is quoque iuribus patronatus priuator (e).

PROBATIONES.

- (a) De hoc quoque capite egit PAVLL. *Lib. II. l. 6. D. de iur. patr.* Eius autem septentiam habes in *l. 15 D. eod.*
- (b) Nec tamen incidit in legem patronus, qui castratum iurare coëgit vxorem non ducturum. PAVLL. *Lib. II. l. 6. §. 2. eod.* Incidit autem, qui adigit, ne intra certum tempus liberos tollat, neue aliam vxorem ducat, quam de qua patronus senserit, vel non nisi collibertam, aut patrono cognatam. *l. 3. §. 5. D. de suis et legit. hered.*
- (c) Quid si patronus libertam adegerit, vbi sibi nuberet? PAVLL. *Lib. II. l. 6. §. ult. de iur. patr.* vel ne illicite nuberet? *l. 3. §. 5. de suis et legit. her.* vel ne ea liberis impuberibus nuberet? *l. 31. qui et a quib. man.* Nullo horum casuum patronus iure suo excidit. At excidit illo omnino, qui ipse non ducturus adigit tamen libertam, ne alii quam sibi nuberet. PAVLL. *Lib. II. l. 6. §. 2. de iur. patr.*
- (d) Item qui iusiurandum non prohibet. Exemplum videt apud PAVLL. *Lib. II. l. 6. §. 2. eod.*
- (e) Immo et liberi eius *l. 15. eod.* Vnde nec ad legitimam hereditatem admittuntur. *l. 3. §. 5. de suis et legit. her.* Interim tamen salua per hanc legem mansit iusiurandi religio. Verum iusiurandi etiam huiusmodi gratiam libertis libertabusque fecit Lex Iulia et Papia Poppaea. PAVLL. *Lib. II. l. 6. §. 4. de iur. patr.* Diximus ea de re plenius in *Comment. ad L. Iul. et Pap. L. II. cap. XVI.*

CAP. XIII. (a)

DE EO QVOD IN FRAVDEM

PATRONI FACTVM.

Si quid dolo malo liberti factum erit (b), quominus, quam pars debita bonorum, ad patronum eiusue liberos perueniat, id, quod in fraudem legis factum erit, nullum esto: quod in fraudem patroni; reuocator (c).

PROBATIONES.

- (a) Egit de hoc capite PAVLLVS *Libr. III. l. II. si quid in fraud. patr.* Sequitur itaque vltima pars legis de patronorum libertorumque officiis.
- (b) Non est dolus si patronus consentit. PAVLL. *Lib. III. l. II. eod.* nec si libertus dotem dat filiae *l. I. §. 10. eod.* nec, si viuis amicis bene merentibus donauit. *l. 9. eod.* Alias nihil interest, quocunq; modo fraus legi facta. *l. 4. pr. l. I. §. 1. 3. 13. 18. seq. eod.*
- (c) Quid si, quod in fraudem patroni alienatum, non extitit? *l. vlt. eod.* Quid vero interfit inter alienare: in fraudem legis, et patroni, fuse PAVLLVS explicatse videtur *Lib. III. eo que refero l. 17. qui et a quib. man. l. 66. de V. O.*

CAP. XIV. (a).

DE LIBERTIS INGRATIS.

Quem libertum libertamue patronus (b) ingratum esse conuincet, is in lautumias detur (c).

PROBATIONES.

- (a) Egit de hoc capite VLPIAN. *Lib. IV. l. 30. qui et a quib. man.* Sententiam eius debemus Dosithe. *Sentent. Hadr. cap. III. §. 3. p. 862.* Conf. Cuiac. *Obs. X, 33.*

(b) Quis

(b) Quis accusare possit vel non possit libertum ingratum, fusc docet Vlp. *Lib. IV. l. 30. D. qui et a quib. man. l. 70. D. de V. S.*

(c) Dosithe. *ibid.* qui tamen falli videtur dum cognitionem hanc dat ἐπάεχω τῆ γαζοφυλακίῃ: quam fuisse penes Praefectum vrbi patet ex *l. 1. §. 10. ff. de off. Praef. urb.*

CAP. XV. (a).

DE PATRONI OFFICIO ERGA

LIBERTVM.

Si quis patronus, si qua patrona, libertum libertamue inopem non alet, is eae iuribus patronatus priuator (b).

PROBATIONES.

(a) De Capite hoc habes testimonium Modestini. *l. 6. pr. de agn. et al. lib. l. 33. de bon. libert.*

(b) *d. l. 6. et 33.*

XIII. An caput 2) legis Aeliae Sentiae prudenter sustulerit Iustinianus?

XIII. Denique obseruandum, caput legis Aeliae Sentiae de manumisso minore XX. annis (§. V.) incaute sustulisse Iustinianum, argumento vsu sane perquam ridiculo, quod *libertas sit res inaeestimabilis. §. 7. Inst. h. t.* Inaeestimabilis enim non est ratione domini, sed serui, qui ad illam adspirat. *Conf. Thomaf. Diss. de vsu pract. doctr. de imped. manumiss. 1. §. XXXIX. seq.*

TIT. VII.

DE

LEGE FVSIA CANINIA TOLLENDÆ.

Ad coërcendam manumittendi licentiam comparata etiam erat lex FVSIA CANINIA, de qua cum nihil dicat Imperator, nisi quod eam sustulerit, res paullo altius ex antiquitatibus Romanis erit repetenda.

I. De genuina huius legis ætate mira est eruditorum dissensio. Sunt, qui latam hanc legem existimant Q. Fusio Caleno, et P. Vatinio Coss. anno ab V. C. DCCVI. et renouatam deinde sub Augusto, rogante C. Caninio Cof. anno V. C. DCCLI. Vnde dicta etiam sit ea lex Fusia Caninia. Iac. Ræuard. *Coniect. II, 1.* Oisfel. *ad Cæii Inst. I, 2, 1. p. m. 14.* Sed cum Dionys. Halicarnasseus adhuc sua ætate de nimia manumittendi licentia conqueratur, et Suetonius *Aug. XL.* Augustum primum de numero manumissorum cauisse, dicat: credibile vix est, legem hanc esse tam vetustam. Præterea vix in antiquitate occurrit exemplum legis, a duobus consulibus diuersorum annorum cognominatae. Hinc procul dubio lata hæc lex Sex. Furio (a) Camillo et C. Caninio Gallo Coss. anno V. C. DCCLI. Hoc enim anno C. Caninium Gallum consulem suffectum produnt *Annales Steph. Vin. Pighii Lib. XVIII. p. 530.* et Onuphr. Panuin

I. Lex Fusia
Caninia
quando et a
quibus lata f

(a) Futil enim olim dicti *Fusii*, quemadmodum *Papirii Papisii*. Vid. *Proem. I. not. b.*

Panuin. *Fast.* II. p. 185. Quinet ex numo eius consulatum restituit Hub. Golz. in *Fastis* p. CCXVII. Conf. Schulting. *ad Cai. Inst.* I, 2. 1. p. 24. Ephr. Gerard. *Diss. de lege Fus. Canin.* §. VII.

II. Ratio hu-
ius legis.

II. Causa latae legis eadem fuit, quae Aeliae Sentiae, maxime vero, quod morientes domini saepe numero integras familias manumitterent, tantum, ut eo plures liberti pileati lecticam prosequerentur. Egregie hanc in rem Dionys. Halic. IV. p. 228. Scio, inquit, qui tota servitua testamento libera esse iuberent, et benignitatis laudem ferrent post mortem, et in funeris elatione lecticam eorum magna pileatorum prosequeretur frequentia. In qua pompa quidam erant, ut a scientibus audiui, recens dimissi e carcere, malefici, mille supplicia meriti. Istos impuros urbis pileos plerique cum stomacho adspectant et respuunt eorum consuetudinem, indignum facinus clamitantes, populum, rerum dominum, et usurpantem sibi orbis imperium, talibus contaminari ciuibus. De ea pompa funebri conferri etiam merentur Iac. Cuiac. *Obs.* III, 23. Io Kirchmann. *de Fun. Rom.* II. 7. Huic ergo licentiae manumittendi, qua populus rerum dominus contaminabatur, obuiam itum est hac lege Fusia Caninia, qua certus numerus est constitutus, ultra quem non valeret manumissio. Et de ea lege etiam intelligendus Sueton. *Aug.* XL. vbi vtramque legem, Fusiam nimirum Caniniam et Aeliam Sentiam, sub Augusto conditas, coniungit.

III.

III. Ipsam legis sanctionem nobis seruarunt
 Ulpian. in *Fragm.* I, 24. Paull. *Sent.* IV, 15. Cai.
Inst. I, 2. 1. E duobus scilicet vsque ad quinque
 seruis duo manumitti poterant, ex sex et septem,
 tres; ex octo et nouem quatuor; e X. vsque
 ad XVII. quinque, ex XVIII. ad XX. sex; ex
 XXI. ad XXIII. septem; ex XXIV. XXV. XXVI.
 octo; e XXVII. XXVIII. XXIX. nouem; e
 XXX. ad XLIV. decem; e XLV. ad XLVII.
 undecim; ab XLVIII. ad LI. duodecim; e LII.
 ad LV. tredecim; e LVI. ad LIX. quatuorde-
 cim; e LX. ad LXIII. quindecim; e LXIV. ad
 LXVII. sedecim; e LXVIII. ad LXXI. septen-
 decim; e LXXII. ad LXXV. octodecim; e
 LXXVI. ad LXXIX. nouendecim; ex LXXX.
 ad LXXXIII. viginti; ex LXXXIV. ad
 LXXXVII. viginti et vnus; ex LXXXVIII.
 ad XCI. viginti duo; ex XCII. ad XCV. vigin-
 titres; ex XCVI. ad C. viginti quatuor; ex
 C. ad CXXIX. viginti quinque; ex CXXX.
 ad CXXXIV. viginti sex; e CXXXV. ad
 CXL. viginti septem; et sic consequenter pars
 quinta. Sed ultra centum manumittere ne-
 mo poterat, si familia vel XX. millibus seruo-
 rum constaret, quales Romae fuisse familias,
 testantur Sen. *de Tranqu. anim.* VIII. Athen.
Dipnos. VI. p. 272.

III. Legis
 materia.

IV. Quemadmodum vero haec lex ad solas
 manumissiones testamentarias pertinebat: ita
 inter viuos integrae familiae manumitti pote-
 rant, nisi aliae leges obstarent. Cai. *Inst.* I, 1. 4.
 Neque enim verendum erat tam facile, ne

IV. An ea
 ad manu-
 missiones
 inter viuos
 pertinuerit?

quis iusto esset liberalior. Vnde mira fuit Taciti Imp. religio, qui *manumisit, intra centum tamen, ne Caniniam transire videretur.* Vopisc. in Tacit. X. quasi Caninia ad manumissiones inter viuos pertinuisset.

V. Quis factum, si plures manumissi quam lex permetteret.

V. Si plures, quam lex permiserat, essent manumissi: illi tantum, qui priores erant nominati, aut certe descripti, libertatem consequerentur. Si plures manumissi, nemo nominatus aut descriptus: omnes in seruili conditione permanebant. Quod et tunc eueniebat, si testator in fraudem legis nomina seruorum in orbe tereti aut *dieξοδιμῶς* scripserat. Cai. Inst. I, 1. 2. quem scribendi modum praeclare exponit Merill. Obs. VII, 40.

VI. An prudenter eam sustulerit Iustinianus.

VI. Enimvero hanc quoque legem, sane utilissimam, sustulit Iustinianus, quasi illa esset libertati inuida, absurdumque videretur, a viuis integras familias manumitti posse, non item a moribundis. Vid Inst. b. t. et ibi Vinnius.

TIT. VIII.

DE

HIS QUI SVI VEL ALIENI

IVRIS SVNT.

Altera personarum diuisio, cuius quidem mentio fit in Institutionibus, ea est, quae aliae SVI IVRIS; aliae ALIENO IVRI SVBIECTAE dicuntur, qui nec patri, nec domino, subsunt, iique etiam *patresfamilias* in iure nostro

stro vocantur. Ergo qui alterutrius in potestate sunt, veluti *serui* et *filiifamilias*, alterius iuri subiecti dicuntur. De potestate dominica hoc titulo; de patria sequente agitur.

I. Potestas dominica duo potissimum iura complectebatur: alterum, quod domini per seruos acquirerent, alterum, quod iure vitae et necis in eos vterentur. De priorē agitur ad *Tit. IX. Libri II.* De posteriore iam nonnulla ex antiquitate monenda sunt.

I. Potestas dominica in quo constituitur?

II. Cum ius vitae et necis in seruos iuri naturae et gentium haud repugnet (a): non mirum profecto est, quod et Romae id dominis competeret, quibus serui non personarum, sed rerum loco, esse videbantur, vti supra monuimus. *Tit. III. §. II. Conf. Seneca de Benef. III. 23. §. 1. Inst. h. t.* Hinc et Hispo apud M. Senec. *Controu. X, 4, in seruum NIHIL NON domino licere; ait.*

II. Gaudebant domini iure vitae et necis?

III. Sed quo magis Romae a virtute descitum, eo durius immaniusque cum seruis actum, in quos veluti per ludum et iocum faueiebant domini truculentissimi. Vt enim non dicam de durissimis castigandi modis, vlmis, stimulis, laminis, crucibus, compedibus, neruis, catenis, carceribus, numellis, pedicis, boiis, tormentoribus, suspensis e pede centupondiis, etc. de quibus Plaut. *Afin. III, 2.* Io. Meurf. *Auctor.*

III. Quo iure demum abusi sunt Romani.

I 3

philol.

(a) Dummodo non intelligas promiscue iu seruos faciendi licentiam, sed tale ius vitae et necis, quali gaudet magistratus; nihil inuenies, quod iuri naturali repugnet. Vid. Senec. *de Clem. I, 18.* Thomaf. *Fund. Iur. Nat. et Cent. III, 4.*

philol. ad librum de gloria XXII. eo prolapsa demum fuit dominorum truculentia, vt exquisitissimis seruorum suppliciis oculos pascerent. Exempla exstant apud Senecam *de Ira III. 40. de Clement. XVIII.* Plin. *Hist. Nat. IX, 23.* Iuuenal. *Sat. VI. v. 218. seq.* Tertull. *de pallio in fin.* Vulgare supplicium crux erat, in quam ob leuissima delicta ibant serui. Nota vox non feminae, sed furiae, apud Iuuenal. *Sat. VI. v. 219. sequ.*

Pone crucem seruo. Meruit quo crimine seruus supplicium? quis testis adest? quis detulit?

Audi:

Nulla satis de vita hominis cunctatio longa est. Q demens, ita seruus homo est? Nil fecerit, esto:

Sic volo, sic iubeo, stet pro ratione voluntas.

Nec quidquam miseros eripiebat cruciatibus, nisi se ad aras Deorum, vel principis reciperent statuas, sibi que deprecatores pararent. De quo ritu videndus Wowerus *ad Petron. p. 148.* Vnde reipublicae intererat, dominos in seruilia corpora impune faeuientes, latis legibus coërceri.

IV. Hinc Augustus faeuitiam dominorum compescuit.

IV. Factum id primum sub Augusto, qui praefecto vrbi id dederat negotii, vt dominorum faeuitiam ac libidinem et in praebendo victu sordes atque iniquitatem compesceret: si recte diuinavit Lips. *ad Sen. de Benef. III, 21.* De seruorum sane querelis Praefectum Vrbi cognouisse, satis patet ex Vlpiani *l. 1. §. 1. 8. D. de off. praef. vrb.*

V. De-

V. Deinde et Claudius Imperator dominorum, feruos aegrotos exponentium, vel plane necantium crudelitatem Scto coërcuit, illosque feruorum amissione, hos ordinaria homicidii poena mulctauit Suet. *Claud. XXV.* Dio Cass. *Hist. LX. p. 685.* Porro non multo post lata *lex petronia* anno V. C. DCCCXIV. C. Petronio Sabino Turpiliano et C. Caesonio Paeto Consulibus (b), qua vetitum vt ne liceret dominis feruos suo arbitrio ad bestias depugnandas tradere, sed causa prius a iudice cognosceretur. *l. 11. §. 1. 2. D. ad L. Corn. de sicar.*

V. Quod et factum Sct. Claudiano et lege Petronia.

VI. Tum postea Hadrianus dominorum crudelitatem rescriptis legibusque quam plurimis inhibuit. Sic Vmbriciam matronam, quae

VI. Hadriani feueritas in dominos immanes.

I 4

quae

(b) In dubium tamen id vocat Petrus Faber. *Semestr. II, 11. p. 134.* qui negat, hanc legem vocandam *Petroniam*, sed dici eam mauult *Paetinium*, latam quippe a Paetinio et Cassio Aproniano Coss. A. V. C. DCCCLXXV. idque primo ideo, quia lex Petronia de longe alia re, puta de praeuaricatione et calumnia egerit *l. 16. C. ad L. Iul. de adult.* Deinde quia de Hadriano referat Spartianus, eum feruos a dominis occidi vetuisse, eosque damnari voluisse per iudices. Sed vt plures potuerunt esse leges Petroniae, ita in vna harum de feruis quaedam cauta esse, patet ex *l. 24. D. de manumiss* et *Paull. S. n. IV, 12. 5.* Idem deinde Hadrianus confirmare potuit, et feuerius sancire, quod ab antecessoribus statuum, in defuetudinem venerat, aut obsoleuerat penitus. Semper sane haec lex Petronia, nunquam Paetinia vocatur. Immo non obscurum est, diuerfas plane leges confundi a Petro Fabro. Prior enim de praeuaricatione dicitur *Iunia Petronia*; haec autem dicenda esset *Petronia Caesonia*. De his Coss. vid. *Henr. Noris. Epist. Consul. p. 418.*

quae leuissimis de causis acerbius tractauerat ancillas, in quinquennium relegauit. *l. 2. in fine D. b. t.* Idem et renouauit legem Petroniam, ergastula seruorum et libertorum sustulit, et seruos, nisi cognita a iudicibus causa, occidi uertuit. Spartian. *Hadr. XVIII. et ibi Casaub.*

VII. Constitutio de Pii.

VII. Successit porro constitutio D. Pii, quae dominis in seruorum suorum vitam non plus potestatis concessit, quam in alienorum, poenam legis Corneliae minata iis, qui seruos sine iusta causa occidissent. *l. 1. §. 2. l. 2. D. b. t.* Idem Imp. venire iussit seruos, qui acerbius tractati a dominis ad statuas principum confugerant. *§. 2. Inst. b. t. Collat. leg. Mos. et Rom. III, 2. p. 742.*

VIII. Vt et Constantini M.

VIII. Postremo Constantinus M. sanxit, ut, qui seruum suum occidisset castigando, poenam legis Corneliae de sicariis non subiret. Sin tormentis aut destinato consilio id fuisset factum, dominus ordinaria homicidii poena plecteretur. *l. vn. C. de emend. seru. Iac. Gothofr. ad l. 1. et 2. C. Theod. de emend. seru. Lib. IX, 12.*

TIT. IX.

DE

PATRIA POTESTATE.

Alieno quoque iuri subiecti sunt filii filiaeque familias, et hinc iam de PATRIA POTESTATE ex antiquitatibus agendum.

I. Re-

I. Recte Imperator §. 2. *Inst. h. t. Ius*, inquit, *potestatis, quod in liberos habemus, proprium est, civium Romanorum. Nulli enim alii sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus.* Quamvis enim apud Perfes (a) etiam parentes in liberos imperium fati durum et fere tyrannicum exercuerint, filii suis tanquam servis vsi, teste Arist. *Etb. VIII, 10.* Romani tamen adeo gentes omnes reliquas hac in re superarunt, vt patria eorum potestas melioribus auctoribus non immerito vocetur *patria maiestas.* Val. Max. VII, 7. 5. Quintil. *Declam. CCCLXXV.* Erant enim liberi in DOMINIO iuris Quiritium, et hinc poterant vindicari. *l. 1. §. 2. D. de rei vind.* Iis surreptis locum habebat actio furti. *l. 14. §. 13. et l. 38. D. de furt.* Mancipabantur etiam, tanquam res mancipi. Cai. *Inst. I, 6. 3.* Bynkersh. *de iure occidendi liberos I, p. 145.* Immo durior quodammodo apud Romanos erat liberorum, quam ipsorum servorum conditio, certe non multo tolerabilior, vt fatentur Liban. *Declam. XXXVII.* Seneca *Contr. III, 9. et*

I. Patria potestas Romanorum aliis gentibus incongnita.

I §

18.

(a) Etiam Atheniensibus ius vitae et necis in liberos fuisse concessum, ex Sex. Empir. *Pyrrh. Hypor. III.* probari posse existimat Oisellius *ad Cai. Inst II, 2. 2. p. m. 31.* qui ideo Romanam illam legem Athenis arcessit. Sed nihil fuisse in Solonia legibus iuri isti Romano simile, luculenter ostendit Dionys. Halic. *II, p. 96.* vbi ex instituto vtriusque gentis leges inter se contendit. Conf. Io. Meurf. *in Solon. XXII, p. 79.* et *in Themid. Act. I, 2. et 3.* Huber *Digress. II, 6.* Thomaf. *de usu pract. doct. de patria pot. I, 13, 14.*

18. Lactant. *Diuin. Institut. IV, 3.* Seruius *ad Virgil. Aeneid. XI, v. 143.* vnde et *seruire patri* dicuntur liberi. Lactant. *Diu. Inst. IV, 3.* Ger. Noodt. *Probab. II, 9. p. 64.* Quae omnia satis euincunt, liberos ratione aliorum hominum fuisse *personas*; ratione ciuitatis *ciues*: at ratione patris *res*, aequae ac seruos. Vid. *Elem. Iur. Ciu. secund. ord. Inst. §. 135. sequ.*

II. Eius auctor Romulus.

II. Auctorem huius iuris esse Romulum, testis locupletissimus est Dionys. Halic. *II. p. 96.* et hinc ipse Papinianus apud auctorem *collat. leg. Mos. et Rom. Tit. IV, 8.* eius potestatis originem refert ad legem regiam. Nec obstat, quod Ulpianus patriam potestatem MORIBVS receptam dicit, *l. 8. D. de his qui sunt sui vel alieni iur.* Respicit enim eo ipso ad XII. tabulas, in quas illud ius receptum, non tanquam lex regia, (leges enim regiae omnes statim ab eiecto Tarquinio Superbo exoleuerant, *l. 2. §. 3. D. de orig. iur.*) sed tanquam mos vetus. Non ferebat scilicet insigne illud odium, quo Romani regium nomen prosequabantur, vt quidquam Regibus acceptum ferre vellent, Schulting. *ad Collat. leg. Mos. et Rom. IV, 8. p. 749. sequ.*

III. Eam patres perpetuo retinebant.

III. Primo ergo patria potestas non secus, ac dominorum, e Romuli instituto erat perpetua, durabatque per omnem patris vitam, neque quisquam liberorum, viuo et inuito parente, sui iuris fiebat, etiamsi tractaret rempublicam, magistratus gereret, summamque studii erga patriam laudem esset commeritus. Dionys. Hal. *II. p. 96.* Attamen hoc ius pa-

triae

triae potestatis cedebat dignitati, immo interquiescebat tantisper, et conuiuebat, vti docet Gell. *Noct. Att.* II, 2. Quo etiam referendae l. 13. §. 5. et l. 14. pr. D. ad Sct. Trebell. quas egregie illustrat V. A. Corn. van Bynkersh. *Obs.* I, 1. 18. p. 75.

IV. Deinde huic patris imperio non solum filii et filiae, sed et illorum liberi et nepotes suberant, quamuis filii essent milites l. 7. C. b. t. Eam vero potestatem non vterque parens habebat, sed solus pater, ideo *familiae princeps* vocatus ab Vlpiano *Fragm.* IV, 1. quo defuncto demum liberi sui iuris esse coeperunt.

IV. Etiam in nepotes.

V. Denique iura ipsa, quae illa patria maiestas complectebatur plane erant singularia. Et I, quidem huc pertinet IVS VITAE ET NECIS. Licebat enim patri filium, tanquam rem suam, non solum exponere (b), in carcerem

V. Complectebatur ius vitae et necis.

(b) De patris expositione ex nece apud veteres eruditissimus existat commentarius Gerardi Noodtii, quem *Iulium Paullum* ipse inscripsit, Nos inde huius immanis consuetudinis historiam quasi per indicem, dabimus. Ex Romuli lege non licebat exponere masculos, nec ex sequiore sexu filias primigenitas, nisi ex quinque vicinorum sententia monstrosi, debiles, aut insignes ad deformitatem assent iudicati. Dionys. Halic. *Ant. Rom.* II. p. 88. Quae Romuli lex etiam in XII. tabulas cum aliis migravit, Cic. *de legib.* III, 8. At vtraque lex adeo sensim exoleuit, vt etiam sub Imperatoribus nihil esset ea expositione frequentius. Suet. *Octav.* LXV. *Calig.* V. Tacit. *Histor.* V, 5. Tertull. *ad nation.* I, 15. Idque nec Sct. Planciano nec altero, quod sub

cerem detrudere, flagris caedere, vinctum ablegare ad operas rusticas, sed et quouis supplicio, si meruisset, necare. Dion. Hal. II. p. 96. 97. Simpl. *Comment. ad Epictet. Enchir. XXXVII. l. 11. D. de liberis et postum. hered.* Vnde mirum est, Libanium, *Decl. XXI.* hunc veteris iuris rigorem benigniore interpretatione emollire, patribusque tantum concedere τὴν ἀπειλὴν τοῦ θνήσκειναι, *comminationem mortis.* Aliud enim docent tot exempla, ex quibus patet, patres domi, adhibitis in consilium necessariis, virisque principibus, liberorum causas cognouisse (ε), iisque pro rei grauitate poenas et supplicia inflixisse, Val. Max. V, 2. Sen. *de Clem. I, 15.* Hunc in modum a patribus necati dicuntur Cassius, Val. Max. *l. c.* (quamuis id argumentis solidis in dubium vocet Dionys,

sub Hadriano prodiit, mutatum fuisse, docet Ger. Noodt *Iul. Paull. III. p. 350.* qui etiam *cap. IV. V. VI.* obseruat, sub Diocletiano adhuc et Maximiano, immo et sub Constantino licuisse infantes exponere; primosque eam truculentiam inhibuisse Valentinum, Valentem et Gratianum, *l. 2. C. de Infant. exposit.* Sed huic sententiae intercessit amplissimus Bynkers. in libello *de iur. occid. liberos*, vbi citius hoc cacochthes legibus vetitum statuit, cumque multo post sententiam suam tueretur laudatus Noodtius singulari *Epist.* ea de re nuper edita; secutae sunt viri amplissimi, Bynkershoekii *Curae secundae*, id est, notae et stricturae ad illam amicam Noodtii Responsum. Rem conficere videtur locus Tertull. *ad Nation. I, 15.*

(ε) Hinc pater appellatur *iudex domesticus* apud Senec. *Controu. II, 3.* *domesticus magistratus* apud Senec. *de benef. III, 11.* *censor filii* apud Suet. *Claud. XVI.*

Dionys. Halic. *Ant. Rom. Lib. VIII.*) Fabii Eburnii filius, apud Quintil. *Declamat. III.* Scaurus apud Val. Max. *ibid.* Fulvius, apud Sallust. *de bello Catil. XXXIX.* Titus vero Arrius eodem iure filium exilio damnauit, apud Sen. *l. c.*

VI. Eadem patria potestas complectebatur
 II. IVS *ter.* VENVNDANDI FILIOS Si
 enim prima vice venditus in seruitutem filius,
 manumissione libertatem recuperasset; iterum
 vendi poterat a patre. Iterum manumissus,
 denuo in potestatem patris recidebat, vendi-
 que adeo poterat tertium. Sed impetrata ter-
 tium libertate, e patria deinum potestate exi-
 bat. Dionys. Halic. *II. p. 97.* Simplic. *comment.*
ad Epictet. Enchirid. XXXVII. Et quamuis Iac.
 Raeuard. *ad XII. Tab. III.* Alexander ad Caii
Inst. I, 6. 3. p. m. 56. et Iac. Gothofr. *ad LL.*
XII. Tab. IV. p. 202. erroris arguant Dinoy-
 sium, eamque Romuli legem de imaginaria
 illa trina venditione, quae in manumissione
 obseruabatur, intelligendam arbitrentur: hos
 ipsos tamen in eo fugit ratio. Ritus enim ille
 imaginariae venditionis fuit legis actio. Le-
 gis vero actiones demum e XII. Tabulis na-
 tae sunt. Iphis quoque Alexandri et Gotho-
 fredii argumentis abunde satisfactum a Theod.
 Marcil. *Interp. XII. Tab. XXV.* Ant. Schulting.
ad Vlp. Frag. X, 1. p. 592. Bynkersh. *de iure occ.*
lib. VI. p. 177. et Cel. Thomasio *Diff. de usu*
pract. Tit. Inst. de patr. pot. I. Ceterum ea
 lex Romuli primum a Numa paululum restricta
 est, negatumque patribus ius vendendi filios
 illos

VI. Ius ter
 venundandi
 liberos.

illos, quibus uxores ducere permisissent, Dionys. Halic. II. p. 98. Postea lex ea in ipsas XII. tabulas migravit, ubi his fere verbis legebatur: ENDO LIBERIS IVSTIS IVS VITAE NECIS VENVNDANDIQVE POTESTAS EI ESTO. SI PATER FILIVM TER VENVNDVIT, FILIVS A PATRE LIBER ESTO: Vlp. Frag. X. 1. Iac. Gothofr. in quat. font. iur. civ. de LL. XII. Tab. IV.

VII. Ius adquirendi per liberos.

VII. Denique et III. IVS ADQVIRENDI per liberos patria potestate continebatur. Sex. Empir. Pyrrh. hyp. III, 24. *Legum Romanorum auctores liberos in manu parentum ad instar seruorum esse voluerunt, neque suorum bonorum ipsos esse dominos, sed parentes, donec manumittantur eo modo, quo mancipia solent.* Sed de hoc iure infra ad Lib. II. Tit. IX. dicemus.

VIII. Ius vitae et necis quibus gradibus obsoleuerit?

VIII. In his omnibus vero sensim nonnulla mutata sunt cultioribus reipubl. temporibus, maxime cum ista domestica maiestas statui monarchico sub Imperatoribus parum consentanea videretur. Et primo quidem quod ad ius vitae et necis attinet, ea mutatio non facta iam ante exactos reges, ut visum Raeuardo ad XII. Tab. cap. III. nec tempore Augusti, ceu creditum Franc. Balduino ad leg. Rom. XVII. p. 24. nec denique sub Diocletiani tempora, uti existimarunt Theod. Marcil. Interpretam. leg. XII. Tab. XXIV. vel sub Constantini, uti credidit Giphani. ad l. ult. C. de patr. potest. multo minus sub Valentiniani, Valentis et Gratiani imperio quae Lipsii Epist. ad Belg. I, 85. sententia est: sed a temporibus Traiani,

ni, qui filium male contra pietatem a parente adfectum emancipauit, nec eo defuncto patri bonorum possessionem concessit. *l. ult. D. si a parente quis manum sit.* Eius exemplum deinde secutus Hadrianus patrem, qui filium ob adulterii suspicionem in venatione occiderat, in insulam deportari iussit, quod latronis magis, quam patris iure eum interfecerit, parum memor, patriam potestatem in pietate, non in atrocitate consistere debere *l. s. ad L. Pompei. de parricid.* Hinc ab Alexandri Seueri temporibus inualuit sensim mos, filios grauius delinquentes offerendi magistratibus, quibus tamen ipsi parentes praescribebant sententiam, in filiis exequendam. *l. 13. §. ult. D. de remilit. l. 3. C. de patria pot. l. 2. D. ad leg. Corn. de sicar. et l. 11. in fin D. de lib. et post. hered. inst. vbi Paullus, eorum temporum iurisconsultus, non licet, inquit, occidere liberos, sed licebat.* Denique ne id quidem relictum parentibus, vt filios immorigeros abdicarent *l. 6. C. de patr. pot.* Ergo totum illud ius vitae et necis quod patribus olim competierat, paullatini restrictum, demum a Constantino M. sanctione poenali sublatum *l. vn. C. de his qui par. vel. lib.* totumque in magistratus translatum est per constitutionem Valentiniani, *l. vn. C. de emend. propinqu.* Thomassii *Diss. de usu pract. Tit. inst. de patr. pot. I, 22. sequ. p. 9. seq.*

IX. Multo minus trinam liberorum venditionem saluam esse passi sunt imperatores. IX. Vt et trina liberorum venditio.

Hi

Hi enim, (non vt Balduinus putat, libera resp.) id ius parentibus ademerunt. Primus, non Hadrianus, sed vt videtur, Diocletianus liberis vlllo titulo alienari vetuit, *l. 1. C. de patrib. qui fil. suos distrax.* Deinde Constantinus parentibus, cum extrema inopia conflictantibus, liberos sanguinolentos (d) tantum vendere permisit, ea tamen lege, vt liceret et patri vendenti, et filio vendito aut cuicumque alii, pretio aut mancipio reddito, ad ingenuitatem prouocare, *l. 2. C. de patr. qui fil. distrax.* Immo ne et hac venditione sanguinolentorum esset opus: paullo post idem imperator sanxit, vt inopes parentes alimenta e publico acciperent *l. 1. et l. 2. C. Theod. de aliment. quae inop. parent. e publico petere debent Lib. XI. Tit. XXVII.*

X. Quid circa adquisitionem per liberos aliaque iura mutatum?

X. In tertio iure acquirendi per liberos quid mutatum sit paullatim, infra suo loco, id est, *Lib. II. Tit. IX. n. II.* dicemus. Iam addimus, et alia parentum iura sublata, vel imminuta saltim fuisse. Sic sane cum olim et filii filiaeque familias noxae dari possent a patre; id ius iis ademptum esse, docet Iustinianus. *S. ult. Inst. de nox. act.* Quam parum

(d) Filii sanguinolenti sunt recens nati, et adhuc ab utero rubentes. Eos enim vendi permisit Constantinus obpericulum expositionis. Fusius hoc demonstrat Hüber. *Digress. II, 5.* Solebant enim partus sanguinolenti vel ad necem in solitarium locum abiici, vel ad loca quaedam populi Romani publica deferri, et talis fuit lactaria columna, de qua Festus p. 303. *Lactaria columna in fero olitoris dicta, quod ibi infantes lacte alendos deferrebant.* Conf. Ræward. *Coniect. I, 17. p. 33.*

rum patris arbitrio relictum fuerit in exheredandis liberis: infra ad eum titulum explicabimus. Nec receptum amplius, ut patri filius sit heres necessarius. Quae omnia olim aliter se habuisse; suis locis patebit.

TIT. X.

DE

N U P T I I S.

Patria potestas acquiritur vel per iustas NUPTIAS, vel per LEGITIMATIONEM, vel per ADOPTIONEM. De nuptiis et legitimatione titulo hoc X. de adoptione sequente agitur. Non abs re vero hic titulus in Pandectis inscribitur *de ritu nuptiarum*, videnturque veteres Icti probe intellexisse, quantum intersit studiosi iuris, ritus illos nuptiarum, qui iura dinerfissima producebant, perspectos habere. Hinc procul dubio illo titulo de ritibus nuptiarum accurate egerunt. Sed Tribonianus, retenta in pandectis veteri rubrica, rem ipsam omisit, neque vllum titulo isti inseruit fragmentum, quod ad illustrandos illos veteres ritus faceret. Thomaf. *de vsu pract. doct. Inst. de nuptiis I, 1. p. 1.* Ergo ex antiquitatibus supplendus hiatus; quod iam ante nos fecerunt Barn. Briffonius libris *de ritu nuptiarum et iure connubiorum*. Ant. Hotomanus *de veteri ritu nuptiarum*, et, qui fere omnium industriam superavit, Thomafius, laudata *dissertatione*.

I. Diuerfi
nuptiarum
ritus.

I. Fiebant nuptiae apud Romanos vel ita, vt vxor **CONVENIRET IN MANVM**, et fieret **MATERFAMILIAS**, vel et **SINE IN MANVM CONVENTIONE** dotalia conficeret instrumenta, et non materfamilias, sed **MATRONA** haberetur. Gell. *XVIII*, 6. Prius non sola fiebat **CONFARREATIONE** et **COEMTIONE**, sed et **VSV**, vt diserte tradit Cicero *pro Flacco cap. XXXIV*. Itaque tres istos modos distincte recensent Arnob. *adu. gent. IV. p. 83*. Seru. *ad Virg. Georg. I. v. 31*. Boeth. *ad Cicer. Topic. III*. et e recentioribus Briffonius, et Hotomanus, *libris laudatis*. Ast non defunt, qui confarreationem et coemtionem pro vno eodemque ritu habent.

II. Confarre-
atio quid?

II. **CONFARREATIO**, a Romulo inuenta (a), fuit ritus nuptiarum antiquissimus, quo certis verbis, et testibus decem praesentibus, et solenni facto sacrificio, in quo panis quoque farreus adhibebatur, vxor conueniebat in manum mariti. Dionys. Halic. *II. p. 95*. Vlp. *Fragm. IX, 1. XI, 13. XXII, 14*.

III. Anea so-
lis Pontifici-
bus et Fla-
minibus
propria.

III. Erat vero hic ritus non pontificibus
flami-

(a) In dubium id vocat Iac. Raeward. *ad XII. Tab. XXI. p. 95*. ab locum Plinii *Hist. Ant. XVIII, 2* in quo vñs farris in sacrificiis a Numa demum inuentus dicitur. Sed falsum id esse, ex Catonis fragmento pater apud Seru. *ad Virg. Aeneid. X. v. 541*. qui refert, *Latini boues IMMOLATOS, priusquam caederentur, profugisse in siluam*. Cum vero *immolare* idem sit ac mola falsa e farre confecta inspergere: Seru. *ad Aeneid. X. v. 541*. Heinf. *epist. ad Balzae. p. 185*. facile patet iam ante Romuli tempora farris vñum in Latio fuisse receptissimum.

flaminibusque proprius, ut nonnulli recentiorum existimant, Boeth. *ad Cic. Topic. III.* Alex. ab Alex. *Genial. dier. II, 5.* Dalechamp. *ad Plin. Hist. Nat. XVIII, 3.* sed ciuibus Romanis omnibus communis, quamuis in pontificum et flaminum matrimoniis necessarius videretur, ac proinde inter illos diutissime seruaretur. Praeterquam enim, quod id disertis verbis testatur Dionys. Halic. *l. c.* ipso sane loco Taciti *Ann. IV, 16.* quo tamen inprimis nituntur dissentientes, id non obscure firmatur. Nihil enim rari aut inusitati habuisset illa patrimonum et matrimonum inopia, de qua conqueritur Tacitus, si soli flamines ac Pontifices hoc ritu iniuissent matrimonium.

IV. Effecta confarreationis erant, I) sacrorum communio. Dionys. Hal. *II. p. 95.* γυναῖκα γαμετήν κατὰ νόμους ἱερῶς, συνελθῶσαν ἀνδρὶ, κοινωvόν ἀπάντωι αἰ χημάτων τε καὶ ἱερῶν. *Mulierem nuptam, quae iuxta leges sacras conuenerat cum viro, Romulus participem esse voluit omnium bonorum et sacrorum.* Vnde Modestinus *l. i. D. de ritu nupt.* *Nuptiae sunt coniunctio maris ac feminae, consortium omnis vitae, DIVINI et humani iuris communicatio.* Scilicet in ipsis veterum aedibus erant Dii Penates cuius familiae proprii, quo ipso differebant a Laribus, quippe qui erant communes omnibus. Illi in cubiculo, porticu, atque atrio; hi etiam in compitis, viis, inmo et in castris, et nauibus colebantur: vnde Lares *domestici, compitales, militares et marini*; Lares item *comitio po-*

IV. Eius effecta I) sacrorum communio.

tentes, publici, viales, ciuitatum, rurales, in marmoribus et apud veteres auctores passim occurrunt. Grut. *Inscript. p. LXXVIII, 1. p. CVI, 12. et 4. p. X, 2.* Reines. *Inscr. Class. I, 240. 153. et 159.* Desid. Herald. *ad Tertull. Apol. I, 25.* Idem in *Aduers. I, 7.* Io Meurs. *Auctor. philol. ad libr. de Gloria II.* Vtrisque simulacra dedicata erant, caninis induta pellibus, Plutarch. *quaest. Rom. LI. pag. 276.* et arae positae ac focci, res in domo sanctissimae, a quibus adeo nemo poterat sine ingenti scelere abstrahi. Cic. *pro domo I. et pro Rege Deiot. XV. (b).* Quemadmodum vero ad haec sacra non nisi illi admittebantur, ad quos aliquando transitura esset sacrorum hereditas: ita non arctior poterat esse coniunctio, quam qua quis in alterius gentem et sacra transiret. Praeterea eiusmodi sacrorum communio rescindi non poterat, nisi auctores fierent Pontifices, nec certior erat spes successionis, quam quae ex illa sacrorum *μεδέξια* nascebatur. Et hinc patet ratio, cur in his nuptiis tam necessaria fuerit domum deductio, multis facta sollennitatibus, quas describit Barn. Briffon. *Antiq. I, 18. p. 20. et de Ritu nupt. p. m. 223.* Fixa enim erant Penatium sacra, ac hereditaria; hinc, nemo per confarreationem vxorem accipere poterat, nisi cui esset domus ac lararium, in quo vxor cum eo communibus sacris frueretur.

V. II) Liberi
patrimi et
matrimi.

V. Deinde et id singulare erat confarreationis effectum, II) quod ex confarreatis parentibus

(b) Et hinc etiam lucem accipit *lex 18. D. de in ius vocando*; de qua infra erit dicendi locus.

bus nascerentur *patrimi* et *matrimi*, quorum magna erat in sacris praerogatiua. Tacit. *Hist. IV, 53.* Fest. voce *Flamin.* p. 289. et *patrimus* p. 358. Sunt, qui patrimos et matrimos eos vocant pueros, quorum parentes essent superstites. Vid. Pith. *ad Collat. Leg. Mos. et Rom. XVI, 2. p. 790. edit. Schulting.* Sed hi omnino opinione sua falluntur. Quamuis enim et id requireretur in sacris, boni ominis causa, ut recte a Pithoeo obseruatum est: *patrimi* tamen et *matrimi* proprie erant, confarreatis parentibus nati. Nec aliter Festus, qui falso plerumque a dissentientibus laudatur.

VI. Adhaec id sequebatur effectum, III) VI. III) Vxor ut vxor, quae confarreatione in manum conueni- in manu conueniens, materfamilias in potestate mariti. uenerat, fieret MATERFAMILIAS, et filiae loco haberetur, adeoque esset heres sua. Dionys. *l. c.* Vlp. *l. c.* Gell. *XVIII, 6.* Quaeri hic solet, an vxor, per confarreationem liberata patria potestate, in viri potestatem transferit? Affirmat. Ant. Hotom. *de rit. nupt. XX. p. 298.* Sed negant alii. Thomasius. *Diss. alleg. I. p. 22.* Verum licebit hic cum Hotomano facere. Auctores sane omnes farentur, I) vxorem conuenisse *in manum.* *Manum* vero in iure significare potestatem, tralatitium est. Immo II) Gellius *Noct. Att. XVIII. 6.* multo disertius vxorem eiusmodi *in mancipio* fuisse statuit. In mancipio vero esse procul dubio includit potestatem, (Vlp. *Frag. X. rubr.* et ibi Schulting. et *Tit. XX, 18. XXIV, 23.*) immo et ipsum dominium iuris Quiritium. Bynkersh. *de iure*

iura occid. lib. I. Idemque sibi volunt auctores, quando vxorem marito SERVIRE dicunt. Virg. *Aen. IV, v. 103.*

- - - *Liceat Pbrygio seruire marito.*

ad quae verba videndus Servius: nec non quando mariti ab vxoribus vocantur DOMINI. Serv. *ad Virgil. Aen. IV.*

- - *Connubia nostra*

Repulit, ac DOMINVM Aenean in regna recepit.

Add. Non. Marcell. *cap. IV, n. 121.* III) Observauimus, confarreatas vxores in sacris mariti fuisse. Sacrorum vero communio coniuncta erat cum potestate. Vnde formulae: *in parentum sacris esse constitutum, in gentem et sacra alicuius transire, sacris paternis absolui etc.* Vid. Barn. Briffon. *de verb. sign. p. 1814. ed nou.* Accedit IV) quod Vlpianus *in manum conuentionem* inter genera capitis deminutionis refert. *Tit XI, 13.* Quomodo vero capite deminuta dici potuisset vxor, si vel sui iuris, vel in patria potestate mansisset? Nec V) id omittendum, vxores antiquissimis temporibus adsumsisse nomina maritorum, tanquam filias. Qui mos etiam sub Imperatoribus, cum iam obsoleuisset confarreatio- nis ritus, mansit. Hinc in lapidibus occurrunt ANTONIA DRVSI, DOMITIA BIBVLI, MESSALINA NERONIS, DOMITIA DOMITIANI, Rupert. *Epist. XLI, ad Reines. lap. 156. 235. 237.* Gruter. *Inscr. p. DXXCIV, 11. p. DCXVIII, 9. p. DCCCLXXIX, 7.* Plura exempla dabit V. C. Iac. Perizon. *Dissert. de diuina*

diuina constit. Deut. XXV, 5. 6. Praeterea VI) re ipsa potestatem summam in vxores, non secus ac in filias, exercebant mariti. Quidquid adquirebat vxor, marito adquirebat. *Omnia enim, quae eius erant, viri fiebant dotis nomine.* Cic. *Topic. IV. (c).* Ius quoque vitae et necis competiisse maritis in vxores adulteras, vinosas, aliisque se sceleribus polluentes, notum est ex Dionys. Hal. II. p. 96. Gell. II, 23. ex quibus patet maritos domi suae tanquam iudices de vxorum criminibus cognouisse. Exempla vide apud Plin. *Hist. Nat. XIV, 13.* Mansit etiam sub Imperatoribus pristini moris vestigium, teste Sueton. *Tiber. XXXV.* Tacit. *Ann. II, 1. XIII, 32.* Denique VII) ex insigni loco Caii apud *Pariatorem LL. Mos. et Rom. tit. XVI.* patet, *sororis loco liberis fuisse matrem aut novercam, quae per in manum conuentionem apud patrem eorum IVS FILIAE consecuta sit.* Quare negandum haud videtur, vxores, quae confarreatione in manum venerant, in potestate maritorum fuisse. Ger. Noodt. *Probab. II, 9. p. 64.*

VII. Quartum effectum erat, IV) quod VII. IV) Bona vxoris ad maritum delata.

maritus bona omnia vxoris nomine dotis acciperet. Cic. *Topic. IV.* et id quidem procul dubio, quia illa erat in mariti potestate, ceu paullo ante diximus. Vnde Terent. *Andr. I, 5.*

Te isti virum do amicum, tutorem, patrem;

K 4

BO

(c) Hinc et peculium habebant matres familias, tanquam filiae et seruae. Vid. Plaut. *Casim. II, 2. 26.*

BONA *nostra haec tibi COMMITTO*,
tuae mando fidei:

Hanc mihi in manum dat.

Ex quo facile patet, quatenam sit dotis domini origo, de qua infra *Lib. II. Tit. VIII.* dicendum erit pluribus,

VIII, V) Conjugium eiusmodi sola diffarreatione solubile.

VIII. Quintum effectum erat V) quod coniugium eiusmodi dissolui non posset, nisi DIFFARREATIONE, quae, cum teste Festo, *voce diffarreatio*, esset genus sacrificii, procul dubio non nisi auctoritate pontificum fiebat, et hinc erat rarissima, et difficillima, in qua, teste Plutarcho, multa tristitia ac abominanda fieri solebant. Quare primis reip. temporibus existisse negant diuortii exemplum vsque ad annum V. C. DXX. Dionys. *II. p. 96.* Plut. *in Romul. p. 39.* et *in Numma p. 77.* Valer. Max. *II, 1.* Gell. *IV, 3.*

IX. Confarreationis ritus cur obsoleuerit?

IX. Erimuero hic ritus confarreationis ob incuriam virorum et feminarum, difficultatesque caerimoniarum, studium item conseruandae patriae potestatis, impensarum magnitudinem, et maxime denique ob gratissimam diuortiorum licentiam ita sensim obsoleuit, ut Tiberii tempore non amplius reperiri possent tres flaminei candidati, confarreatis prognati parentibus. Tacit. *Annal. IV, 16.*

X Coemtio an a confarreatione diuersa?

X. Diutius paullo viguit secundus nuptiarum ritus, videlicet COEMTIO (*d*). Et sane vide-

(*d*) Immo sollennis hic ritus fuit gentibus tantum non omnibus. De Ebraeis vid. Gen. XXXI, 14
 XXX.

videtur coëmtio et confarreatione fuisse adhibita, tanquam ritus accessorius. Ast postremis temporibus Romani, neglecto primario confarreationis ritu, solum accessorium, id est, coëmtionem, retinuerunt, et inde factum, vt multis secundus hic modus ab illo primo non videatur discrepare. Cicero certe *pro Flacco XXXIV.* modos recensens, quibus in manum conueniatur, confarreationis plane non meminit, sed coëmtionis et vsus, eam haud omissurus, si res ipsa eo tempore inter confarreationem et coëmtionem quaedam fuisset differentia.

XI. Fiebat COEMTIO non solum a spon- XI. Ritus
fo, sed et a sponsa. De illo marmor vetustum iste coëmen-
luculenter testatur, quod ita se habet: PVBL. di,
CLAVD. QVAEST. AER. ANTONI-
NAM VOLVMNIAM VIRGINEM
VOLENT. AVSPIC. A PARENTI-
BUS SVIS COEMIT. ET. FAC. III.
IN DOM. DVXIT. De hac Nonius *de*
propriet. serm. XII, 50. ita refert: *Veteri lege*
Romana asses tres ad maritum veniens solebat
adferre, atque vnum, quem in manu tenebat,
tanquam emendi causa, marito dare; alterum
quem in pede habebat, in foco Larium
familiarium ponere; tertium, in sacciperio
quem condiderat, compito vicinali solere re-
K 5 *sona-*

XXX. IV, 12 I. S, XVIII, 24. De Graecis Euripid. in *Medea* v. 232. Aristot. *Polit.* II. 8. De Germanis Tacit. *de mor. Germ.* XVIII. Conferri meretur Gundl. *diff. de coëmt.* vx. IX. cap. I.

sonare (e). Primo ergo affe fiebat coëmtio viri more Quiritium, id est per aes et libram, adhibitis quibusdam verbis sollennibus. Seru. *ad Virg. Aeneid. IV. v. 211*. Petr. Fab. *ad l. 16. de Reg. Iur. p. 97. seq.*. Secundo vxor sibi veluti coëmebat Lares et Deos penates, vt sacrorum fieret particeps. Tertio sibi veluti aditum patefaciebat in mariti domum. Nam sponsa domum deducenda in horto aliquandiu commorabatur, donec diruta maceria in domum mariti transfiret. Et hanc maceriam Nonius vocat *compitum vicinale* ceu post Perrenon. *Animaduers. I, 6.* docuit Gundling. *ibid. I, 14.* qui etiam huc referunt responsum Ceruidii Scaeuolae *l. 66. §. 1. D. de donat. inter vir. et vxor.* et verba Terentii *Adelph. V, 7.* *Atque hanc in horto maceriam iube dirui. Quantum potest: huc transfer, vnam fac domum. Traduce et matrem, et familiam omnem ad nos.* Ceterum quaenam fuerint illa verba coëmtionis sollennia, non constat. Necessaria ea fuisse, docet Cicero *de Orat. I, 56.* sed qualia fuerint, non commemorat. Boethius *ad Cic. Top. III.* ait, quaesuisse virum, *an mulier sibi*

(e) Quid sit in compito vicinali resonare, paullo obscurius videtur. Sed salua res est. In compitis etiam erant aedicularae Laribus sacrae. Ouid. *Fast. II. v. 616.*

- - qui compita seruant.

Et vigilant nostra semper in vrbe Lares.

Suet. *Aug. XXI.* Leo resonare lege resignare, et sensus erit planissimus sponsam tertium affem, quem in iacciperio condiderat; ante Lares compitales resignare, et ibi deponere fuenisse.

sibi materfamilias esse vellet? hanc respondisse, *se velle*. Eodem modo et interrogasse matremfamilias, et respondisse virum. Quae si recte se habent, coëmtio illa procul dubio interueniente stipulatione facta est. Sed haec forte Boethius sine auctore. Cicero *pro Muraena XII.* ait, mulieres in sollennibus istis verbis *Caia*s esse vocatas. Et hinc procul dubio ad illam formulam respicit: VBI TV CAIVS, IBI EGO CAIA, cuius meminit Plutarchus. *Quaest. Rom. p. 620.*

XII. Effecta coëmtionis erant eadem, quae XII. Effecta
confarreationis. Nam et hoc modo in manum coëmtionis.
conueniebant vxores, et MATRES FAMILIAS vocabantur. Huber. *Digress. Part. II,*
v. 17. p. 528. Thomaf. *diff. de usu pract. doct.*
Inst. de nupt. I, 7. p. 26. 28. Vnde simul ratio
reddi poterit, cur concubina apud Gruterum
Inscr. p. 10000, 21. vocetur VXOR GRATVI-
TA, vtpote quae coëmta non esset, nec aqua
aut igne accepta.

XIII. Quemadmodum vero nuptiae confar- XIII. Quo
reationis ritu contractae diffarreatione; ita fa- ritu eiusmodi nuptiae
ctae per coëmtionem *remancipatione* dissolue- dissolutate?
bantur, ceu ex Festo erudite probat Ræuardus
ad leg. XII. Tab. p. 98.

XIV. Tertius modus contrahendi matri- XIV. Vfus,
monium erat VSVS; qui in eo constitit, qualis nu-
quod sine confarreatione et coëmtione ma- ptiarum
ritus vxorem vsucaperet. Si enim haec au- ritus.
ctore tutore cum viro consueuerat annum v-
num, nec ante finem anni vsurpatum iuerat,
id

id est, tribus noctibus a viro non abfuerat, videbatur tunc vsucapta et possessione quaesita. Gell. III, 2. Quemadmodum itaque vsucapio est modus acquirendi dominium iuris Quiritium: ita dubitari nequit, quin et vsu vxor conuenerit in manum et veluti in dominium Quiritarium mariti, vel eiusdem potestatem redacta sit. Cic. *pro Flacc. cap. XXXIV*. P. Pith. *ad Pariat. LL. Mos. et Rom. tit. XVI*. Si itaque vxor nollet in manum conuenire: instrumenta quidem dotalia conficiebantur, et domum deducebatur, sed dabat illa operam, vt saltem tres noctes a marito abesset. Sic enim per vsurpationem interrumpebatur singulis annis vsucapio, adeoque vxor vel in potestate patris, vel in tutela agnatorum manebat, sine quorum auctoritate in manum conuenire non poterat. Cic. *pro Flacc. ibid.* Contracto sine vno horum rituum matrimonio, vxor non conueniebat in manum mariti, neque adeo fiebat materfamilias, sed MATRONA. Gell. XVIII, 6. Et hinc neque succedebat ad intestato marito, neque hic vxoris bona omnia dotis nomine accipiebat. Vocabatur tamen vterque coniux ad bonorum possessionem edicto: VNDE VIR ET VXOR.

XV. Requisita iustarum nuptiarum I) pubertatem et viri potentiam II) consensus patrum.

XV. Requisita iustarum nuptiarum praeter I) *pubertatem et viri potentiam*, de cuius examine ad *Lib. I, Tit. XXII*. dicemus, erant II) *consensus patrum*, quorum in potestate erant sponsi. Quamuis enim pater filiam elocatum reuocare, nuptiasque rite contractas soluere non

non posset: (ceu ex Plutarchi *Numa*, Dionysio Halicarnasseo, Paulli *Sent. II, 19.* Vlpiani *l. i. §. ult. de liberis exhibendis* accurate demonstrat Thomaf. *de vsu pract. doctr. Inst. de nupt. I, 13. p. 48. 49.*) poterat tamen id facere, si filia eo inuito cuidam nupfisset, ceu contra Ræuardum *Var. VI, 16.* Cuiac. *Obs. III, 5.* idem demonstrat Thomafius *l. c.* Sin filia patria potestate siue per emancipationem, siue patris mortem exiisset, sub perpetua debebat tutela, adeoque et tutorum auctoritas adhibenda erat. Cicero *pro Flacco XXXV.* Auctoritatem vero et expressam esse, præcedere nuptias debuisse, aequè ac iussum, notum est ex ICtis. Nec obstat *l. 25. §. 4. D. de adquir. hered.* quam accurate explicauimus et à Jac. Gothofredi correcticæ vindicauimus in *Element. iur. ciu. §. 250.*

XVI. Requirebatur etiam III) vt vterque XVI. III) Ci-
 contrahentium esset et liber, et *ciuis Romanus.* uitas Roma-
 Inter seruos enim et seruas, liberosque et na.
 seruas non connubium erat, sed CONTV-
 BERNIUM. Cum Latino etiam vel Latina
 peregrino vel peregrina, non erant iustae nu-
 ptiae, nisi concessum esset (*f*). Vlp. *Fragm.*
V, 4.

(*f*) Concedebat olim eiusmodi nuptias populus, lege singulari, vt docent exempla apud Liuium *Hist. XXXVIII, 36. XLIII, 3.* Postea imperatores talia dabant priuilegia. Exempla hinc inde in marioribus sunt, apud Gruter. *DLXXIII, 2. DLXXIV, 5. DLXXV, 1.* Iac. Spon. *Miscell. erudit. Antiq. p. CCXLIV.* vbi militibus. QVI PEREGRINAE CONDITIONIS PROBATI ERANT, datur CON-

NV.

V, 4. et 5. Paull. *Sent. II, 19. 6.* Vnde notum, quandum inuidiae Antonino nuptiae cum Cleopatra conflauerint. Sed post constitutionem Antonini Caracallae promiscua fuere inter gentes connubia, et ita intelligendus Prudent. *adu. Symmach. II, v. 612.*

*Distantes regione plagae, diuisaque ponto
Littora conueniunt nunc per vadimonia ad vnum
Et commune forum: nunc per commercia et artes
Ad caetum celebrem: nunc per genialia fulcra
Externi ad IVS CONNVBII. Nam sanguine
miso.*

Texitur alterius ex gentibus vna propage.

Et Rutilius Numatianus *Itiner. v. 63. sequ.*

*Fecisti patriam diuersis gentibus vnam.
Profuit iniustis, te dominante, capi.
Dumque offers victis proprii CONSORTIA
iuris,
Vrbem fecisti, qui prius orbis erat.*

XVII. IV)
Graduum
prohibito-
rum obser-
uatio.

XVII. Accedit IV) consideratio *graduum cognationis*, tanquam quartum iustarum nuptiarum requisitum. Quae graduum (g) prohibito

NVBIVM CVM VXORIBVS, QVAS TVM HABVIS-
SENT. Conf. Ez. Spanhem. *Orb. Rom. II, 22.* De reliquis prohibitionibus dicemus infra, vbi de iure Quiritium et ciuitatis in Appendice agemus.

(g) *Graduum* equidem computationem ad solam doctrinam de successione pertinere, putant. Vid. illustris Thomaf. *l. c. p. 65.* sed et veteres Icti gradus numerarunt in doctrina de nuptiis. Exemplum Vlpiani est in *Collat. Leg. Mos. et Rom. VI, 2.*

bitio quo vsque extendatur, Icti ostendunt et maxime illustr. Thomaf. *diff. alleg. 1, 18. sequ. p. 59. sequ.*

XVIII. Denique V) *polygamia* erat apud XVIII. V) Romanos prohibita, quam lege stabilire, au- Monogamia. ctore, vt putabatur, Caesare, conabatur Helius Caecina, Tribunus plebis: sed ea lex ne promulgata quidem, nedum perlata fuit. Sueton. *Iul. LII.* Primus Romanorum Antonius, quod antea inauditum, duas in matrimonio vxores habuit, teste Plutarcho *in vit. Anton. p. 957.* Postea et Valentinianus iunior lege sanxerat, vt liceret cuius viro duas vxores ducere Socrat. *Hist. eccl. IV, 30.* Niceph. *Hist. eccl. II, 33.* Sed nec ea quidem constitutio, amoliendae facti proprii turpitudini inferitura, valuit apud posteros. Briffon. *de iure connub. p. 292.*

APPENDIX HVIVS TITVLI.

DE

LEGITIMATIONE.

Alter modus constituendi patriam potestatem est LEGITIMATIO, de qua cum Imperator tantum §. 13. h. t. aliqua commemoret: licebit et nobis eam doctrinam huic titulo tanquam appendicem subnectere.

XIX. Liberi ex iustis nuptiis nati, ita patriam liberum potestate, et hinc vocabantur LEGITIMI. Nec minus adoptiuum in adoptantis potestate.

XIX. Quoniam liberi legitimi, et spurii.

potestatem redigebantur. Reliqui omnes ILLEGITIMI dicebantur, et a prisca Romanis duabus literis SP. signari solebant, quia erant *sine patre filii*. Plutarch. *Quaest. Rom.* p. 316. Cai. *Inst.* I, 4. 8. p. 41. Vlpian. *Fragm.* IV, 2. p. 576. Conf. tamen Aegid. Menag. *Amoen. iur. civil.* XXXIX. p. 358. Exemplum elegans huius moris existat apud Gruter. *Inscript.* p. CCCCXXXIV, 4.

C. MAMERCIO. S. P. F.

IANVARIO. Q. AED. PRAET. IIVIR.
Q. ET.

P. PACCIVS. IANVARIVS. FILIO. NATVRALI. ET. MAMERCIA. GRAPTE.

MATER. INFELICISS. FILIO. ET. COGNATAE. PISSIMIS. FECERVNT.

Hic enim *C. Mamercius Ianuarius, Paccii Ianuarii* non spurius, sed filius naturalis, et in dignitate constitutus appellatur S. P. F. id est, *sine patre filius*. Quod monumentum plane egregium accurate enucleauimus in *Comm. ad L. Iul. et Pap. Lib. II. Cap. IV. p. 169. sequ.* Aliud eiusdem generis exemplum est apud Reines. *Inscr. Class.* IX, 4. Postea vulgo quaesiti *spurii* dici coeperunt.

XX. Illegitimorum diuersa genera.

XX. Erant illegitimi quatuor generum. Alii enim NATVRALES ex *concupina* vel *vidua* aut *virgine stuprata*; alii SPVRII ex *meretrice*; alii ex *ADVLTERA*; alii denique ex *INCESTVOSIS* amplexibus fuerant nati. Franc. Hotoman. *de spur. et legitim.* II. p. 474.

XXI.

XXI. Nulli horum erant infames, ast leuis tamen notae macula spurios adsperebat vulgus, multoque magis adulterinos et incestuosos, saltim postremis temporibus reip. Vid. Zach. Hub. *Cas. enucl. Quaest. VIII. §. VIII.* Naturales participes quidem erant omnium iurium, honorumque capaces, ceu contra Iac. Gothofredum luculenter ostendit Thomas. *de vsu pract. doctrinae Inst. de legitimat. I, 3. p. 3. sequ.* et ex inscriptione paullo ante allate patet, in qua C. Mamercius Ianuarius, quamuis S. P. FILIVS tamen in colonia sua *Quaestor, Aedilis, Praetor, et Duumvir Quinquennalis iterum* fuisse dicitur: iuribus tamen agnationis (a) carebant, neque in patria potestate erant,

XXI. An spurii infames, vel leuis notae macula notati?

(a) Vnde nec gentile patris nomen ferebant spurii, vt contra Robertelli *Emend. I, 20.* recte ostendit Car. Sigon. *Emendat. II, 7.* Sane tanquam singulare quid de Caesare refert Sueton. *Iul. LII.* quod natum e Cleopatra filium *appellari nomine suo passus sit.* Et Dio Cass. *L. p. 419.* addit, inter alia, quae Octavianus Caesar obiecerit Antonio, etiam hoc fuisse maxime, *ὅτι τὸν Καισαρίωνα ἐπωνόμαζεν ἑαυτῷ, καὶ ἐς τὸ τῆς καίσαρος γένος ἦγε, quod Caesarionis nomen filio Cleopatrae indidisset, et eum in Caesaris genus retulisset.* Interim quamuis aliquando cognomen patris adoptarunt filii naturales, vti paullo ante *Ianuarius*, nomen tamen gentile a matre mutuabant. Ita Mamercius Ianuarius dictus a nomine matris Mamerciae Graptae, et a cognomine patris P. Paccii Ianuarii. Similia exempla ex Grat. *Inscript. p. DCXLI, 9.* et p. *DCLXXXIV.* adduximus in *Comment. ad L. Iul. et Pap. Lib. II. cap. IV. pag. 170. sequ.* Ad spurios autem haec non pertinere, vel inde patet, quod eorum incertus est pater,

erant, tanquam legitimo parente destituti. Franc. Hotom. *l. c. III.* Strauch. *Exerc. IV, 3.*

XXII. Legitimationo quando inuenta?

XXII. Cum ergo vetere iure Romano nulla esset legis actio prodita, qua illegitimi liberi in patriam potestatem redacti, iurium istorum agnationis fierent participes, nisi arrogatio, in qua ipsos illegitimos auctores fieri oportebat. Herald. *Obs. ad ius Att. et Rom. VI, 10.* seculo demum quarto ineunte inuenta est LEGITIMATIO (b). Quod tamen beneficium non ad omnes in vniuersum spurios sed natos tantum e concubinis pertinebat. Huber. *Praelect. ad Inst. b. t. p. 28.*

XXIII. Constantinus M. auctor legitimationis. I) per sublequens matrimonium.

XXIII. Et primus quidem Constantinus M. Imp. inuenit legitimationem I) PER SVBSEQUENS MATRIMONIVM. Meminit eius constitutionis Zeno Imp. *l. 5. C. de natur. lib. et* Iustinianus *Nou. LXXXIX. princ.* Sed cum ipsa non tulerit aetatem: obscura nobis est legislatoris sententia. Id saltem certum, non voluisse Constantinum M. constitutionem suam ad eos, qui in posterum ex concubinis nascituri essent, porrigi, sed eum ante illam constitutionem natis duntaxat id beneficium indulgisse, non alio consilio, quam vt parentes, in concubinato viuentes, hoc priuilegio pelliceret ad iustum ineundum
matri-

(b) Non ergo legitimatio est actus legitimus, vt recte ostendit Vlr. Huber. *Digress. II, 12.* Nec ante Constantinum Romae recepta, quamuis viri docti id colligant ex *l. ult. D. de adopt. et l. 57. §. 1. D. de rit. nupt.* Nam vt prior lex, vel ipsa teste rubrica, de arrogatione loquitur: ita posterior erat lege solutio, vel priuilegium, quod ad exemplum non trahebatur.

matrimonium, adeoque his cuniculis concubinaturnaturn subrueret. Vid. Def. Herald. *Rer. Quotid.* I, 4. 2. et quae nos differuimus in *Comm. ad L. Iul. et Pap. Lib. II. Cap. V. p. 173. sequ.*

XXIV. Deinde et Theodosius iunior ad- didit legitimatorem II) PER OBLATIONEM CURIAE. l. 3. 4. C. de nat. lib. Cum enim adeo omnes abhorrerent a decurionum munere, ut iam Traiani temporibus multi inuiti fierent decuriones, Plin. *Epist. X, 114.* et saepe Christiani poenae loco curiis addicerentur, Barn. Briffon. *Antiq. VI, 18.* ac proinde aufugientibus decurionibus, curiae paene exhaustae essent: Iac. Gothofr. *ad Tit. C. Theod. de decur.* priuilegio alliciendi videbantur homines ad id munus eo lubentius suscipiendum. Hinc constitutione cautum, ut si quis curiae offerret filium vel filiam naturalem, ita ut ille in ordinem decurionum aliquando recipi se pateretur, haec decurioni nuberet: eo ipso illi non amplius naturales, sed legitimati haberentur. Interim soli patri hi fiebant liberi, non agnatis reliquis agnati l. 9. C. de natur. lib. In causam tanti decurionatus odii acute, ut solet, inquit Thomas. *diff. alleg. I, 8. p. 21. sequ.* ubi solide ostendit, homines voluptate, ambitione et auaritia intransuersum actos, dignitatibus aulicis, militiaeque palatinae et ordinibus sacris, quam muneribus eiusmodi, laboriosis, et ob onera curiarum, sumtusque, in spectacula impendendos non admodum pinguibus, inhiare maluisse. Sed propior ratio reddi potest, ab ipsa curia-

XXIV. Theodosius inuentor legitimatorem II) per oblationem curiae.

lium conditione depromta. Non enim putandum est, curiae oblatos confestim factos esse, decuriones. Sed Curiae adscribebantur, eique feruebant periculo suarum facultatum. *l. 4. C. de nat. lib. l. 50. l. 55. l. 64. C. de decur.* Hinc nec militiae nomen dare, nec ruri extra municipium viuere poterant, curiae quippe, tanquam glebae adscripti, *l. 17. C. eod. l. vn. C. si curial. relict. ciu.* Quae omnia luculenter ostendit V. C. Em. Merrill. *Obs. VII, 26. p. 109.* Cum itaque curiae oblata quodammodo essent adscriptitiae conditionis, nec alterius iis esset spes honoris, quam decurionatus, sane parum lucrosi: non profecto mirandum, tam paucis saluam mouisse splendidam illam curialium miseriam, vt et liberi illegitimi priuilegio essent alliciendi ad suscipiendum aliquando decurionatum.

XXV. Zeno-
nis Anastasii
et Iulianiani
constitutiones de primo modo le-
gitimandi.

XXV. Sequentes Imperatores duo ista legitimationis genera aliquandiu retinuerunt, variisque ea legibus explicarunt. Sic Zeno Imperator sanxit, vt si pater, nulla legitima sobole alia superstite, concubinam vxorem duxerit, liberi vtriusque sexus statim post nuptias, in patria potestate essent, et siue soli, siue cum fratribus postea natis patri ex testamento, vel ab intestato, succederent. Attamen eam constitutionem ipse quoque, exemplo Constantini, valere tantum voluit ratione liberorum ante hanc legem ex concubinis ingenuis natorum; eos vero, qui postea ex concubinato prodituri essent, tanti beneficii noluit esse participes. *l. 5.*

C. de

C. de natur lib. Sed et Anastasius cum omnibus etiam postea nascituris hoc beneficium communicavit. *l. 6. C. cod.* Id vero restringit Iustinus Imp. *l. 7. C. cod.* posteaque suo more iterum latius porrexit Iustinianus. *l. 10. et 11. C. cod. Conf. §. 2. Inst. de hered. quae ab intest. Nouell. XII, 4. XVIII, 11. LXXIV.* Quamuis vero his fere omnibus locis Iustinianus exigat instrumenta dotalia vel nuptialia: ea tamen non ad substantiam huius legitimisationis pertinere, sed pro eorum temporum conditione tantum signum fuisse legitimi connubii, iam alio loco ostendimus, et pridem demonstravit Cuiac. *Observ. XIII. v. 4.*

XXVI. Eodem modo et alterum legitimandi modum per oblationem curiae variis constitutionibus illustrarunt Imperatores, e. g. Leo et Anthemius. *l. 4. C. de natur. lib.* et Iustinianus *l. 9. C. cod. Nou. LXXXIX. cap. 11. seq.*

XXVI. Leonis, Anthemii et Iustiniani Constitutiones de modo secundo.

XXVII. Accessit tertius modus legitimandi III) PER ARROGATIONEM, ab Anastasio inuentus *l. 6. C. de nat. lib.* Cum enim naturales liberi non essent in patria potestate, sed sui iuris: poterant profecto a parente naturali arrogari. *l. ult. D. de adopt.* Facta vero ea arrogatione, legitimi censebantur. Sed eum modum non sine ratione sustulit Iustinus, *l. 7. C. de nat. lib.* approbante id Iustiniano *Nou. LXXXIX, 7. Nou. LXXIV, 3.*

XXVII. Legitimatio III) per arrogationem inuenta ab Anastasio.

XXVIII. Legitimatione IV) prorescriptum principis et V) per testamentum inuenta a Iuliano.

XXVIII. Denique Iustinianus, adiecit IV) *legitimationem* PER RESCRIPTVM PRINCIPIS, *Nou. LXXXIX, 9. LXXIV, 2.* ac postremo *legitimationem* V) FER TESTAMENTVM *Nou. LXXIV, 2. 1. LXXXIX, 10.* Qua ipsa tamen totum inuentum legitimationis eum destruxisse, obseruat Thomasius *de vsu pract. doctr. de legitim. I, 12. p. 44.*

TIT. XI.

DE

ADOPTIONIBVS.

Tertius modus constituendi patriam potestatem erat ADOPTIO, quae, cum fuerit actio legis, certis formulis, ac sollennitatibus peragenda: genuina eius ratio ex antiquitatibus pernosceda erit.

I. Adoptionis Romae tam frequentis causa prima.

I. Cur inuenta a Romanis sit ADOPTIO, et cur ea Romae frequentius, quam vsquam terrarum, sit vsurpata, paullo altius est repetendum, cum alias vniuersa huius instituti ratio satis intelligi nequeat. Obseruauimus iam supra *Lib. I. Tit. X. §. 4.* Romanas familias habuisse sua sacra priuata, suos focos, et aras domesticas, suas porro ferias, de quibus conferri merentur Macrob. *Saturn. I, 16.* Iac. Guther. *de iure Pontif. II, 5.* Vinc. Grauina. *ad XII. Tab. num. LXXVI. p. 416 sequ.* De iis sacris cum esset lege decemuirali constitutum: SACRA PRIVATA PERPETVO

PETVO MANENTO: omnia sane agebant Romani, ne sacra illa gentilitia interirent (a). Quare Glodium etiam hoc nomine grauiter reprehendit Cicero, *pro Domo XII.* quod effecerit, *vt sacra Clodiae gentis interirent.* Hinc, siqui ex iustis vxoribus liberos haud sustulissent, ii adoptabant extraneos, qui tunc *in sacra et gentem transire dicebantur.* Briffon. *de verb. signif. p. 1814.* Conf. Vobisc. *Valerian. XIV.*

II. Deinde altera accessit ratio, poenae nimium orbitati, praemiaque τῆ πολυπαιδία proposita, qualia et ante legem Papiam Poppaeam in libera republica fuisse, patet ex Dione Cass. *LVI. p. 576.* Ne ergo parentes ἀπαιδεις, aut orbi, vel praemiis istis exciderent, vel poenas darent:

II. Causa secunda.

L 4

alios

(a) Aliquando tamen id agebant, vt sacra priuata interimerentur, eamque in rem Icti inuenerant fenes sacra coementes. Excogitauerant enim eam rationem, et heres fenibus venderet ea bona, quae qui haberent, sacris adfringerentur, venditione imaginaria per aes et libram addita stipulatione, vel fiducia, vt fenes illa bona venditori vel heredi non vt hereditatem, sed vt res singulares, sacris liberas, redderent. Rem ex loco obscuro Cic. *pro Mur. cap. XII.* explicauit et in lucem protraxit V. C. Io. Fr. Gronou. *de pecun. vet. IV 7.* quem deinde secutus Io. Ge. Graeuus *Not. ad Cic. l.c.* vterque monuit, perperam cum his fenibus ad interimenda sacra adhibitis confundi, fenes coemtionales apud Plaut *Bacchid. IV, 9.* et Cicer. *ad Famil. Epist. VII, 29.* cum hi fuerint mancipia reuicula et veterana, quae quod non adeo facile emtorum inuenirent, vel plura simul vendebantur, vel tanquam mantissa, adiciebantur melioribus. Iidem mouerunt nihil hos fenes coemtionales facere ad coemtionem nuptialem. Ad quam cum nos eam retulerimus in prioribus editionibus, hic errorem nostrum fateri ac emendare non dubitamus.

alios adoptabant, idque iam sua aetate reprehendit P. Scipio, censor, oratione apud Gell. *Noct. Att. V, 19*. Quin adeo fraudulenter postea hac in re egerunt Romani, ut cum per legem Papiam trium liberorum parentes reliquis in honorum petitione praeferrentur, ii, quibus iste liberorum numerus deerat, per adoptionem sibi tot quaererent liberos, eosdemque deinde; ne oneri essent, ubi honoribus potiti erant, statim emanciparent. Vnde, condito denique SCto cautum est, *ne simulata adoptio in vlla parte muneris iuuaret*. Tacit. *Annal. XV, 19*. Vlpian. *l. 2. §. 2. D. de vac. et excusat. munerum*. Add. *Comm. nostr. ad L. Iul. et Pap. lib. II. Cap. 7. p. 201 seq.*

III. *Causa
tertia.*

III. Accedebat tertia ratio aequae fraudulentae. Si quis enim patricii ordinis tribuniciam potestatem ambiret: ut voti fieret compos, plebeio cuidam se adoptandum dabat. Exemplum huiusmodi fraudulentae adoptionis praebuit P. Clodius, cuius de absurda adoptione videri possunt Suet. *Tiber. II*. Dio Cass. *XXXVIII. p. 65*. Cic. *erat pro domo XIII*. Simile dedit Dolabella, qui ob eandem causam in gentem Liuiam plebeiam transiit. Dio Cass. *LXII. p. 198*. Et haec sunt verae illae ac genuinae causae, cur tam frequentes essent Romae adoptiones.

IV. *Adoptio
quotuplex?*

IV. Erant vero adoptiones duorum generum. Aliae ARROGATIONES: aliae ADOPTIONES strictiore sensu dicebantur. Vlp. *VIII, 1. seq.* Illis homines sui iuris; his liberi alieni in alterius potestatem, gentem, nomen et sacra transibant.

V. *Arrogatio
Vnde dicta?*

V. Antiquissima fuisse videtur ARROGATIO,

TIO, non ab interrogatione patris et filii adopti-
ui ita dicta, vt putat Cai, *Inst. I, 5. l. 2. pr. D. de
adopt. sed a rogatione ad populum lata.* Fiebat
enim arrogatio in comitiis curiatis, auctoritate
pontificum, teste Gell. *Noct. Att. V, 19.* Adsti-
pulatur huic Gellii etymologiae Menag. *Amoen.
iur. cap. XXXIX. p. 259.* eamque ipsa vocabu-
li analogia confirmat, quamuis Caii causam agat
Cuiac. *Obs. IX, 37.*

VI. Cur in comitiis curiatis de arrogatione,
tanquam de publica populi causa, actum sit, eius
rei hanc rationem adsignat Vinc. Grauiña *ad XII.
Tab. n. LXXXV. p. 451.* quod interfuerit popu-
li, fraudes, supra numeris II. et III. relatas, pro-
hiberi. Sed prius procul dubio arrogationes
in comitiis factae sunt, quam fraudem istarum
exstarent exempla. Melior ratio videtur, quia
arrogati sperabant hereditatem. De hereditate
vero in alios transferenda solum populum cog-
nouisse, vel inde patet, quod et testamenta
olim in comitiis calatis fierent. Accedit, quod
per arrogationem caput e tabulis censualibus
eximeretur, et in alterius redigeretur potesta-
tem; id quod, inconsulto populo fieri, iniquum
videbatur. Hinc in legibus Decemuiralibus
Tab. IX. erat lex: DE CAPITIS CIVIS, NISI
PER MAXIMUM COMITIA TVM NE
FERVNTO. Cic. *de Legib. III.* in qua lege
capitis appellatione, non modo vitam, sed et li-
bertatem, ciuitatem, familiaeque ius exaudiri
debere, eleganter demonstrat in Notis Iac. Go-
thofred. *p. 230.* Hinc ergo in comitiis res erat

VI. Cur ea
peracta in
Comitiis
curiatis?

explicanda, et quidem in curiatis. Gell. *V*, 19. Et hinc arrogatio fieri dicebatur *lege curiata*, Tacit. *Hist.* *I*, 15. *κατὰ νόμον κεριάτιον*, Appian. *de Bell. Civ.* *III*. p. 586. *κατὰ νόμον τὸν Φρατριάτικόν*. Dio Cass. *Lib. XLV*. p. 272.

VII. Curatoritate pontificum fuerit opus?

VII. Pontificum vero auctoritate opus videbatur, non ob iurisiurandi religionem, quo arrogatio ab omni calumnia et fraude pura praestaretur, ut coniicit idem Vinc. Graulina *l. c. p. 452*. sed quia adoptiui, relictis sacris familiae, in alterius gentis sacra transibant Cicero *pro domo XIII*. *Quid sacra Clodiae gentis? Cur intereunt, quod in te est? Quae omnis NOTIO PONTIFICUM, cum adoptarere, esse debuit.*

VIII. In quid inquisuerint pontifices?

VIII. Dispiciebant ergo Pontifices, an adoptans ea esset aetate, ut alterum filium habere posset? an nulla ei spes prolis superesset? an, coniugio inito, foecunditatem fuerit expertus? quae causa sit adoptionis? Gell. *Noct. Attic. V*, 19. Cic. *pro domo X. et XIII*. Ulpian. *l. 15. §. 2. 3. et l. 17. princ. D. de adopt.* Neque enim facile permittebatur iis, qui iam liberos procreauerant, ut alios vel arrogarent vel adoptarent, quippe quod ne in Imperatoribus quidem, reprehensione carebat. Perizon. *Animadu. Hist. cap. III. p. 125*. Deinde, ne pro monstro esset, patrem filio vel natu minorem vel aequalem esse, sed adoptio naturam imitaretur: merito disquirebatur, an adoptaturus saltim plena pubertate filium antecederet? *l. 40. §. 1. De de adopt.* Et hinc veteres rident adoptionem Alexandri Imp. ab Elagabalo factam, cum ille duodecim,

hic

hic quatuordecim circiter annorum esset. Herodian. *Hist. V, 7*. Praecipue autem providendum sibi existimabant, ne adoptio vel arrogatio filio esset exitio, aut ei aliquid adferret detrimenti. Et inde est, quod tutore fas non esset, pupillum arrogare, *l. 17. pr. D. cod.* nisi quod cognati a tutore propinquo, *l. 17. §. 1. D. cod.* et priuigni a tutore vitrico ex rescripto Antonini Pii possent arrogari. *l. 32. §. 1. D. cod.* Exemplum Voconii Romani, a vitrico adoptati, est apud Plin. *Epist. X, 3*. Eundem tamen vitricum et tutorem fuisse priuigni sui, quod suspicatur Cuiac. *Obs. II, 38*. ex isto quidem loco non constat.

IX. Cum vero ii tantum arrogarentur, qui sui iuris erant: oportebat eos ipsos auctores fieri. *Gel. l. c.* Interrogabatur ergo is, qui arrogabat, vellet ne eum, quem adoptaturus esset, iustum sibi filium esse? et vicissim is, qui arrogabatur, an id fieri pateretur, auctorque esset? *l. 2. pr. D. de adopt.* Formulam prodit Cicero *pro domo XXIX*. *Credo enim, quanquam in illa adoptione legitime factum est nihil, tamen te esse interrogatum: AVCTORNE ESSES, VT IN TE P. FONTEIVS VITAE NECISQVE POTESTATEM HABERET, VTI IN FILIO? Neque tamen has interrogationes et responsiones stipulationes fuisse, recte notat Cuiac. Obs. IX, 37.*

IX. Quaestiones patri et filio propositae?

X. Causa cognita, in comitiis curiatis sequebatur sollennis rogatio: VELITIS IVBEATIS, QVIRITES, VTI L. VALERIVS L. TITIO TAM IVRE LEGEQVE FILIVS SIBI

X. Rogatio ad populum lata.

SIBI SIET, QVAM SI EX EO PATRE, MATREQVE FAMILIAS EIUS, NATVS ESSET: VTIQVE EI VITAE NECISQVE IN EO POTESTAS SIET; HAEC ITA, VTI DIXI, ITA VOS, QVIRITES, ROGO. Gell. *Noct. Att. V, 19.* Hinc annuente populo et XXX. curiis in suffragia missis ita iubentibus perfecta erat arrogatio. Cic. *pro domo ibid.*

XI. Effecta arrogationis.

XI. Arrogati ergo tam iure legeque filii erant eius, qui adoptauerat, ac si ex eo patre, matreque familias eius, essent nati. Hinc arrogati aequae, ac adoptiui, fiebant agnati ratione familiae adoptantis, non tamen cognati eius vxori *l. 23. pr. D. de adopt.* Quare adoptionem sequebatur hereditas nominis, pecuniae, sacrorum, teste Cicerone *pro domo XIII.* vbi exagitur Clodius a Fonteio adoptatus, quod in ea adoptione nihil legitime factum sit, siquidem *neque Fonteius esset, quod esse debebat, neque Clodius patris adoptiui heres, neque, amissis sacris paternis, in adoptiua peruenerit.* Immo, quemadmodum patricii, adoptati a plebeiis, ad plebem transibant: ita plebei, adoptati a patriciis, horum consequebantur nobilitatem ac priuilegia. Quod tamen si neget Io. Corasius *ad l. 35. D. de adopt.* tamen demonstratur exemplo Cn. Cornelii Cossi, qui ex Licinia, plebeia familia, adoptatus in patriciam Corneliam, tribunus militum consulari potestate fuit, ad quam dignitatem anno demum sequente plebeiis via patuit, teste Liuius V, 12. Demonstrantur idem exemplo Liuiae quam Tacitus *Annal. V, 1.* NOBILITATIS

TIS per Claudiam familiam et ADOPTIONE
 Liuiorum Iuliorumque clarissimae fuisse ait, et
 Augusti de quo Ouidius *Fast.* IV, v. 21.

Hic ad te magna descendit origine mensis,
 Et sit ADOPTIVA NOBILITATE
 tuus.

Conf. Huber. *Digress. Iustin.* II, 24. Iac. Perizon.
Diff. ad Constit. diuin. Deur. XXV, 5. 6. p. 83. seq.
 Comm. nostrum ad L. Pap. Lib. II. cap. I, p. 113.

XII. Et hinc facile reddi poterit ratio, I) cur soli ciues Romani arrogare potuerint? Soli enim participes erant comitiorum. II) Cur caelibes arrogare nequiuerint? Erat enim arrogatio in solatium orbis, non caelibum, inuenta. Cic. *pro domo cap. XIII, l. 15. §. 2. D. de adopt.* III) Cur senibus tantum sexaginta minimum annorum arrogare licuerit *d. l. 15. §. 2. D. de adopt.* Sperari enim antehac poterat proles. IV) Cur nec muti et surdi arrogarent; nec V) feminae? Neque enim illi iure comitiorum gaudebant: et feminae praeterea neminem poterant habere in potestate. Quare parum legibus consentanea erat adoptio Candidiani, de qua Lactant. *de Mort. Persecut. Cap. L.* Idem *Candidianum, quem Valeria, ex concubina genitum, ob sterilitatem adoptauerat, necari iussit.* Sed quid sibi non permittebant eius aevi principes? VI) Cur porro nec pupillus, nec femina, nec peregrinus, nec mutus vel surdus arrogari potuerint? Pupilli enim ipsi auctores fieri non poterant, cum reliquis nulla erat comitiorum communio. Gell. *Noct. Att. V, 19.* VII) Cur de-

XII. Cur
 quidam nec
 arrogare nec
 arrogari po-
 tuerint?

uique

niq̄ue arrogatio Romae tantum fieri potuerit? Vip. *Fragm. VIII, 4.* Romae enim, non alibi, curiata comitia haberi poterant. Liu. *V, 52.*

XIII.
Quam diu
vetus iste
arrogandi
ritus obti-
nerit?

XIII. Haec arrogatio, per populum in comitiis facta, satis diu, id est, stante libera republica, obtinuit. Nam ita sua memoria a Cn. Aufidio Oresten, a M. Pupio Pisonem, a P. Fonteio Clodium arrogatum, scribit Cic. *pro domo cap. XIII.* Quin et Augustus Agrippam et Tiberium adoptavit in foro lege curiata. Suet. *Aug. LXV.* Et Neronis adoptionem, quamvis Patres censuerint, populus tamen, (lege procul dubio curiata) iussit. Tacit. *Ann. XII, 25.* Postea Imperatores, legibus quippe soluti, veteres arrogationis ritus saepius neglexerunt. (Vid. Tacit. *Hist. I, 14. 17.* Spartian. *Hadr. III. IV. XXIV. in Ael. Ver. III. Iul. Capitolin. Antonin. IV.*) Mansit tamen ad Galbam vsque vetus sollennitas inter priuatos. Hinc Galba: *Si te priuatus, lege curiata, apud Pontifices, ut moris est, adoptarem.* Tacit. *Hist. I, 15.*

XIV. Ad-
optio stri-
ctius dicta
eur et quan-
do inuenta?

XIV. Haec de *arrogatione.* Cum verò hic adoptandi modus ad homines tantum sui iuris pertineret: inuenta et alia actio legis, qua liberi, in sacris paternis constituti, cuiuscunque sexus et aetatis in aliam familiam transferent, isque modus dictus **ADOPTIO** sensu strictiore. Eum iam in libera republica obtinuisse, constat ex Cicerone *de finib. I, 7.* Valer. Max *VII, 7. 2.* Dione Cass. *XXXIX. p. 98.*

XV.

XV. Erat haec ADOPTIO actio legis, et hinc inter praesentes, adhibitis certis sollennitatibus, peragenda apud Praetorem aut Praesidem (b), aut quemcunque magistratum, apud quem

XV. Adoptandi ritus per aes et libram.

(b) A principibus, quos multa sibi in arrogationibus indulgisse probat Dodwell. *praelect. XV III, ad Spartian. p. 553.* et domi adoptari poterat per aes et libram. Suet. *Aug. LXIV. Caium et Lucium adoptavit DOMI, per aes et libram, emtos a patre Agrippa.* Fortassis et priuatis idem licebat, si ad eos venire vellent Magistratus. Adoptio enim erat actus voluntariae iurisdictionis quales actus nec tribunal, nec locum certum, requirunt. *l. 36. pr. D. de adoption.* Et tunc adoptionis sollennitas aut in cubiculo, aut in atrio, coram lecto geniali perficiebatur. Quod patet ex loco Plin. *Paneg. VIII. Itaque non tua in CVBICVLO, sed in templo; nec ante GENIALEM TORVM, sed ante puluinar Iouis optimi maximi, adoptio peracta est.* Erant vero geniales lecti, qui in nuptiis sternebantur in honorem genii, vnde et geniales appellati. Festus voce *genialis p. 292.* Et hinc etiam *lecti aduersi* dicebantur, quia in atrio ex aduerso ianuae erant collocati. Lips. *Elect. I, 17, Scalliger ad Fest. voce Putus p. 143.* Torrent. *ad Horat. Epist. 1, 4. v. 87.* Non tamen inde collegerim, in adoptione matremfamilias partum simulasse, qualem ritum inter barbaros receptum fuisse, docet locus Diod. Sic. *Biblioth. IV, p. 244. Illam adoptionem (Herculis) hoc modo factam perhibent. Iuno, lectum ingressa, Herculem corpori suo admotum ut verum imitaretur partum μιμνημένην τὴν ἀληθινήν γένεσιν, subter vestes ad terram demisit, quem in hoc usque tempus adoptionis ritum BARBARI obseruant.* Exemplum eiusmodi adoptionis obseruare mihi videor Genes. XXX, 3. vbi adoptionis quandam speciem etiam deprehendit V. C. Io. Clericus in *Not. ad Pentat. p. 222.* Apud Romanos vero nihil horum inuenimus, nec poterat ibi hic ritus obseruari, partim quod matres neminem

quem erat legis actio. Vlpian. *VIII, l. 4, D. de adopt. Gell. Noct. Att. V, 19*. Ritus adoptandi consistebat in trina venditione, adhibito aere et libra. Scilicet, praesentibus patre naturali et adoptiuo, filioque adoptando, nec non libripende, antestato et quinque testibus, primo pater filium patri adoptiuo mancipabat, verbis: MANCVPO TIBI HVNC FILIVM, QVI MEVS EST. Tum pater adoptiuus, aes tenens, simulque apprehendens filium adoptiuum; HVNC EGO HOMINEM, inquit, IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO, ISQVE MIHI EMTVS EST HOC AERE, HAC AENEAQVE LIBRA. Tum aere, seu vt olim vocabatur, *raudusculo* id est, festertio numo percutiebat libram, illudque aes dabat patri naturali, quasi pretii loco. Caius *apud Boeth. Comment. in Cicer. Topic. III*. Ant Schulting. *Iurispr. antiq. anteiust. p. 54*. Ea mancipatio ter erat repetenda (c). Quo facto, pater naturalis in iure cedebat filium, et tum adoptio erat perfecta. Gell. *l. c. Adoptantur autem, cum a parente, in cuius potestate sunt, tertia mancipatione in iure*

minem haberent in potestate, partim quod adoptio non tribueret iura cognationis. Dissentit tamen vir doctissimus, Euerhardus Otto *in Papiniano*, qui sane eruditissime hanc causam egit, *Cap. VII, p. 103, sequ.* et multo maiore cum apparatu *in Iurisprudencia Symbolica Exerc. III. Cap. 4. et sequ.*

(c) Si scilicet filii loco deberet esse adoptiuus. Nam si quis in locum nepotis adoptaretur, vnica mancipatione actus absoluebatur. Vlp. *Fragm. XII*. id quod etiam deinde in feminis obseruatum Cuiac. *Enarrat. ad d. l. ult. C. de adop.*

iure ceduntur, atque ab eo, qui adoptat, apud eum, apud quem legis actio est vindicantur. Et hoc quidem ritu per aes et libram adoptavit Augustus Caium et Lucium. Suet. *Aug. LXIV.*

XVI. Quandoquidem ergo haec adoptio non in comitiis, sed coram magistratu, fiebat: factum est inde, ut et sexagenariis minores adoptare possent, nec masculi solum, sed et feminae, adoptarentur. Cai. *Inst. I, 5. 2. Gell. V, 19.*

XVII. Et id quidem in antiqua illa liberaque republica obtinuit. Postea variaesensim acciderunt mutationes. Et primo quidem, comitiis cessantibus, Principes rescriptis suis arrogationes solebant concedere pariter, et confirmare. Quod vel ideo iure facere poterant, quia simul erant Pontifices maximi, quorum erat, de arrogationibus dispicere. Ræuard. *de auctor. prudent. VI.* Factum id esse exemplo Galbae, qui primus veterem ritum neglexit, non abs re suspicatur Ant. Schulting. *ad Vlpian Fragm. VIII. 2. p. 589.* Certe iam Antonini Pii tempore arrogationes factas esse auctoritate principum patet ex *l. 38. D. b. t.* Hac vero mutatione semel admissa, etiam feminae (*l. 21. D. b. t.*) et pupilli (*d*) (*Vlp. Fragm. VIII, 5.*) et quidem plures simul, (*l. 25. §. 3. D. b. t.*) poterant arrogari. Sed non

XVI. Qui potuerint adoptare, et adoptari?

XVII. Arrogatio per Rescriptum principis.

(*d*) Multa requisita hic erant observanda. Inquirebatur in arrogationis rationem, ne qua turpis causa subesset. *l. 17. pr. D. b. t.* Expendebantur facultates tum arrogantis tum arrogandi, eiusque simul vita anteacta curiose excutiebatur. *l. 17. pr. D. b. t.* Exigebatur cautio, bona salua fore proximis agnatis, si pupillus intra

non sine causae cognitione, et obseruatis requisitis quam plurimis. Desierunt etiam antiquae sollennitates et formulae, quas tamen nouo edicto, nescio an actum agens, sustulit Iustinianus, *l. ult. C. de adopt.*

XVIII. Adoptio per testamentum.

XVIII. Erat et modus ADOPTANDI per TESTAMENTVM, non ab Imperatoribus deum, vt vulgo putant, inuentus, sed iam tum libera adhuc republica receptus. Iam ab antiquissimis enim temporibus sollenne erat Romanis, heredes suos non in bona tantum, sed et nomen adsciscere. *Adsciscere* autem erat vocabulum adoptionis, de quo Io. Fridr. Gronou. *Diatr. ad Stat. p. 26.* Cicero *de offic. III, 18.* Basilius meminit, qui M. Satrium, sororis filium, nomen suum ferre voluerit, eumque fecerit heredem. Et in *Bruto cap. LVIII.* laudat Crassum, Licinia filium, Crassi testamento adoptatum. Atticum quoque testamento morientis Caecilii fuisse adoptatum, apparet ex Corn. Nep. *Attic. V.* Et Caesar ita instituerat Octauium, Suet. *Tul. LXXXIII.* Appian. *Bell. Civil. III. p. 518.* qui etiam, cognita auunculi nece, statim Caesaris nomen adsumsit. Dio.

XLV.

pubertatis annos decessisset. *l. 18. 19. 20. h. t.* Arrogor porro emancipare non poterat arrogatum, nisi causa cognita, et redditis, quae habuerat bonis, insuperque quarta bonorum suorum relicta. *l. ult. D. si quid in fraud. patr.* Idque etiam in exheredatione erat obseruandum. *l. 8. §. 15. D. de inoff. test.* Quae omnia ab Antonino sic inuenta videntur, vt sensim in desuetudinem iret arrogatio impuberum. Vid. Vlpian. *Fragm. VIII, 2.* Thomaf. *diff. de usu pract. tit. Inst. de adopt. I, 18. p. 84.*

XLV. p. 271. Qua de re etiam Ouid. *Metamorph. XV, fab. 51. v. 74.*

Vt Deus accedat coelo, templisque colatur.

Tu facies natusque tuus, qui NOMINIS HERES,

Impositum feret vnus onus.

Eodem exemplo Augustus Liuiam et Tiberium, heredes testamento scriptos, nomen suum ferre iussit. Suet. *Octau. CI.* Ex eo tempore frequentissima occurrunt eiusmodi adoptionum exempla. Ita enim a M. Gallio Senatore testamento adoptatus est Tiberius. Sueton. *Tiber. VI.* a Galba iam ante sollemnio rem arrogationem Piso Frugi. Idem in *Galba XVII. Conf. Tacit. Ann. V, 1. ab aliis alii l. 7. in fine et l. 63. §. 10. D. ad Sc. Trebell.* Sed ea heredis institutio proprie adoptio dici vix poterat, cum nemo ea redigeretur in patriam potestatem. Cuiac. *Obs. VII, 7.* Nominis heredes erant: sed eos liberti paterni et alia familiae iura non sequebantur, quod tamen in aliis adoptionibus fiebat. Cuiac. *Obs. VII, 1.* Vnde mirum non est, quod adoptio per testamentum facta nonnunquam repetita, et more maiorum vel lege curiata, vel per aë et libram iterum facta legitur. Augustus sane testamento adoptatus a Caesare, eam adoptionem lege curiata confirmandam curauit, vt auctoritate legis accederent, quae testamento nactus non erat. Appian. *Bell. Civil. III. p. 586.* Et Tiberius, licet testamento nomen Augusti ferre iussus, ab eodem tamen post Caii et Lucii Caesarum mortem rite arrogatus fertur. Sueton. *Tiber. XV.* Immo cum libera republica

mulieres adoptare nondum possent: solebant eae tamen iam eo tempore heredes ea lege instituire, vt nomen suum ferrent. Exemplum est apud Ciceron. *Epist. ad Att. VII, 8.* quod sane cum aliis argumento est, non veram fuisse hanc adoptionem, sed adoptionis simulacrum: quoddam, quod praeter nomen et hereditatem nihil iuris in adoptiuum deuoluit. Plura de hac adoptione per testamentum dabunt Briss. *de Form. VII. p. 601.* Huber. *Digress. I, 2. 23. 2.* et huius filius amplissimus Zach. Huber. *Dissert. Iurid. et philol. V, 2.*

XIX. Adoptiui olim in potestatem et gentem alienam transibant.

XIX. Ceterum PATRIA POTESTAS olim erat effectum adoptionis etiam stricte sic dictae. Vnde et adoptiui cognomini suo, leuiter inflexo, illius gentis, cuius in sacra transferant, nomen adiciebant, quamuis id non semper, nec eodem modo factum esse animaduertamus, cum aliquando patris naturalis et adoptiui nomen promiscue ferrent. Perizon. *Diss. I. p. 97.* et *Animadu. Histor. p. 131.* Spanhem. *de vsu et praestant. numis. Tom. II. p. 77.* Cum Scipio Africanus minor ex Aemilia gente in Corneliam per arrogationem transiisset: vocatus est *P. Cornelius Scipio Aemilianus*. Et qui antea *C. Octavius* erat, adoptatus a Caesare, dictus est *C. Iulius Caesar Octavianus*. Dio Cass. *XLVI. p. 322.* Solebant tamen etiam naturalis patris nomen nonnunquam suo adscribere, honoris causa, immo eundem adhuc patris vocabulo dignari in sermone familiari. Terent. *Adelph. V, 7. v. 3.* Exempla collegit V. C. Iac. Perizon. *Dissert. ad diuin. Constit. Deut. XXV, 5. p. 89.*

XX.

XX. At extremis temporibus Iustinianus totum illum adoptionis ritum turbavit, iubens, ut adoptatus ab alio quam ascendente, non transiret in alienam familiam et potestatem, et tamen ius successionis ab intestato consequeretur. *l. 10. princ. §. 1. 2. C. b. t.* Quo ipso in eam conditionem redacti sunt patres adoptivi, ut sine summa imprudentia adoptare non possent. De qua mutatione vid, Thomas, *Diss. alleg. I, 26. p. 40. seq.*

XX. Iustini-
ani mutatio.

TIT. XII.

QVIBVS MODIS IVS PATRIAE

BOT. SOLVITVR.

Patriam potestatem ordinariè fuisse perpetuam, iam supra TIT. IX. ex Dionysio Halicarnasseo ostendimus. Nihilominus tamen proditi erant quidam modi, soluendi patriam potestatem, de quibus hoc titulo agendum.

I. Et primo quidem MORS, cum omnia iura personalia tollat, non poterat non et liberos patria potestate liberare. Neque tamen morte aui nepotes liberabantur, si Pater esset superstes, sed tunc in huius potestatem recidebant; nisi is forte antea ab auo esset emancipatus. Vid. Caii *Inst. I, 6. princ.* Quia enim patria potestas erat dominium Quiritarium, (vid. supra Tit. IX. §. 1.) non poterat non illud iure hereditario ab auo in patrem devolui.

I. Patria potestas soluebatur I) morte naturali.

II. Et II) ciuili,

II. Cum vero ex principiis iuris Romani et ii, qui CAPITIS DEMINVTIONEM, vel maximam, vel mediam, fuerant passi, ciuiler mortui viderentur; *l. 63. §. fin. D. pro socio factum est, vt vel patre, vel filio capite deminuto, patria potestas solueretur. Erat enim haec propria ciuium Romanorum. Maxima vero capitis deminutio seruos media ἀπόλιδας efficiebat. Atqui serui et peregrini nec habere, nec esse poterant in patria potestate. Plin. Epist. X, 6.*

III. Quae tamen iure postlim. et restitutione tollebatur.

III. Hinc captiuitate, seruitute poenae, aquae et ignis interdictione, deportatione, siue patris, siue filii, potestas patria cessabat (a). Priori tamen casu illa postliminio; (Caii *Inst. I, 6. 3.*) posterioribus restitutione plenaria poterat recuperari. *l. 1. C. de sent. pass.* Ant. Schult, *ad Caii Inst. I, §. 1. p. 47.*

IV. Nec non III) adoptio-
ne,

IV. Exspirabat etiam potestas patria AD-
PTIONE; non quod filius sui iuris fieret, sed quod in aliam gentem aliaque sacra transfiret, Vid. supra *Tit. XI, 19.*

V. Sed

(a) Ergo durante captiuitate ius patriae potestatis non in suspensio erat, vt loquitur Vlp. *Fragm. X, 4. §. 5. Inst. h. t.* sed plane perimebatur; et postliminii demum iure recuperabatur, quia fingebatur, postliminio reuersum nunquam in captiuitate fuisse. *d. §. 5. Inst. h. t. L. 16. D. de capt. et postlim.* Hinc captiuo patre, liberi vix valide nuptias contrahere, testari, hereditates adire poterant, Vbi vero pater postliminio patriam potestatem receperat, filii ex nuptiis illis procreati in potestatem aui veniebant, bona a filiis acquisita eius erant, testamentaque eorum nulla erant, at nuptias tamen rescindere pater non poterat. *Thom. diff. ad h. t. I, §. p. §. seq.*

V. Sed praecipuus modus, quo patria potestas quam sollennissime soluebatur, erat EMANCIPATIO, quae ob triplicem, quae subinde facta est, mutationem, in VETEREM vel legitimam, ANASTASIANAM, et IVSTINIANEAM diuiditur. §. 6. *Inst. b. t.*

V. Et IV) emancipatione.

VI. VETVS illa erat actus legitimus, et hinc certis adhibitis formulis et sollennitatibus, coram eo magistratu, apud quem erat legis actio, explicanda. Cum vero leges Romuli ac Decemuirorum ter vendandi filios potestatem indulissent patribus: statuissentque simul, ut tertium manumissus filius sui iuris fieret: (*Supra Tit. IX, 6.*) commodissimum visum est Romanis, trina venditione imaginaria liberos e potestate dimitti. Cum vero omnes venditiones rerum mancipi per mancipationem fierent, id est, adhibito aere et libra: Vid. Aleand. et Schulting. *ad Caii Inst. I, 6. 3. p. 31. sequ.* consequens erat, ut et illa liberorum, quamvis imaginaria, venditio eodem ritu fieret. Et hinc dicta est EMANCIPATIO, de cuius vocabuli vsu et significatione conferendi Barn. Briffon. *de verb. signif.* et Io. Frid. Gronou. *ad Senec. Epist. XLV. p. 27.*

VI. Cur dicta emancipatio?

VII. Quoties ergo fiebat emancipatio, adhibendi erant non minus quam quinque testes Romani ciues (b), et puberes, et praeterea alius eiusdem conditionis, qui libram teneret aeneam vnde et LIBRIPENS appellabatur, nec non alius

VII. Emancipationis veteris ritus. Vestes praefentes. Libripens Antestatus.

M 4

alius

(b) Ita Caius apud Boeth. Comment. ad Top. Cic. III. sed tamen et *Latinos Iunianos* testes admitti consueuisse, docet Vlpian. *Fragm. XX, 8.*

alius qui ANTESTATIVS audiebat. Fit eius mentio etiam a Prisciano *Lib. VIII. apud Putzsch. p. 792.* vbi verba Liuii: *Impubes LIBRIPENS esse non potest, neque ANTESTARI:* nec non in marmore apud Gruter. *p. MLXXXI.* vbi narratur, donationem et mancipationem factam LIBRIPENDE CLAUDIO DATIVO, ANTESTATO, CORNELIO VICTORE. Ex quo lapide apparet, diuersum a *libripende* fuisse *antestatum*. Cum vero ANTESTARI fuerit, *tactis auriculis alterum testem aduocare*, et dicere: *MEMENTO, QVOD ET MIHI IN ILLA CAUSA TESTIS ERIS:* Horat. *Serm. I, 9. v. 76.* et ibi Acron et Porphyri. *in Schoi.* isque ritus non solum in ius vocationi, sed et mancipationibus accederet (c): non abs re suspicantur viri docti, ANTESTATVM vocatum, qui testes conuocabat, eorumque fidem, tacta auricula, obtestabatur. Mer. *Obs. VIII, 37.* Fr. Brumm. *de Leg. Cinc. XIII. XIV.*

VIII. IV) Pater naturalis,
V) Pater fiduciarius.

VIII. Praesentem porro adesse oportebat non solum patrem *naturalem*, sed et emtorem, filii, quem Caius PATREM FIDUCIARIVM vocat (d). Hic enim non idem videtur fuisse, ac ante-

(c) Certe etiam in testamentis, quae fiebant aere et libra adhibitae fuisse ὄρων ἐπιψάσεις, *aurium tactiones*, patet ex Clem. Alex. *Strom. V. p. 575.* Conf. Brumm. *de lege Cinc. XIII. XIV.*

(d) Vix nomen hoc quadrat emtori filii. Mancipatione enim emtor non fiebat pater, sed dominus, Fiducia quoque in tertia demum mancipatione contrahabatur. Tunc ergo demum emtor iste fiduciarius vocari coepit. Sed Anianus fortassis hic Caium turbauit. Vid. Schulting. *ad Cai. Inst. I, 9. p. 55.*

antestatus, cum et ceteroquin emtor in man-
 cipationibus ab antestato differret. Dicitur au-
 tem pater *fiduciarius* a contractu FIDVCIAE
 qui in tertia mancipatione interponebatur, vel
 ex nouis legibus tacite interpositus censebatur.
 §. ult. *Inst. de legit. agn. success.* FIDVCIAM au-
 tem, (inquit Boeth. *Comment. ad Cicer. Topic.*
 IV.) accipit, cuicumque res aliqua mancipatur,
 ut remancipet.

IX. His ergo praesentibus, naturalis pater IX. VI) Tri-
 filium suum emtori mancipabat, id est, ma-
 nu tradebat additis verbis: MANCVPO TI-
 BI HVNC FILIVM, QVI MEVS EST. nae manci-
 At illa contra ea, HVNC EGO HOMINEM pationes.
 EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO,
 ISQVE MIHI EMTVS EST HOC AERE,
 HAC AENEAQVE LIBRA: statimque, per-
 cussa libra, sestertium numum (e) dicis causa
 tradebat ei, a quo filium acceperat, quem
 deinde sollenniter manumittebat emtor.
 Quandoquidem vero ex principiis iuris Roma-
 ni filius, semel iterumque manumissus, in pote-
 M § statem

(e) Apud Caicum est: *Vnum aut duos numos.* Id vero
 procul dubio ab Aniano est. In mancipationibus
 semper requirebatur *numus vnus, quatuor assium*, id
 est, sestertius. Testes sunt inscriptiones apud Gru-
 terum, et Spon. *Miscell. p. CCXCII.* in quibus semper
 in mancipationibus mentio fit *SESTER TII NVMI*
VNIVS. Testantur veteres auctores, veluti Vitruu.
Architect. I, 4. Numo sestertia mancipia dedit. Testa-
 tur ipsum ius nostrum *l. ult. C. de donat.* vbi conferri
 merentur: Cai *Obs. X, 37. XIX, 21.* Ant. Augustin, *Es-*
mend. II, 7. Frid. Brummer. *de Leg. Cinc. XIV.*

VII) Additum pactum fiduciae.

statem patris recidebat: Dionys, Hal. II. p. 96. non poterat non imaginaria ista venditio ter repeti. Vbi postrema fiebat mancipatio, contractus fiduciae accedebat, paterque naturalis haec verba addebat: EGO VERO HVNC FILIVM MEVM TIBI MANCVPO, EA CONDITIONE, VT MIHI REMANCVPES, VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, TE PROPTER TE TVAMQVE FIDEM FRAVDER. Cic. de officiis III, 15. ad famil. Epist. VII, 12. Sigon. de iudic. I, 5. Ille contra statim, recepto sestertio, filium patri naturali remancipabat. Quod ideo a Romanis excogitatum fuerat, vt ne, si a fiduciario manumitteretur, hic iura patronatus retineret, et naturalem patrem hereditate excluderet. Cai. Inst. I, 6 p. m. 59. Remancipatum ergo sibi filium pater naturalis denique manumittebat, et quidem ordinario vindictae ritu, additis alapis. Vnde emancipatio olim μεθ' ὑβρεων και εαπισμάτων cum iniuriis et alapis facta dicitur. Nou. LXXXI. praef. Horum rituum omnium notitiam debemus Caio Inst. I, 6, 3. sed pessime habito ab Aniano, vnde pleraque ex doctorum virorum notis, et maxime Fr. Brummeri victuro opere de lege Cincia, vel emendanda, vel suppleta fuerunt.

X. Circumstantiae temporis.

X. Poterant porro trinae istae mancipationes vel eodem die, iisdemque testibus, vel interiectis aliquot diebus, aliisque adhibitis testibus, seorsum fieri. Paull. Recept. Sent. I, 25. 2.

XI. O-

XI. Opus quoque his sollempnitatibus ter repetitis erat duntaxat in emancipatione filii, cum filiae et nepotes vnica tantum emancipatione patria potestate exirent. Addebatur tamen et hic fiducia de remancipatione, vt ne pater naturalis spem successionis ab intestato amitteret, Cai. *Inst. l. c. Vlpian. Fragm. X, 1.*

XI. Vnica emancipatio sufficiebat in emancipatione filiae et nepotum.

XII. Et haec est vetus illa ac sollempnis emancipatio, quae, vt aliae formulae ac sollempnitates displicere posteritati coepit. Quare ANASTASIVS Imperator nouum inuenit emancipandi modum, qui solum Principis rescriptum iudici insinuandum exigeret, et omnia tamen veteris emancipationis effecta haberet. *l. 5. C. de emanc lib.*

XII. Emancipatio Anastasiana.

XIII. Deinde IVSTINIANVS, et has aboliturus ambages, Anastasianam quidem emancipationem non sustulit, sed tamen patribus permisit, vt statim adirent magistratum competentem, et coram eo, consentiente filio, filium se e potestate dimissuros esse, ostenderent. *l. ult. C. de emancip, lib.* Idque hac fiebat formula: HVNC SVI IVRIS ESSE PATIOR, MEAQUE MANV MITTO. Harmenop. *Prompt, l. 17, 8.* Sed posterioribus his speciebus nomen EMANCIPATIONIS vix quadrare, fatis apparet.

XIII. Emancipatio noua vel Iustiniana.

XIV. Postremus modus, quo patria potestas soluebatur, erat DIGNITAS. Et quamuis Dionysius Halic. *II. p, 96.* nullam dignitatem patria potestate liberasse contendat: iam ab antiquissimis tamen temporibus Flamines Diales et Virgines Vestales patria potestate libera-

XIV. Dignitas olim non soluebat patriam potestatem.

berabantur. Vlpian. *Fragm. X, 5.* Gell. *Noct. Attic. I, 12.* Id quod tamen non tam ob dignitatem, quam ideo potius factum videtur, quia tum Flamines Diales, tum Vestales virgines a pontificibus manu capiebantur. Cum ergo capti ex principiis iuris Romani capite deminui dicerentur, et hinc iure patriae potestatis exirent; mirum non est, vtrumque etiam hoc sacerdotium eam potestatem soluisse. De ritu capiendi Vestales vid. Dion. *Hal. II, 68.* apud quem, quod obiter moneo, verbum ἀσπριμένων Sylburgius parum accurate verit optandi, cum vertendum fuisset capiendi. Gell. I, 12. Lips. *de Vesta et Vestal. V.* Flaminis Dialis capti meminit Liq. XXVII. vbi conf. Iac. Guth. *de vet. iur. Pontif. I, 32.* Quin et flaminicae, id est, vxores flaminum Dialium patria potestate exhibant, quod Scto demum coarctatum tempore Tiberii, Tacit, *Annal. VI, 16.*

XV. Iustinianus tamen p. d. exire voluit Patricios.

XV. At Iustinianus postea et *Patriciatus* dignitatem immunem esse iussit a patrio imperio. *l. fin. C. de consul. §. 4. Inst. h. t.* Ante Iustinianum enim patriciatum a patria potestate non liberasse, idque frustra ex Cassiodori *Var. VI, 2.* colligi contra Vinn. *ad §. 4. Inst. h. t.* et Bachou. *in Disp. ad Treutl. Vol. II. Disp. 2. th. ult.* accurate euicit V. C. Reinold. *Var. Cap. XIX.* Caue vero hic intelligas antiquos illos patricios, quos in libera republica plebeiis oppositos constat. Constantinus enim Magnus praecipuos rerum administratos vocare solebat patricios, vt se quasi principum patres esse meminissent. Si ipsos Praefectos Praetorio in line

antei-

anteibant. Zosim. *Hist. II, 40.* nec minor, quam horum in imperio erat auctoritas. Quemadmodum enim Praefecti proponebant Edicta, quae deinde in vnum corpus collecta τῶν ἐπαρχικῶν nomine veniebant: ita idem ius erat Patriciis, quorum edicta collecta τὰ Ῥωμαϊκὰ dicebantur, sicuti ipsorum principum βασιλικὰ. Vid. Cuiac. *Obs. VI, 10.* Unde parum accurate Dionys. Gothofred. in *Nomenclatore Graecar. iur. diction. ad Carmenopol. p. 447.* Ῥωμαϊκὰ τῶ μαγίστερ λεγόμενα, constitutiones Romani Imp. aut potius *Commentarius magistri ad Romani Constitutiones, aut certe liber a magistro, Romani nomine, compositus suisque titulis distinctus, aut potius aliud Ῥωμαϊκὰ, aliud τὰ τῶ μαγίστερ λεγόμενα.* Vbi sane dum plures coniecturas repraesentat, a re plane aberrat vir doctissimus. Ceterum et posteris ea dignitas summa semper et splendidissima visa est. Vid. Cassiod. *Var. VI, 2.*

XVI. Idem beneficium deinde Iustinianus cum Episcopis, quin et cum aliis, qui magistratum honoratiorum dignitate pollerent, veluti cum *Consulibus, Consularibus, Praefectis Praetorio, et Vrbi, Magistris militum et patronis fisci* communicavit. Nouell. LXXXI.

XVII. Accedebant quaedam causae, ob quas parentes etiam inuiti cogerentur liberos e potestate dimittere, de quibus passim iureconsulti. Conf. Thomaf. *Dissert. de usu pract. huius tit. I, 15. et 16.* quae nos diximus in *Elem. Iur. Civ. §. 198.*

XVI. Episcopos

XVII. De causis emancipandi necessariis,

DE

TUTELIS, TESTAMENTARIA, LEGI-
TIMA, DATIVA.

Sequitur tertia personarum diuisio, aut subdi-
uisio potius personarum sui iuris. Harum
enim *quaedam* in TUTELA, *aliae* in CVRA-
TIONE sunt, *quaedam* NEVTRO IVRE *te-
nentur. Princ. Inst. b. t.* Ipsa tutela curaque eo-
rum, qui per aetatem vel imbecillitatem intelle-
ctus se ipsi defendere nequeunt, est iuris gen-
tium, et hinc apud omnes peraeque gentes re-
cepta. Vid. Selden. *de vxore Hebr. II. 3.* Pufend.
Jur. Nat. et Gent. IV, 4. Sed Romani in multis
a simplicitate ista iuris naturalis deflexerunt.
Vnde apud eos alia tutela IMPVBERVM, alia
curatio MINORVM, aliorumque, qui rebus
suis ipsi superesse non poterant, alia tutela FE-
MINARVM. De omnibus ex antiquitatibus
Romanis nonnulla monenda.

TIT. XIII.
I. Tutela
Romae anti-
quissima.

I. TUTELA IMPVBERVM tam antiqua
est, vt et sub Regibus eius exemplum reperia-
mus. Ancum enim Marcium filius tutorem de-
disse L. Tarquinius Priscum, patet ex Liu. I,
46. Cum ergo Tarquinius nec agnatus fue-
rit, nec eo tempore leges de tutela datiuia exsta-
rent, adeoque ea tutela procul dubio testamen-
taria futerit: sequitur, vt haec sit reliquis anti-
quior.

II. Cer-

II. Certé et légibus XII. Tabularum ea tutelae species firmata est, prospectumque, ut patris de liberorum tutela in testamento disponendi facultas esset. Legitima verba ex Auctore ad Herennium, Cicerone, Ulpiano et Paulo ita restituit Iac. Gothofredus *de Leg. XII. Tab. V, 1.*
**PATER FAMILIAS, UTI LEGASSIT
 SUPER PECUNIAE, TUTELAEVE SVAE
 REI, ITA IVS ESTO.** *Legare* hic non solum singulas res testamento relinquere, sed et omne testamentarium negotium denotat, idemque adeo est, ac *testari*, seu *testamento statuere*, vel *decernere*. Et enim *legare*, ceu syllabae primae quantitas docet, a Graeco vetusto *λήγειν* vel *λήγειν* unde futurum, *λήξω*, quod verbo *λαγχάνω* tribuunt grammatici, *λήξις hereditas* et *ληξίαρχος magistratus Atheniensium*. In primis autem LEGARE Latinis erat legis inodo disponere, mandare, legem dicere rebus suis, *νομοθετεῖν*, ceu infra *ad titulum de legatis* docebimus. *Super pecuniae tutelaene ἀρχαίων* dicitur. Non enim raro antiqui exemplo Graecorum, casum secundum pro sexto adhibebant. Sic in marimore Salernitanorum, apud Grut. *p. CCCXLIII, 2.*

TIT. XIV.
 II. Lex XII.
 Tabularum
 de tutela te-
 stamentaria.

ACERRIO. FIRMEO. LEONTIO.
 PRIMARIO. VIRO. ET. EDI-
 TORI. MVNERIS. SVI. CVM.
 FERARVM. LIBYCARVM. QVI.
 VIXIT. ANN. XXX. DIGNISSI-
 MO FILIO.

CON.

CONSACRABERVNT.

Pecunia porro non solum numos, sed et omnem substantiam testatoris, immo et iura, complectitur. *Quidquid enim homines possident in terra, quorum domini sunt, PECVNIA vocatur, seruus sit, vas, ager, arbor, pecus: quidquid horum est, PECVNIA vocatur*, inquit Augustin. *De Doctrin. Christ. VI. p. 585. Tom. VI. op. plaue iuridice, uti patet ex l. 222. D. de verb. signif.* Denique SVAE REI dum additur, id sane referendum ad ipsos liberos(a), qui iure veteri erant in dominio Quiritario, adeoque RES MANCIPI. (*Lib. II. Tit. I. §. XV.*) Sensus ergo est, quamcunque legem paterfamilias in testamento suo dixerit, et quocunque modo disposuerit, et de rebus suis, et de ipsis bonis ac facultatibus eorum, (scilicet per substitutionem pupillarem) ita ratum post mortem futurum. Cum enim antea sub regibus, calatis comitiis testamenta fierent, adeoque heredum tutorumque institutio a populi magis arbitrio, quam voluntate testatoris, penderet: mutatum id est lege decemuirali, permissumque patrifamilias cuius, de tutela pecuniaeque suae rei, id est, liberorum suorum libertime disponere.

III. Si

(a) Vnde non est, quod lectionem hanc sollicitet V. C. Gerard. Noodt *Obs. II, 19.* ubi legi iubet: *Super tutela pecuniae suae*, additque *tutela suam* idem esse ac tutelam eius, qui suus testatori heres sit. Nemo enim temere ita loqueretur: Nec obstat, tutelam non habere locum in liberis, dum sunt *res suae*, id est, in patria potestate constituti. Legat enim pater de tutela suae rei, sed in eum casum, quo liberi futuri sint capita libera.

III. Siquis ergo paterfamilias liberi quos in potestate habebat, siue liberos, siue seruos suos, hos tamen cum libertate, tutores dederat (b) : ii sine satisfactione atque inquisitione admittebantur, ipsosque excludebant legitimos ; dummodo essent ciues. Nam Latini Iuniani, quamuis cum iis esset testamenti factio : tutores tamen dari non poterant per legem Iuniam. Ulpian. *Fragm. XI, 16*. Quia vero fundamentum huius tutelae testamentariae erat patria potestas : consequens erat, ut et nepotibus, qui in patris potestatem defuncto auo non essent recasuri, et exhereditatis impuberibus tutores testamento constitui possent. Vid. *l. 4. et 26. §. 2. et l. 31. D. de test. tut.* Et inde simul patet ratio, cur mater tutores testamento dare non posset, *l. 2. D. de confirm. tut.* quamuis tutor ab ea datus, confirmari soleret cum inquisitione, modo ea pupillum simul heredem instituisset. *l. 4. D. de test. tut. l. 4. D. de conf. tut. l. 7. §. 1. l. 8. D. eod.* Quae confirmatio et aliis casibus quibus tutoris dationi vitii quid inesse videbatur, accedere solebat, ceu Icti pluribus docent in libellis suis.

III. Tutelae testamentariae indoles.

IV. Cum vero contingere posset, ut intestatus, saltim quod ad tutelam, decederet paterfamilias : iisdem legibus decemuiralibus fuerat constitutum : **AST SI INTESTATO MORITVR, CVI SVVS HERES NEC ESCIT, AGNATVS PROXIMVS TVTELAM NAN-**

TIT. XV.
IV. Lex XII,
Tab. de Tutela agnorum legitima.

(b) Formulas quibus in testamentis vsu Romani. si tutores dare vellent, colligit Briffon. *de Form. VII. pag. 616.*

NANCITOR. Gothofred. *ad XII. Tab. V, 4.* Et ab hac lege LEGITIMA dicta est tutela, ad quam agnati ab ipsa lege vocabantur.

V. Origo huius tutelae.

V. Quenam sit huius LEGITIMAE TUTELAE origo, eruditis nondum liquet. Veteres legislatores mirifice hic discreparunt. Solon agnatos a tutela prohibuerat, veritus procul dubio, ne hereditatem capere mallent, quam expectare. Hinc potius cognatis credidit pupillos, nec proximis tamen semper, sed quoscunque Archontes idoneos iudicassent. Diog. Laert. I, 56. *Petit. de leg. Attic. XI, 7.* Charondas contra, seiuncta educationis bonorumque cura, illam penes cognatos, hanc penes agnatos esse voluit, cum nec illi tollendi e medio pupilli, nec hi dissipandarum facultatum ullam haberent causam. Diod. Sic. *Biblioth. XII, p. 81.* Denique Lycurgus agnatos proximios ad tutelam vocavit, forsitan, quod, in tanta Spartanorum continentia et paupertate, non admodum metuerentur insidiae. Exemplum sane legitimae agnatorum tutelae Spartaee receptae, est apud Herodot. I, p. 16. ubi ipse Lycurgus dicitur *ἐπιτροπέυσας λεωθώτεω, ἀδελφιδέσ μὲν ἐωῦτ᾽, βασιλεύοντος δὲ Σπαρτιτῶων.* Tutor, et idem patruus Leoboti Spartiatarum Regis. Add. Crag. *de Rep. Lac. II, 11.* Spartanos ergo imitati videntur decemviri. Lacedaemoniorum sane non minus, quam aliorum Graecorum, instituta quaedam in XII. tabulas migrasse, iamdudum obseruarunt Athenaeus. VI, p. 273. Symmach. *Epist. III, 11.* Ammian. Marcellin. XVI, 5.

VI. Satisne vero prudenter eam Spartanorum legem ciuitate donarint decemuirii, alii viderint. Non sane tanta erat Romanorum, quanta Laeonum, continentia, non idem utrobique diuitiarum contentus. Hinc tot iniquissimi heredipetae, quorum characterem egregie exprefferunt Perf. *Sat. II, v. 12, 13.* Horat. *Serm. II, 5.* Iuuenal. *Sat. V, v. 98.* VI, v. 38. XII, v. 93. Marcial. *Epigr. VI, 63. VIII, 17.* Thomaf. *Differt. de iniusto iure heredipet. §. XIV. sequ.* Bynkersh. *de capt. instit. p. 303. seq.* An religioni sibi duxerint homines tam lucri cupidi, pupillum, cuius proximi heredes erant, interimere? Vnde mirum est, legislatoriam decemuirorum prudentiam hac in re quosdam tantopere admirari.

VI. Tutela legitima occasione dedit fraudibus heredipetarum.

VII. In iisdem porro XII. tabulis erat constitutum: SI LIBERTVS INTESTATO MORITVR, CUI SVVS HERES NEC ESCIT, AST PATRONVS PATRONIVE LIBERI ESCINT, EX EA FAMILIA IN EAM FAMILIAM PROXIMO PECVNIA DVITOR. Gothofr. *ad XII. Tab. VI, 2.* Et ex hac quidem lege, defuncto sine prole liberto, patronus, vel, hoc praemortuo, eiusdem liberi in capita succedebant ab intestato, remotioresque excludebant. *l. 23. §. 1. D. de bon. libert.* Vlpian. *Fragm. XXIX, 1.* Cum ergo iam dudum Romae valuisset regula: *Vbi successionis emolumentum: ibi et tutelae onus esse debere:* aequum visum est iureconsultis, vt etiam in tutela patronorum essent liberti eorumque liberi *l. 3. pr. et §. 1. D. de legit. tut.* Et hinc nata legitima

TIT. XVII.
VII. Origo legitimae patronorum tutelae.

PATRONORVM TUTELA, quam *per consequentiam ex lege duodecim tabularum introductam*, recte ait Vlpian. *Fragm. XI, 3.*

TIT. XIII.
VIII. Origo
legitimae
parentum
tutela.

VIII. Diximus supra Tit. XII. §. IX. patrem naturalem, emancipantem liberos, vltimae mancipationi addidisse factum *fiduciae*: EGO VERO HVNC FILIVM MEVM TIBI MANCVPO, EA CONDITIONE, VT MIHI REMANCVPES, VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, NE PROPTER TE TVAMQVE FIDEM FRAVDER. Diximus etiam, tunc emtorem, seu patrem fiduciarium, filium sibi mancipatum patri naturali remancipasse, a quo demum fuerit per vindictam manumissus. Diximus denique id ideo factum esse, vt pater naturalis iura patronatus, coniunctamque cum iis spem succedendi ab intestato, retineret. Vid. supra *Lib. I. Tit. XII, 8. §. 9.* Cum ergo penes patrem, tanquam patronum, spes remaneret successionis: ex prudentum interpretatione deferenda etiam ei videbatur tutela legitima, si filius emancipatus adhuc esset impubes. Mortuo porro patre, fratres istius emancipati nati maiores, si essent maiorenes, ad tutelam vocabantur. Cum vero hi non essent fratris emancipati heredes ab intestato, tutela illa non poterat dici agnati. Vocata ergo est FIDVCIARIA, ab illo pacto fiduciae, quod in emancipatione intercesserat. Quamuis ex Vlpiano pateat, olim non legitimam fratrum sed ipsam parentum tutelam dictam esse *fiduciariam*, idque vel ideo concinnius sit vocabulum, quod pactum

TIT. XIX.
vt et tutelae
fiduciariae.

ctum

etum illud fiduciae non frater, sed pater emancipans interponeret. Ita tamen et Modestinus hanc tutelam vocat *l. 4. D. de legit. tut.* nisi et eam in legem falcem immisit Tribonianus. Vid. Ant. Schulting. *ad Vlpian. Fragm. XI, 5. p. 595.* Huber. *Digress. I, 1. 4.*

IX. Enimuero, cum non deessent casus, quibus et testamentarii, et legitimi tutores, deficerent: visum est Romanis, noua lege cauere, vt impuberibus tunc tutores a magistratibus DARENTVR. Factum ergo ea de re plebiscitum, quod LEGIS ATILIAE (c) nomine in iure laudatur. Tempus huius legis latae incertum est, nisi quod eam ante annum ab V. C. DLXVII. conditam doceri possit ex Liuio XXXIX, 6. Vid. Car. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. I, 13.* Inuenimus sane *Atilium Longum*, Trib. plebis fuisse anno V. C. CCCIX. *L. Atilium* anno CCCXLIII. Liu. IX, 30. sed neutrum hanc legem tulisse verosimile est, quoniam tunc nondum erat Praetor urbanus. Annum V. C. CCCCLX. quo praetor fuit M. Atilius Regulus, huic legi adsignat Steph. Vin. Piph. *in Annal. ad ann. CCCCLX.* sed et hunc non magis auctorem legis esse arbitramur: maximè, cum

TIT. XX.
IX. Lex Ati-
lia de tutore
datiuo quan-
dolata.

N 3

Prae-

(c) ATILIA non ATTILIA dicitur haec gens apud Liuium, Tacitum, Ciceronem, et maxime in numis et marmoribus. Vid. Fulu. Ursin. *de famil. Romanorum ex numism. p. 42. edit. Patini.* Erat ea gens Romae nobilissima in tres potissimum diuisa familias, quarum vna *Regulorum*, altera *Serranorum*, tertia *Calatinorum* cognomen ferebat. Gentis totius seriem accurate dedit Iac. Ferizon. *Animadu. Hist. Cap. I. p. 26.*

Praetores plebiscita ferre non solerent. Procul dubio lata est anno CCCXLIII. a L. Atilio Regulo, Trib. pleb. cuius meminit Liu. IX, 30.

X. Quid ea lege fancitum?

X. Hac vero lege cautum est, ut pupillis, et feminis, quibus nec testamentarius, nec legitimus tutor esset, tutor daretur a praetore et maiore parte tribunorum plebis (*d*). Exemplum est apud Liu. XXXIX, 9. ubi Fecennia Hispala post patroni mortem, quia nullius in manu esset, tutorem a TRIBVNIS et PRAETORÉ petiisse dicitur. Dicitur eiusmodi tutor *Atilianus*, nec non *datiuus*, a formula, qua uti Praetores solebant: DO TE TVTOREM. Briffon. *de Form. V. p. 408.*

XI. Lex Iulia et Titia.

XI. Sed cum ea lex Romae tantum haberet locum: (Ulpian. *Frag. IX, 18.*) anno V. C. DCCXXII. Augusto III. et M. Titio M. F. Rufo Coss. lata est lex Iulia et Titia. Henr. Vales. *ad Excerpt. Peirescian. p. 61. Tacit. Ann. III, 25.* Quia enim antea diu in sola Sicilia fuerat moribus receptum, ut praetores τοῖς ἀεφανῶϊς καὶ γυναιξίν ἐρήμοις συγγενῶν *pupillis et feminis agnatorum cura destitutis*, tutores darent; Diodor. Sic *in Excerpt. Peiresc. p. 397.* factum est, ut illud ius hac

(*d*) Id verò ideo videtur fancitum, quia aliquando una cum praetore edicta conscribebant tribuni, aut certe hi a praetoribus in consiliū adhibebantur. Vid. Cic. *de offic. III, 20.* Ceterum hic id singulare est, quod plura Tribunorum plebis suffragia vincerent pauciora, cum alias singulis esset ius intercedendi turbandique reliquorum decreta. Obseruatum id iam a Fr. Hotomano, et Arn. Vinnio *ad pr. Inst. de Atil. tut.*

hac lege etiam cum aliis prouinciis communi-
caretur, iuberenturque praefides etiam in pro-
uinciis tutores dare. Vlpian. *Fragm. l. c.*

XII. Sed tamen haec tutoris datio non
vnam postea subiit mutationem. Cum enim
tribuni et praetores negligentius forsan eo mu-
nere fungerentur: sancitum est *SCto Claudiano*,
vt pupillis extra ordinem tutores a consulibus da-
rentur. Suet. *Claud. XXIII.* Hinc ad Traiani vs-
que tempora tutores a consulibus datos legimus
apud Plin. *Epist. IX, 13.* Horum vero, simul
erat inquirere in tutoris conditionem, atque
indolem, ne quid res pupilli detrimenti cape-
rent. §. 3. *Inst. b. t.* Quaestiones in ista inqui-
sitione propositas recenset Iac. Cuiac. *in Papin.*
ad l. 5. C. de conf. tut. p. 296.

XIII. Mox tamen et consulares istae tutelae
displicuerunt. Vnde ius dandi tutores prae-
toribus constitutione restituit M. Antoninus
Imp. ita tamen, vt singularem faceret *Praetorem*,
quem ab officio *tutelarem* vel *pupillarem* appella-
bat. Iul. Capitolin. vid. Marci. X. §. 3. *Inst. b. t.*
Haec Praetora satis diu Romae mansit. Nam ANI-
CII AVCHENII BASSI, PRAETORIS TVTE-
LARIS mentio fit in marmore apud *Reines. Inscr.*
VI, 4. Alia monumenta, in quibus hic Praetor
laudatur, collegit Ios. Castalio. *Var. Lect. XX.*

XIV. Paulo post moribus inualuit, vt
Romae praefectus vrbi et praetor secundum
suam iurisdictionem; in prouinciis vero Prae-
fides, immo et Legati Procons. ex speciali lege,
id est ex Oratione D. Marci tutores ex inqui-

XII. Tutoris
datio consu-
libus SCto
Claudio
iniuncta.

XIII. Prae-
tor tutelaris
factus ab
Antonino.

XIV. Praefe-
ctus et Prae-
tor quando
tutores de-
derint?

tione darent, qui tamen etiam inferiori magistratui vel ipsi ciuitatis defensori id negotii dare poterant, si non adeo magnae essent pupillorum facultates. §. 4. *Inst. de atil. tut. l. 1. pr. §. 1. l. 3. l. 19. pr. §. 1. D. de tut. et cur. dat.* Erant autem *Defensores ciuitatum*, qui et ἐκδικοί, et *Vindices* appellati, similes tribunis plebis Rom. eorumque erat plebis iura aduersus magistratus tueri. *l. un. C. de off. iurid. Alex.* Vnde eos cum τοποτηρηταίς, *seruatoribus locorum, locorum iudicibus, vicariis* qui iuris dicundi causa a Praefectis praet. mittebantur, non confundendos monet Cuiac. *Obseru. III, 14. (e)*. Quae loca cum *l. 8. D. de tut. et curat. datis ab his.* diligenter, vt solet, contendit Ger. Nood, *de Iurisd. II, 8. p. 162.*

XV. Iustinia-
ni noua
Constitutio.

XV. Denique Iustinianus sanxit, si pupilli vel adulti facultates vsque ad D. solidos valeant, vt Defensores ciuitatum vna cum episcopo, vel alii magistratus, etiam non expectata Praesidis iussione, vel Iuridicus Alexandrinus tutores vel curatores darent. *l. 30. C. de Episc. aud. §. 5. Inst. de atil. tut.*

XVI. Tute-
lae mulie-
rum origo.

XVI. Haec tralatitia sunt. Antiquitatum vero studiosis porro est obseruandum, non solum *pupillos* tutelae, iure veteri Romano, subfuisse, sed et FEMINAS. Et Athenis quidem idem fieri consueuerat, vbi noti mulierum tutores, quos *κυρίαις* appellabant. Vid. Guil. Budaei

(e) Obseruata tamen differentia, vt, si Praesides ipsi tutores darent, id fieret cum inquisitione: sin magistratus municipales; cum satisfactione. Qua de re infra.

daei *Comment. Graec. Lingu. p. 44. 45.* Pfeiffer. *Antiq. Graec. IV, 5. p. 616.* Salmaf. *de mod. usurar. IV, p. 165.* Sane enim in negotiis omnibus a feminis Graecis adhibendi erant tutores, Cic. *pro Flacc. XXX* adeo vt contrahere non possent sine illis *πέγα μεδίμνα κριθῶν* *ultra modium hordei, centestantur* Dio Chrysoft. *Orat. LXXV.* et alii veteres, quos excitarunt Meurs. *Them. Att. II, 9.* et Salmaf. *de mod. usur. cap. X. p. 425.* Nec agere vel conueniri Athenis poterat mulier sine tutore, et hinc illa vox Praeconis in iudiciis Atticis: *ἡ δὲ να καὶ ὁ κύριος,* *Citatur haec mulier, eiusque tutor.* V. C. Eu. Otto *Diff. IV, cap. I. §. 6.* Inde itaque est, quod nonnulli istam mulierum tutelam e iure Attico in Romanum permanasse existimant. Schilter. *Exerc. ad Pand. XXXVIII, 327. p. 691* Vinc. Grauina *de leg. et senatusconsf. p. 550.* Sed praeterquam quod illam tutelam plane diuersam a Romana fuisse, probatur a Meursio *Attic. Lect. III, 34.* videtur etiam Romana propter infirmitatem consilii iam inde ab ipsa urbis origine recepta. Quamuis enim id non sequatur ex loco Plutarchi *in Numa p. 66.* vbi Vestalibus id priuilegii concessisse Numa dicitur, vt a tutela essent immunes, (ex quo loco alias colligunt, mulieres iam tum ab eo tempore sub tutela fuisse) (f) certius tamen id col-

N 5

ligere

(f) Id priuilegium Vestalibus non concessit Numa, quidquid dicat *Plurarchus.* Ius enim trium liberorum, quod ibidem ait Vestalibus concessum, Numae temporibus erat incognitum. Praeterea ad Augustum hoc Vestalium priuilegium refert Dio Cass. *Lib. LVI.*

ligere licet ex loco Catonis apud Liu. XXXIV, 2. *Maiores nostri nullam, ne priuatam quidem rem, agere feminas sine auctore voluerunt, in manu esse parentum, fratrum, virorum.* Adde et alterum locum Ciceron. (g) *pro Muraena XII. XVII.*

LVI. p. 578. Iust. Lipf. *de Vesta et Vestal.* XII. Sed adde tamen, quae scripsimus in *Comment. ad L. Iul. et Pap.* Lib. I. cap. 2. p. 27. vbi Plutarchi locum vna litera mutata ita emendauimus: Τιμὰς δὲ μεγάλας ἀπίδωκαν (pro ἀπέδωκεν) ἱεραῖς παρθέναις, ὧν ἐστὶ καὶ τὰ διαθεῖσθαι ζῶντος ἐξῆναι πατρὸς, καὶ τὰλλα πράττειν ἀνευ προσάτης, διαγύσας, ὡσπερ αἱ τρίκαιδες. *Tribuerunt non Numa sed Romani*) *Vestalibus ingentes honores, inter quos testamenta vel superstitite patre nuncupandi ius, et sine tutore liberum suarum rerum arbitrium, ut, quibus tres sunt liberi.* Multa enim Plutarchum data occasione per πρόληψιν referre solere, ibidem ostendimus.

(g) Verba Ciceronis sunt: *Nam cum permulta praecclare legibus essent constituta, ea iureconsultorum ingenii pleraque corrupta sunt. Mulieres omnes propter infirmitatem consilii maiores in TUTORVM potestate esse voluerunt; hi inuenerunt genera tutorum, quae potestate mulierum conuincerentur.* Locus hic ab ipsis interpretibus parum intellectus est. Fr. Sylu. p. m. 635. ait. iureconsultos inuenisse tutelas, quibus non mulieres sub tutorum, sed hi sub mulierum potestate essent. Sed haec numeris Platonicis obscuriora. Phil. Melanchth. p. 672. et Io. Benignus p. 744. intelligunt tutelam maternam liberorum. Sed ea non est illorum temporum, ut patet ex Nou. CXVIII, 5. Ioach. Camerarius p. 700. plane ἐπέχει. Sed certissimum est, intelligi tutores ab ipsis mulieribus electos. Mulieres conuentione in manum liberabantur a tutela, et filiarum familias loco habebantur. Cum ergo paterfamilias iure possēt testari de tutela: factum est, ut et morientes mariti testamentis de tutela vxorum disponerent, et ita quidem disponerent,

XVII. Erat vero haec mulierum tutela vel PVPILLARIS vel PERPETVA, Boeth. *in Topica Cic. IV.* quarum hanc illi praeferebant veteres, teste Gellio *Noct. Att. V, 13.* *Pupillarem* pubertas finiebat; *perpetua* ne maiorenitate quidem exspirabat. *Pupillarum* tutores et gerebant, et auctoritatem interponebant. *Adultarum* vero negotiis tutores tantum auctoritatem interponebant non vero gerebant. Hinc verbi causa recte mulieri adultae poterat solui. Cic. *Topic. XI.* At auctoritate tutorum opus erat, si illa lege aut legitimo iudicio agere vellet, si se obligaret, si negotium ciuile gereret, si rem mancipi alienaret. Cic. *pro A. Caecin. XXV.* Ulpian. *Fragm. XI, 25. 27.* Quin et nuptias contrahere, vel in manum conuenire sine tutorum auctoritate non poterat. Cic. *pro Flacc. cap. XXXIV.*

XVII. Ea vel pupillaris vel perpetua.

XVIII. Erat porro perpetua illa tutela mulierum vel TESTAMENTARIA, vel LEGITIMA vel PRAETORIA. Ista erat in potestate mariti, qui moriens vxori, quae in manum conuenerat, tanquam filiaefamilias, tutorem dabat testamento. Id quod non solum ex loco Ciceronis paullo obscuriore *pro Mur. cap. XII.* Sed et ex hoc testimonio clarissimo Liuuii XXXIX, 19. patet, vbi Hispalae Fecenniae Sct. data dicitur *gentis enuptio*, et TVTORIS OPTIO

XVIII. Perpetua vel testamentaria, vel legitima vel praetoria.

vt iis darent optionem, quem vellent, tutorem sibi eligendi. Exemplum praeclarum est apud Liuuium XXXIX. 19. Hoc cum contra veteres leges inuexissent iureconsulti, *inuenerunt genera tutorum, quae potestate,* id est, optione *mulierum continerentur.*

OPTIO, *quasi* ei VIR TESTAMENTO DE-
DISSET. Vid. *Comm. ad L. iul. et Pap. Lib. II.*
Cap. XI. p. 237. Illa erat ordinaria; haec a
praetore Urbano et tribunis plebis dabatur, si
femina cum tutore legitimo lege aut legitimo
iudicio agere vellet, ut eo auctore ageret, vel
tutorem legitimum non haberet, vel is pupil-
lus esset. Nam et pupillis tutelam legitimam
iure veteri delatam esse, iam Cuiac. *Obs. XVII,*
28. demonstravit. Ulpian. *Fragm. XI, 24.*
Cum vero legitima tutela, quasi res iure
Quiritium propria in iure posset cedi: is, cui
tunc cedebatur, vocabatur *tutor cessicius* (b),
cuius administratio tamen cessabat; simul ac
legitimus qui cesserat, vel obiisset, vel capite
esset deminutus. Ulpian. *Fragm. XI, 7.* Fiebat
autem illa cessio, ne agnatus eo onere perpetuo
obrueretur, et quidem plerumque alteri agna-
to, si recte coniecit Iac. Gothofred. *ad l. 2. C.*
Theod. de tutorib. et curat. creand.

XIX. An ma-
riti tutores
vxorum?

XIX. Quaeri etiam solet, an et mariti tu-
telam vxorum suscipere potuerint? Adfirmat
Scipio Gentilis ad *Apuleii Apolog. n. 1020.* Sed
Domitiana erit quaestio, siue proponatur de
iis, quae in manum conuenerant, siue de il-
lis, quae tantum erant in matrimonio. Illae non
erant in tutela, sed in manu et mancipio marito-
rum, adeoque non magis poterant tutores ha-
bere, quam filiae familias, cum non essent ca-
pita

(b) Est quidem apud Ulp. *Frag. XI, 7.* vox *cessicus*, sed pro-
cul dubio legendum *cessicius*, quem admodum et tutela ibi-
dem vocatur *cessicia*. Vid. Io. van der Water *Observ.* III, 2.

pita libera. (Vide supra *Lib. I. Tit. X. n. VI.*) Hae sui iuris et rerum suarum dominae erant, ast in tutela non maritorum, sed agnatorum, vivebant, quia sine horum auctoritate nihil poterat de tutela legitima deminui, vt paullo post demonstrabimus. Hinc apud Gruter. *Inscript. p. DLII, 2.* occurrit monumentum, quod mulier fecit SIBI, CONIVGI, ET TVTORI SVO. Si vxores in tutela maritorum esse dicerentur: procul dubio id intelligendum esset improprie de iis, quae in manum conuenerant, quemadmodum et hodie nonnunquam parentes a ICTis satis inconcinne naturales filiorum tutores appellantur. Ex loco sane Ciceronis *pro Flacco XXXIV.* (i) maritalis ista tutela frustra colligi videtur a Schiltero *Exerc. XXXVII, 229.* Immo posterioribus temporibus tantum abest, vt maritus esse posset vxoris tutor, vt ne curationem quidem minorennis vel furiosae suscipere

(i) Locus Ciceronis: *In manum, inquit, conuenerat. Nunc audio. Sed quaero, vsu, an coemtionem? vsu non potuit, nihil enim potest de tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate deminui. Coemtionem? Omnibus ergo auctoribus? In quibus certe Flaccum fuisse, non dices. Relinquitur illud, quod vociferare non destitit, non debuisse, cum praetor esset, suum negotium agere, aut mentionem facere hereditaris.* Hic sane nihil habetur de tutela vxorum in maritos translata. Nec colligi id potest ex verbis; *nihil potest de tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate deminui.* De tutela enim legitima non diminuitur aliquid ita, vt maritus loco agnatorum tutor fiat, sed vt vxor in manum conueniat, adeoque tutela ei plane non opus sit, vel vt marito dotem sine auctoritate tutorum constituat.

pere possiet. Orationem D. Marci factumque eam in rem Sct. huic curationi obstitisse, notamus ex *l. 14. D. de cur. fur. l. 4. et l. 17. C. de excus. tut.*

XX. A tutela nonnullae privilegio liberatae.

XX. Sed obsoleuit sensim ista mulierum tutela: Et primo quidem privilegium illustrioribus quibusdam feminis concessum, ut sine tutorum auctoritate res suas gererent. Virginitibus Vestalibus eam libertatem indulserat non Numa (ut ex Plutarcho in *Numa p. 66.* colligunt) sed Augustus Dio Cass. *Lib. LVI. p. 578.* quo imperante etiam Octaviae et Liviae idem beneficium praestitit Senatus Dio Cass. *XLIX. p. 414.*

XXI. Legis Papiae Poppaeae sanctio de tutela mulierum.

XXI. Neque tamen eo ipso plane sublata tutela mulierum: siquidem lege Papia Poppaea cauerat Augustus, ut a Praetore urbis tutor daretur ei mulieri virginitate, quam ex hac ipsa lege nubere oporteret, ad dotem dandam, dicendam, promittendamue, si legitimus tutorem pupillum haberet. Vid. *Comm. nostr. ad L. Iul. et Pap. Lib. II. Cap. 13. p. 253. sequ.* Inimmo postea et Senatus censuit, in prouinciis a praesidibus ex eadem causa dandos esse tutores. Vlpian. *Fragm. XI, 20.*

XXII. Privilegium indultum mulieribus, quae ter quater pepererant.

XXII. Eadem tamen lege Papia Poppaea inuictum est ius trium et quatuor liberorum, quod etiam a tutela liberabat ingenuas, quae ter; libertinas, quae quater peperissent. Dio *Lib. LVI, p. 578.* Vlpian. *Fragm. XXIX, 2. et 3. Fragn. regul. ex veteri Icto subiectum Collat. Legum Mos. et Rom. n. XV. p. m. 807.* Id vero ius cum saepius etiam steriles et orbi utriusque sexus

fexus beneficio principis impetrarent: Dio Cass. *LV, p. 549*. Plin. *Epist. II, 13, VII, 26, X, 95*. Paull. *Sent. IV, 9, 26*. facile patet, rariores ex eo tempore factus esse mulierum tutelas.

XXIII. Successit Sctum Claudianum, quo tamen non omnis in vniuersum sublata est tutela mulierum, ceu visum est Iac. Cuiacio *ad l. vn. C. vbi tutor, vel curat.* et Marco Vertran. Mauro *de iure trium liber. XXXI.* sed tantum *cessitia*. Nolebat enim Claudius tutelas mulierum aliis cedi, id quod antea fieri consueuerat; sed oportebat proximos agnatos eas ipsas administrare. Et ita intelligenda esse verba Vlpiani *Fragm. XI, 8.* erudite docet Ant. Schultingius *in Annot. p. 596. seq.*

XXIII. An Sctum Claudianum tutelas mulierum sustulerit?

XXIV. Mansit ergo ea mulierum tutela sub Antoninis, quorum temporibus exemplum exstat Pudentillae, vxoris Apuleii, quae, tutore auctore, praedium emerat. Apulei. *Apol. II, p. 327*. Mansit tempore Vlpiani, quem ad Alexandri Seueri tempora vixisse constat. Mansit sub ipso Constantino, ceu apparet ex *l. 2. C. Theod. de tut. creant.* Mansit denique sub Leone Imp. cuius constitutionem de tutela mulierum *l. 3. C. de legit. tut.* a Triboniani interpolationibus vindicauit Schilter *Exerc. XXXVII, 239*. Sensim tamen ex eo tempore obsoleuit, adeo, vt Iustiniani temporibus illius nec vola nec vestigium superesset. Vnde et multa in Pan-tectis et Codice latent fragmenta, quae, cum de tutela mulierum loquerentur, a Triboniano in sensum prorsus alium detorta videntur.

XXIV. Quam diu durauerint?

TIT. XVI.

DE

CAPITIS DEMINVTIONE.

Quia agnationis ius capitis deminutione perimitur, et proinde etiam tutela legitima morte ista ciuili perit: visum est Triboniano, doctrinam illam de CAPITIS DEMINVTIONE loco licet plane alieno interferere, eamque subiicere *titulo XV. de legitima agnatorum tutela*. Nos, cum omnes tutelarum species coniunxerimus, iam et de capitis deminutione agemus, non quod eum ordinem putemus concinnum, sed quia Iustiniani institutiones sequi constituimus.

I. Origo capitis deminutionis quae?

I. Origo CAPITIS DEMINVTIONIS, quam nemo adhuc pro dignitate exposuit, a cenfibus Romanis videtur repetenda. Notum est, Seru. Tullium Regem vniuersum populum Romanum in sex classes et CXCIII. centurias descripsisse, in quibus conitituentis non regionum vrbis, aut communium sacrorum, sed opum et facultatum iniit rationem. Vnde in primam classiem coniecit qui CM. aeris, aut maiorem centum haberent; in secundam, qui infra censum millia vsque ad LXXV. millia possiderent. Tertiae classis L. millium censum esse voluit, quartae XXV. millium, quintae XI. millium. In sextam denique classiem coniecti egeni et tennes, qui vel proletarij dicti, vel capite cenfi. Illi quod propaganda tantum alendaque prole rempublicam iuarent, hi quod praeter

praeter caput et nomen nihil admodum in censu profiterentur, id nomen adepti sunt. Liu. I, 42. *seq.* Dion Halicarn. *Antiq. Roman.* IV, 22. Gell. *Noct. Att.* XVI, 10. Quemadmodum ergo capite censi dicebantur, qui saltim iure libertatis et ciuitatis gaudebant, adeoque in censuales tabulas referri poterant: ita serui, peregrini, filii familias, capite destitui dicebantur, quod non possent in censum suo nomine referri. De seruis certe reliqua est in iure nostro phrasis, eos *caput non habere* §. 4. *Inst. b. t.* Et filiis familias opponi *libera capita*, *ex l. 1. D. de tutel.* Gell. V, 30. *Vlpian. Fragm.* XI, 5. constat. Sed et *capitalis* poena Romanis dicebatur, non tantum illa, quae vltimum inferrebat supplicium, sed quae censu eximebat, adeoque vel libertatem, vel ciuitatem perimebat. Barn. Briffon. *de Verb. signif. voce capitalis.* Qui ergo in tabulas censuales referebantur, omnes dicebantur CAPITA, nihilque apud Liuium frequentius est locutione: *Fuerunt censa ciuium CAPITA centum triginta duo millia, quadraginta nouem.* Liu. III, 24. *Censa CAPITVM millia ducenta sexaginta duo, trecenta viginti duo,* Liu. X, 47. et alibi passim. Quoties vero quis quacunq; de causa e tabulis censualibus delebatur; toties *caput de ciuitate dicebatur eximi*, vt loquitur *ICTus l. 2. D. de publ. iud.* et inde eiusmodi status mutatio CAPITIS DEMINVTIO appellabatur. Hinc recte Claudius apud Liuium XLV, 15. contendit, *mouere omnibus tribubus, nihil aliud esse, quam libertatem ciuitatemque eripere, et CENS V EXCLVDERE.*

II. Et quotu-
plex?

II. Hanc capitis deminutionem iureconfulti in MAXIMAM, MEDIAM ET MINIMAM diuidunt (a), pro triplici hominis statu, qui Romae poterat mutari.

III. Maxi-
mam patie-
bantur I) in-
censi.

III. Qui non ciuitatis tantum, sed et ipsius libertatis fecerat iacturam: is deminutionem capitis MAXIMAM dicebatur passus. §. 1. *Inst. b. t.* Et hoc quidem contingebat, I) *incensis*, id est, iis, qui censum vel militiam subterfugerant, quos iam Seru. Tullius vinctos et caesos trans Tiberim venundari iusserat (b). Dionys. *IV. p. 221.* Cic. *pro A. Caecina XXIV.* Ulpian. *Fragm. XI, 11.* Id quod per fictionem quandam contigisse, cum alias libertas adimi nemini posset, egregie docet Ger. Noodt. *Probab. III, 12. p. 85.*

IV. II.) Ca-
pti ab ho-
stibus.

IV. Deinde maximam istam capitis deminutionem patiebantur II) *capti ab hostibus*. Nam et hi, cum essent in seruitutem detrusi, omnia et libertatis, et ciuitatis, ipsaque agnationis iura amittebant. Poterant tamen ab his pristina

(a) Equidem nonnunquam veteres duplicem tantum faciunt capitis deminutionem, MAIOREM et MINOREM: *l. 1. §. 4. D. de suis et legit. hered. l. 5. §. 3. D. de extraord. cognit.* Sed in verbis esse differentiam, in re nullam, luculenter ostendit Ger. Noodt. *Obser. II, 22. p. 468. seq.*

(b) Quando itaque Liu. I, 44. ait: *Censu perfecte, quem maturauerat meru legis, de incensis latae, cum vinculorum minis mortisque edixit, ut omnes ciues Romani, equites peditesque in suis quisque centuriis in campo Martio adessent:* procul dubio intelligit mortem istam ciuilem. Non enim credibile est, acrioris supplicii metu lustrum, quam ipsum censum, maturasse Seruium.

pristina iura recuperari iure postliminii, si in ciuitatem reuertissent. Cic. *in Top. VIII.* Fingebatur enim tunc, eos, qui capti fuerant, semper in ciuitate fuisse. §. 5. *Inst. quib. modis patr. pot. solu.* POSTLIMINIVM vero id ius appellabatur, non ideo, quod captiuus ex hostico ad *limina* vel fines imperii reuertisset, vt ait Tribonianus *d. §. 5. Inst.* quamuis eam *ἐτυμότητα* erudite defendat Menag. *Amoen. Iur. Ciu. Cap. XXXIX. p. 327.* sed a limine, aedium parte. Reuersi enim ex captiuitate, non per limen admittebantur in aedes, si iam diem eos obiisse nunciatum fuerat, quia id mali ominis putabatur, sed post limen per tegulas et impluuium intro se ipsos demittebant, teste Plutarch. *Quaest. Rom. 5.*

V. Eiusdem conditionis habebantur III) *V. III) Serui poenae.* serui poenae. Quincunque enim atroci sententia ad extremum supplicium veluti ad ignem, ad metalla, bestiasue depugnandas fuerant damnati, libertatis simul ac ciuitatis iura amittebant. Hinc Tertullianus *Apoloq. XXVII. Vice rebellantium ergastulorum, ceu carcerum vel metallorum, vel hoc genus POENALIS SERVITVTIS erumpunt aduersus nos.* Et Plinius *Epist. X, 40.* refert. *Nicomediae et Niceae quosdam, qui vel in opus damnati, vel in ludum, similiaque his genera poenarum, PVBLICORVM SERVORVM officio ministerioque defunctos.* Quaedam alia de hac seruitute habent Cuiac. *Obseru. XV, 22.* et Gothofr. Arnold. *Hist. Christ. damnat. ad metall. §. VIII. apud Thomas. Hist. Sap. et Stultit.*

Tom. III. 1693. p. 130. Eam quoque seruitutem per fictionem natam docet Ger. Noodt. *Probab. III, 12. p. 86.* Capitali enim supplicio veteri iure nemo ciuium plecti poterat. Commisso vero flagitio, quod morte expiandum videbatur, Quaesitores non ciuem capitis damnabant, (nec enim fas erat,) sed ciuem esse negabant, seruumque vocabant poenae, ut vitam non tanquam ciuis amitteret, sed tanquam seruus *l. 29. D. de poen. l. 6. §. 6. D. de iniurioso rupto, irrito facto testam.* Attamen hi quoque pristina iura recuperabant, si per omnia in integrum, principali indulgentia, restituerentur. *Paull. Recept. Sent. IV, 824.* Postea vero hanc seruitutem poenae, quatenus cognatorum interesse visum, aboleuit Iustinianus, *Nou. XXII, 8.*

VI. IV) Liberti ingrati.

VI. Porro hanc miseram conditionem subibant IV) *liberti ingrati*, quos Claudius Imp. reuocabat in seruitutem, qua de re dictum supra ad *Lib. I. Tit. VI. §. 9.*

VII. V) Qui se venundari passi.

VII. Nec minus libertatem amittebant V) *maiores XX. annis*, qui se pretii participandi causa venundari passi fuerant, de quibus itidem iam dictum. *Lib. I. Tit. III. n. 7. 8.*

VIII. VI) Mulieres feruili amore bacchantes.

VIII. Nec melioris conditionis erant VI) *ingenuae mulieres*, quae inferui alieni amplexus ruebant (c). Quod si enim domino inui-

(c) Tales mulieres notat Petron. *Satyr, p. 127. Quaedam feminae sordibus calent, nec libidinem concitant, visi aut seruos viderint, aut statores alius cinctos. Harena aliquas accendit, aut perfusus pluuere*

inuito, et hoc, vel pupilli tutore, vel procuratore domini, ter denuntiante, in eodem contubernio perseuerassent; *ancille*; siue, illo consentiente, *libertate* efficiebantur, decreto et adiudicatione praetoris. Vid. Paull. *Sent. Rec. II, 21. A. 1. p. m. 305.* Tertull. ad *uxor. II, 8.* Auctor huius iuris Claudius Imperator fuit, vt patet ex Tacito *Ann. XII, 53.* ex quo simul discimus, Pallantis liberti id esse inuentum, cui ideo insignia praetoria et centies quinquagies sestertium decreuit Senatus. Plin. *Hist. Nat. XXXV. cap. penult.* at alter Plinius *Epist. VIII, 5.* Denique senatusconsultum illud in vsum reuocauit Vespasianus, si ita intelligendus locus Suet. *Vesp. XI. (d)* Ast hanc quoque poenam fustulit non Alexander Seuerus, vti visum est Strauchio *Diff. Inst. XI, 39.* (nam *l. 3. C. de lib. caus. de maribus seruorum*; non de feminis seruorum amore calentibus agit,) sed Instinauus *l. vn. C. de Sct. Claud. toll.* parum certe prudenter, siquidem inge-

O 3

mais

uere mulio, aut bistrisio, scenae ostentatione traductus.
Ex hac nota domina est mea.

(d) Nisi forte dicere malis, Vespasianum ea de re ad senatum retulisse, non tanquam imperatorem, sed tanquam consulem, aut, si mauis, senatorem laticlauium. Consulatum sane gessit sub Claudio, Suet. *Vesp. Cap. IV.* forte an cum Barea Sorano, quem eo ipso anno V. C. ICCCXV. quo Sctum illud factum Cos. designatum fuisse refert Tacit. *Ann. XII, 53.* Et hinc facile conciliari poterunt Tacitus et Suetonius, quorum ille Claudio, hic Vespasiano hoc Sctum tribuit. Ingeniosa haec est obseruatio Petri Fabri *Semestr. I, 25. p. 440 sequ.* vti pleraque, quae faber ille edolauit.

nuis mulieribus viam eo ipso ad impares et impudicas valde coniunctiones muniuit. Cuiac. *Obs. XXI, 16.*

IX. Mediam
patiebantur.

IX. MINORE siue MEDIA capitis deminutione ciuitatis tantum iura, salua libertate, perimebantur, adeoque ii, qui erant in hanc conditionem delapsi, *ad peregrinitatem redigebantur* (e) §.2. *Inst. h. t.* Et huius quidem conditionis habebantur I) *exules*, quibus aqua et igne fuerat interdictum. Magna scilicet Romae erat inter *exilium* et *relegationem* differentia. Illa iura ciuitatis perimebat, cum relegatus ea salua haberet. Hinc Ouid. *Trist. II. v. 137.*

I) Exules.

*Quippe RELEGATVS, non EXVL, dicor
in illo,*

Parcaquo fortunae sunt tibi verba meae.

Quam differentiam alibi ita describit: *Trist. V, eleg. 11. v. 21.*

Nec vitam, nec opes, ius nec mihi ciues ademit,

Nil nisi me patriis iussit abesse focus.

*Ipse RELEGATI, non EXVLIS, vtitur
in me*

Nomine.

Conf. l. 2. D. de publ. iudic. Ad exilium quod attinet, ciues ad illud adigebantur *AQVAE ET IGNIS INTERDICTIONE*, qui ritus paullo altius videtur repetendus.

X. Ar

(e) Vnde nec toga amplius iis licebat vti. *Plin. Epist. IV, II. Suet. Claud. XV.* De ipsa peregrinitatis conditione *conf. Briff. Anr. I, 13. 15.*

X. Antiquissimum hoc erat iuris Romani principium, neminem posse inuitum iura ciuitatis amittere. Cicero *pro domo*: XXIX. *Hoc iuris a maioribus proditum est, ut nemo ciuis Romanus aut libertatem, aut ciuitatem, possit amittere, nisi ipse AVCTOR factus sit.* Idem iuris publici axioma multis verbis inculcat Cic. *pro A. Caecin. c. xxxiii.* docetque ideo Aretinorum proscriptionem, Sulla viuo, irritam fuisse, quod contenderat Cicero, *ciuitatem adimi non potuisse.* Quamuis itaque ciuitatis iuribus nemo inuitus priuaretur: attamen ea statim amittebantur, simul ac quis in aliam se ciuitatem adscripi passus esset, cum ex veteri iure duarum ciuitatum ciuis nemo esse posset. Idem *pro domo LXXXI.* Ezech. Spanhem. *Orb. Rom. I, 1. 6. p. 11.* Vnde notum est ex Nepote *Attic. III.* noluisse Atticum Athenis ciuitatis iura suscipere, ne Romanam ciuitatem amitteret. Quodsi ergo quemquam e ciuitate eiectum vellent Romani: eum non vi expellebant, quod ex principio supra allato fieri non poterat, sed illi tecto, aqua et igne interdicebant. Quibus necessariis vitae subsidiis ademptis, vltro exilium eligere cogebatur damnatus. Cum itaque a nemine recipi posset: necessario in aliquam ciuitatem exteram se conferebat, eoque demum facto, ciuitatis iura amittebat. Hinc denuo Cicero *pro domo XXX.* *Qui erant rerum capitalium condemnati, non prius hanc ciuitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo*

X. Quid aquae et ignis interdictio?

vertendi, hoc est, mutandi, soli causa, venerant. Ad autem ut esset faciendum, non ad emptionem civitatis, sed tecti et aquae et ignis interdictione faciebant. Ergo si accurate loqui velis, non aquae et ignis interdictione eximebatur caput de civitate, ut ait Paullus l. 2. D. de iudic. publ. (poterat enim, si vellet in civitate mori,) sed adscriptione in aliam civitatem, in quam exul discesserat. Barn. Briffon. *Ant. Rom.* III, 5. p. 48. Quae observatio, ne cui sola λογωμαχία videatur, tanti profecto momenti est, ut Cicero oratione laudata neget, se aquae et ignis interdictione civitatis iura amisisse, quia nulli se populo adiunxisset, sed delituisset apud amicos. Ad dantur Vlr. Huber. *Digress.* l. 3. 8. p. 192 sequ.

XI. Depor-
tati.

XI. Deinde huic aquae et ignis interdictioni addebatur (f) DEPORTATIO, qua ipsa quoque iura civitatis eodem modo amittebantur. Auctor illius instituti Augustus (g),
cui,

(f) Non enim *deportatio* in locum illius aquae et ignis interdictionis successit, ut Ictia iunt, l. 2. §. 1. D. de poen. l. 3. D. ad Leg. Iul. pecul. Mansit potius illa antiqua aquae et ignis interdictione etiam post inuentam deportationem. Tacit. *Ann.* VI, 30. Adiecere tantum Imperatores, ut exules illi non, ubi liberet, sed in certa quadam insula, viverent. Huber. *Digress.* l. 3. 9. pag. 195.

(g) Non Iulius Caesar, ceu ex Suet. *Iul.* LXVI. probare satagit Oiscl. *ad Cuii Inst.* I, 6. 1. p. m. 47. Supplicium enim, quod militibus minatur Caesar, non fuit deportatio, (non enim eos in certam insulam missum iri ait,) sed poena quaedam extraordinaria. Haec enim sunt; Caesaris verba: *Desinant quidam quaerere ultra, aut opinari, mihi-que. qui compertum habeo, credant; aut quidem veru-*

cui, ab exulibus hinc inde dispersis periculum imperio suo metuenti, Liuvia suaserat, ut illos patria extorres insulis includeret. Ita enim apud Dionem LV. p. 562. Liuvia: τί γὰρ αὐ ἀδικήσείς τις, ἐς νῆσον κατακλείσθεις, ἢ καὶ ἐν ἀγρῶ πόλει τε τινί; ἔχ' ὅπως ἀνευ πλήθους οἰκετῶν ἢ χρημάτων, ἀλλὰ καὶ μετὰ φερεῶς ὄν; ἂν γε καὶ τῆς δέηση. *Quid enim mali fecerit is, qui in insulam conclusus, aut in agro, vel in urbe aliqua, non modo sine copia seruorum, et pecuniarum, sed etiam sub custodia, si hoc res exigeret, haberetur?* Ex eo tempore inualuit deportatio. Quam denuo constitutione quadam firmavit Augustus, apud eundem Dion. Cass. LVI. p. 587. Et hinc postea nihil fuit ista in insulas deportatione frequentius (b). Tac. Ann. III, 68. VI, 30. IV, 21. IV, 13. Fiebat vero deportatio ita, ut rei compedibus vincti impositique nauibus, seruis publicis, qui eos

O 5

depor-

vetustissimae nauī impositos, quocumque vento, in quascunque terras iubco auebi. Frequentatum postea hoc supplicium iustitumque delatoribus a Tito, Suet. Tit. cap. 8. et Traiano: Plin. Paneg. cap. 34. imino et Christianis a tyrannis, ceu docuit Casaub. ad Suet. Iul. p. 92.

(b) Distinguenda tamen haec deportatio a *relegatione in insulam*, qualis fuit illa, quam passus est Ouidius, in Pontum relegatus. Conf. l. D. 7. *si quis caution. in iudicio sistendi causa fact. non obtemp.* Suet Tiber I. Huic opponitur *lata fuga*, cuius mentio fit l. 5. D. *de interd. relegatis et deport.* Amnian. Marcell. XIX, 12. ut Julio capitol. *vir. Marci Anton.* XXVI, et Vulcatio Gall. *vir. Auid Cassii* IX. vocatur; *exilium et libera vagandi potestas.*

deportarent, traderentur. Oifel. *ad Caii Inst.* I, 6. 1. p. m. 47. Molesta inprimis erat vel relegatio vel deportatio in Gypsum, Aegypti Insulam, in quam tempore Iustiniani et Iuridicus Alexandriae et Praeses Thebaidos relegare poterant, Cuiac. *Obs.* XX, 31. itemque in Gyaros, fumo notabiles, Arrian. *Diff. Epict.* I, 25. et II, 6. Steph. *de urbib.* p. 280. et Oasin inter Aegyptum et Cyrenas, muscis et culicibus famosam: de quibus locis Cuiac. *Obs.* VIII, 27. Omnes autem exules teste Lactantio *Diu. Inst.* II. *perinde habebantur, ac si essent, qui eam sententiam exceperant, morte mulctati.* Vnde et diem quo ab exilio quis redierat, NATALEM vocabant, tanquam quo vitam primum recepissent, Cic. post *Redit. in Senat. cap. XI.* itemque *alterius vitae initium.* Id *Epist. ad Att.* IV, 1. Quin Cotta ab exilio reuocatus se bis genitum vocat in oratione apud Salust. in *Fragm.* p. 500. Ita et Athenienses patriae restitutos exules δευτεροπότους, quasi *secunde fata orfos* appellasse obseruat vir, cui haec debemus doctissimus, Io. Frid. Gronou. in *Diatrib. ad Stat. Papin. Cap. XII.* p. 69.

XII. Minima
capitis de-
minutio.

XII. MINIMA denique capitis deminutio iura familiae atque agnationis tollebat. Cum enim census fieret secundum facultates, ut supra dictum: patriis facultatibus cum iure familiae amissis, aut in alium translatis, capitis quaedam deminutio fieri credebatur. Id vero factum esse in *manum conuentione, adoptione, et emancipatione*, ex iure notum est, quam-

quamuis de emancipatione, an ea inter capitis deminutiones referenda sit, subdubitent Icti tum veteres tum recentiores. Paullus sane non ideo capite deminui putabat, quod ex patria potestate exirent: (ita enim potius fiebant capita libera,) sed quod emancipatio vetere ritu fieri haud posset, nisi *deducerentur in imaginariam seruillem causam. l. 3. §. 1. D. de cap. minuit.* Attamen ne sic quidem omnia in aprico sunt. Si enim ob hanc causam emancipatio est species capitis deminutionis: cur non maxima potius, quam minima vocatur? Vid. Huber. *Digress. III, 6.* Thomaf. *Schol. et non. ad Huberi praelect. Inst. p. 47.*

TIT. XXI.

D E

AVCTORITATE TVTORVM.

Tutorum erat AVCTORITATEM interponere, quemadmodum curatorum, CONSENSVM commodare. De qua TVTORVM AVCTORITATE cum singulari titulo agat Imperator: de ea quoque nonnulla ex antiquitatibus Romanis videntur annotanda.

I. Antiquissimum hoc erat iuris Romani principium, *alieno nomine agere posse neminem, princ. Inst. de iis per quos ag. poss. neque promittere, tertium quid facturum daturumue. §. 3. Inst. de inutil. stipul.* Ergo nec tutor pupilli nomine quidquam aut agere aut promittere pote-

I. Origo auctoritatis tutorum.

Quando tu-
tor dictus
administra-
re et gerere.

poterat. Cum tamen lubrica pupillorum aetas consiliique infirmitas non paterentur, pupillis liberam permitti rerum suarum administrationem: tutoribus plus potestatis concedendum distinguendumque existimabant Romani, infansne esset pupillus, an istos infantiae annos superarit. Si infans esset, tutor omnia agebat, non pupilli, sed suo nomine. Prospiciebat pupillo eiusque matri de alimentis et cultu exhibitionis. *l. 13. §. 2. D. de administr. et peric. tut.* Pupillo herede cum creatione instituto, bonorum possessionem petebat, *l. 11. D. b. t.* hereditatem enim cernere et adire pupilli nomine non poterat, quia cretio et aditio erant actus legitimi. *l. 4. §. C. de iure delib.* Iac. Gothofred. *Comm. ad C. Theod. tit. de cretione p. 330.* Denique bonorum pupilli curam ita gerebat, ut *loco domini* haberetur. *l. 27. D. b. t.* Et id quidem tutoris munus, quo tum personae pupilli, tum bonorum eiusdem curam gerebat, vocabatur **GESTIO** vel **ADMINISTRATIO**. Cic. *Top. Cap. XI.* Quamvis tam late plerumque hoc vocabulum accipiat a iureconsultis, ut et *auctoritatem* complectatur.

H. Quando
interponere
auctorita-
tem.

II. Sin infantiae annos superasset pupillus, ipse omnes actiones legis, omnesque contractus, poterat explicare, ita tamen, ut tutor praesens, perfecto negotio, statim **AVCTOR** fieret, et hinc ista sollennis approbatio vocabatur **AVCTORITAS**. Quemadmodum enim populus iubebat, Senatus **AVCTOR** fiebat: Liu. I, 17. ita pupillus agebat et contrahebat, tutor interponebat

ponebat AVCTORITATEM, sine qua validum haud erat negotium, si quando deterior eo ipso fieret pupilli conditio. *princ. Inst. b. t.* aut si ad eunda esset hereditas, aut petenda bonorum possessio, aut suscipienda ex fideicommissio hereditas §.1. *Inst. b. t.* Ad ea enim, quae sollennitatem iuris desiderabant, explicanda, tutore auctore opus esse, ait Paullus *l. 19. D. de auct. tut.*

III. Non ergo auctoritas erat nuda approbatio nec iussus; sed actus legitimus et sollennis, certaue formula explicandus. Unde et conditionem non admittere dicitur *l. 8. D. b. t.* Procul dubio, vbi pupillus verbi causa incretione hereditatis verba legitima pronunciauerat, interrogabatur tutor: AVCTORNE ESSET, VT PVPILLVS HEREDITATEM ADIRET CERNERETQVE? eoque adfirmante, rata erat pupilli actio. Sane eodem modo auctor fiebat, qui arrogabatur ab alio. Cic. *Orat. pro domo XXIX.* Et interrogationis hoc in negotio factae diserte meminit Paullus *l. 3. D. de auct. et consensu tut. et curat.* quamuis eam non existimet absolute necessariam. Interponebatur vero auctoritas statim in ipso negotio: sed ita tamen, vt non prius auctor fieret tutor, quam pupillus id egisset, a quo substantiam capiebat negotium. Et hinc est, quod *auctoritas PERFECTO NEGOTIO* interponi dicitur in *l. 25. §. 4. D. de adquir. hered.* vbi praeter necessitatem rescribi *proucto negotio*, contra Iac. Gothofredum *Comm. ad l. 29. D. de R. I.* docuimus.

III. Interponebatur ea sollenni formula.

mus in *Elem. iuris ciuil.* §. 250. Disputauit de eadem quaestione Cuiac. *Obs. XIII, 31.*

IV. Quid
consensus
Curatoris?

IV. Vnde simul apparet, quid interfuerit discriminis, inter CONSENSVM curatoris, et tutoris AVCTORITATEM. Sine hac actus erat nullus, sine illo rescindendus. Illa interponenda erat statim a tutore praesente, §. 2. *Inst. b. t.* quod esset actus legitimus, qui non admittebat procuratorem, conditionem et diem. Hic interiecto demum tempore accedere poterat.

V. Quid tu-
tor praeto-
rianus?

V. Si negotium inter tutorem et pupillum, vel mulierem intercederet: auctoritatem adhibere non poterat tutor. Nullus enim tutor poterat in rem suam auctor fieri. *l. 1. pr. D. b. t.* Sollebat ergo tunc a praetore alius tutor dari, qui *praetorianus* vel *praetorius* vocabatur, ideo quod a solo Praetore, non adhibita in consilium maiore parte Tribunorum plebis dabatur. Meminit eius ipse Imperator §. 3. *Inst. b. t.* multoque luculentius Vipianus *Fragm. XI, 24. Moribus tutor datur mulieri, pupilloue, qui cum tutore suo lege aut legitimo iudicio agere vult, ut auctore eo agat: (ipse enim tutor in rem suam auctor fieri non potest,) qui praetorianus tutor dicitur, quia a praetore urbis dari consuevit.* Vnde inter Tribonianum emblemata referunt tutoris in curatorem mutationem. *l. 3. §. 2. l. 4. et 5. D. de tutel. l. 24. D. de testam. tutel. l. 9. §. 4. D. de tutel. et ration. distrab. l. 1. 2. 3. vlt. C. de in lit. dand. tut. vel curat.* ceu iam obseruauit Hub. Giph. *ad §. vlt. Inst. b. t.*

VI. Nimirum postea inualuit, ut loco tutoris praetorii adiungeretur curator, quoad actio illa duraret, vel etiam perpetuus. *Novell. LXXII, 2.* Quamvis id contingat paullo rarius, quia iure nouissimo pupilli debitor vel creditor, vel is, quem cum pupillo litem habiturum suspicio est, tutor fieri non potest. *Nov. LXXII, 1. Nou. XCIV. et Auth. Minoris debitor C. qui dari tut.*

VI. Is postea mutatus in curatorem.

TIT. XXII.

DE

QVIBVS MODIS TVTELA
FINITVR.

Quibus modis finiatur tutela, fatis accurate ad hunc titulum docent Interpretes. Et de morte quidem, et capitis deminutione nullum est dubium: at de pubertate et aliis nonnullis modis, quibus tutelam olim finitam constat nonnulla ex antiquitatibus monenda videntur.

I. Ad PVBERTATEM quod attinet, ipse Tribonianus hoc titulo antiquitatum Romanarum prae se fert notitiam, dum obseruat, veteres pubertatem non solum ex annis, sed ex habitu corporis in masculis voluisse aestimari. Quod cum Iustinianus indignum iudicarit castitate suorum temporum, statuisse eum, sancta promulgata constitutione, ut masculi completo anno aetatis XIV. puberes; femi-

I. Locus Institutionum de rite antiquo aestimandi pubertatem.

feminae duodecimo viripotentes haberentur
princ. Inst. b. t. (a).

II. Iam diu ante Iustinianum certi anni pubertatis erant praefiniti.

II. Sed Tribonianum hic antiquitatis prode ignorantium, multi existimant. Neque enim Iustinianus primus istos pubertatis terminos fixit, iam dudum quippe in iure receptos. Sane duodecim annorum puellas iam viripotentes esse Augustus lege Papia Poppaea censerat, ut patet ex Dione Cass. *Lib. LIV. p. 532.* δώδεκα καὶ ταῖς κόρυς ἐς τὴν τῆ γάμου ὥραν ἔτη πλήρη νομίζεται. *Duodecim annos puellis ad nuptias sufficere statuit.* Adde sis *Comm. nostrum ad L. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap. V. p. 177. sequ.* Quatuordecim vero anni ad pubertatem masculorum iam secundo post Christum seculo requirebantur, etiam ex mente Proculeianorum. Tertull. *de veland. virg. XI. et de Anima XXXVIII.* Macrob. *Saturnal. VII, 7. et in Somn. Scipion. I, 6. (b).*

III. De

(a) Ipsa illa sancta Iustiniani constitutio extat. *l. ult. C. quando iur. esse def. INDECORAM OBSERVATIONEM in examinanda matrum pubertate reserantes, iubemus, quemadmodum feminae post impletis XII annos omni modo pubescere iudicantur, ita et mares post excessum quatuordecim annorum puberes existimentur, INDAGATIONE CORPORIS INHONESTA cessante.*

(b) Quin et leges id docere poterant Tribonianum, veluti *l. 2. princ. D. de vulg. et pupill. subst. l. 5. D. qui testam. fac. poss. l. 4. C. eod. ex quibus patet, saltem Vlpiani et Diocletiani temporibus eodem pubertatis annos fuisse definitos. Neque tamen tubito, quin olim antiquissimis reip. temporibus quinto decimo demum aetatis anno exacto puberes habiti sint adolescentes. Tunc enim eos togam*

III. Deinde nec' alterum videtur per omnia verum esse, quod veteres Romani masculorum pubertatem *indecora observatione, in honestaque indagatione explorarint*, vt loquitur Imperator *l. vlt. C. quando tut. esse def.* Nulla enim istius indecorae inspectionis vel vola vel vestigium apud antiquos occurrit. Et quamuis Huberus *Digress. III, 14. p. 210.* et vir amplissimus, Corn. van Bynkersh. *Obseru. III, 24.* excusandum putent Iustinianum, credantque, si non in quaestione de finienda tutela, at certe in nuptiis nonnunquam isti inspectioni locum fuisse: tamen ne id quidem satis, vt opinor excusat Imperatorem. Non enim quaestionem de viri potentia, qualis aliquando in nuptiis occurrit, tractat. in *d. l. vlt.* quippe ad quam definiendam sola aetas parum faceret, sed quaestionem de tutela finienda. Nec verosimile est, Triboniano Imperatoris sui constitutiones tam fuisse parum familiares, vt sanctam illam, quam tantopere laudat, legem in institutionibus aequae, ac codice, ad materiam de tutela fuisset relaturus, si illa de singulari tantum casu nuptiali egisset. Quare adhuc probabile videbitur plerisque, Tribonianum hic cum laruis pugnasse, ritumque aboleuisse, cuius nunquam Romanis in mentem venerit. Vid. Iac. Racuard. *Varior. IV, 10. p. 667. Tom. I. Operum.*

III. Nunquam veteres pubertatem inspectione corporis explorarunt.

IV.

togam virilem fuisse, non anno XVII. vt vulgo existimant, nec anno XIV. vt visum Lipsio *ad Tac. p. 312.* docet Noris. *Cenograph. Pisan. Diss. II, 4.*

IV. Vt ergo appareat, quid in errorem induxerit Iustinianum: sciendum est, non convenisse inter antiquos Iureconsultos, quos pubertati terminos figerent. Cum plerique in stoicorum scholis profecissent, hi vero adolescentum pubertatem XIV. puellarum viri potentiam XII. annis aestimarent: (Plut. *Placit. Philos. V, 24.*) eandem sententiam plerique Icti, et inprimis Proculeiani, amplectebantur. Sed aliud longe videbatur Cassio Longino, cuius sectarii non annis, sed habitu corporis, aestimandam esse pubertatem arbitrabantur. Denique Priscus Iauolenus quasi conciliaturus utramque sententiam, eum demum puberem esse dicebat, in quem et numerus annorum, et habitus corporis concurreret. Diserte Vlpian. *Fragm. XI, 28.* *Puberem autem Cassiani quidem eum esse dicunt, qui HABITVS CORPORIS pubes apparet, id est, qui generare potest; Proculeiani autem eum, qui quatuordecim annos explevit. Verum Priscus eum puberem esse, in quem utrumque concurrat, et HABITVS CORPORIS, et numerus annorum.* Eandem controuersiam Ictorum, sententiamque Prisci Iauoleni, in animo habuit Seruius, qui ad illa Virgilii *Aen. VII. v. 53.*

Iam matura viro, iam plenis nubilis annis, addit: Non est iteratum, sed SECVNDVM IVS dictum, in quo et ANNORVM ratione, et ex HABITVS CORPORIS aetas probatur. Idem ad Virgil. Eclog. VIII. v. 34. Bene cum annis iungit HABITVM CORPORIS, nam et IN IVRE

IVRE *pubertas* EX VTROQUE colligitur. Ex quibus patet, Seruium in Prisci discessisse sententiam. Denique Isidorus *Orig. XI, 2.* Cassianorum sententiam amplexus: *Quidam, inquit, ex annis pubertatem aestimant, id est, eum puberem esse, qui quatuordecim annos expleuerit: quamvis tardissime pubescat. Certissimum autem, puberem esse, qui EX HABITV CORPORIS pubertatem ostendat, et generare iam possit.* In tanta ergo iureconsultorum incertitudine ex sententia Em. Merillii *Obs. V, 16.* saepe parentes testamentis solebant definire annum, quo puberes haberi deberent liberi, modo annum decimum quartum, vt *l. 49. D. de legat. 1.* modo decimum octauum, vt *l. 101. §. 1. D. de cond. et demonstr.* modo decimum sextum, vt *l. 34. §. 2. D. de legat. 3.* Vnde lux adfulget loco Paulli Gal. IV, 2. vbi heres tutoribus subesse dicitur ἀρχὴ τῆς προθεσμίας τῆ πατρὸς. Cum vero Iustinianus, aut Tribonianus potius, animaduerneret, pubertatem nonnullos HABITV CORPORIS aestimari velle: facile sibi persuasit etiam vsu receptam olim fuisse hanc Cassianorum vel Prisci sententiam, cum tamen multa huius generis disputarint veteres Icti, quae in forum nunquam admissa constat, quaeque ad ius constituendum magis, quam constitutum, pertinuerunt. Fingamus itaque, Cassianos censuisse pubertatem aestimandam esse φυσικῶς, ex inspectione τῶν αἰδολίων, cum tamen *habitus corporis* et alio modo naturalem generandi facultatem prodat:

non tamen vlllo veterum testimonio constat, id in foro esse frequentatum, vel vllum iudicem vnquam fuisse tam Cassii, vel Prisci sententiae addictum, vt adolescentem, qui curatorem peteret vestibus spoliari inspicique nudum iusserit. At credidit id tamen Iustinianus, et hinc rem constitutione aboleuit, quam nemo veterum in foris Romanorumprehendit (c).

V. Finiebatur etiam tutela feminarum conuentione in manum.

V. Feminarum tutela perpetua non pubertate, sed aliis quibusdam modis finiebatur, veluti CONVENTIONE IN MANVM. Cum enim ea, ceu supra diximus, esset capitis deminutio, qua in manum et potestatem mariti redigebantur mulieres: non poterat non tutela finiri, dummodo omnes tutores fierent auctores. Cicero *pro Flacco* XXXIV. Boeth. *ad Topica Cic.* III.

VI. Vt et iure trium liberorum.

VI. Finiebatur etiam mulierum tutela IVRE TRIVM vel QVATVOR LIBERORVM, ceu supra LIB. I. TIT. XIII. n. 22. obseruauimus. Nam constat ex Ulpian. *Fragm.* XXVIII, 3. ingenuis feminis *tribus*; libertabus opus fuisse *quatuor liberis*; si tutela exire vellent.

TIT.

(c) Interim non nego, Graecis eiusmodi inspectionem vsitatam fuisse, de qua Scholiales et Florens Christianus ad Aristophan. *in Vesp* v. 578. nec non Gundlingiana *Part.* XXIV, 2. §. VII. p. 347. seq. Sed nondum demonstratum, de exploratione pubertatis quidquam cautum fuisse in XII. tabulis, vt verosimile fiat, hunc ritum Athenis Romam migrasse.

TIT. XXIII.

DE

CURATORIBVS.

Quemadmodum *tutores* personis; ita CURATORES rebus dabantur, quorum origo erit ex antiquitatibus repetenda.

I. Curatores aut LEGITIMI erant, aut HONORARIJ. Illi legibus XII. Tabularum; hi edicto praetoris debebant originem. Vlpian. *Fragm. XII, 1. Testamentarij* non erant, quia Lex XII. Tabularum patri familias *de tutela*, non autem *de curatione* legare vel testamento disponere permiserat.

I. Curatores quotuplices?

II. Ex legibus XII. Tabularum (a) curatores accipiebant FVRIOSI et PRODIGI. Quam legem decemviralem ex Cicer. *Quaest. Tusc. III, 11. et de Inuent. II, 59.* ita restituit Gothofredus *ad XII. Tab. Tab. V. SI FVRIOSVS*

II. Curatio furiosorum et prodigiorum.

P 3

AVT

(a) Verosimile tamen est, eum morem iam ante leges XII. Tabularum Romae vixisse. Moribus sane ista furiosorum prodigiorumque curatio tribuitur. *l. 1. D. de curat. furios.* et apud Paull. *Recept. Sent. III, 4.* Quod cum intelligi haud possit de moribus, postea tempora demum receptis: (Siquidem Vlpian. *d. l. 1. de Cur. furios.* hanc curationem quidem ex XII. Tabulis arcessit, sed initium tamen eiusdem tribuit moribus,) procul dubio iam sub regibus furiosis dati sunt curatores. Est ea sententia Iac. Cuiacii, Iac. Gothofredi, aliorumque virorum doctorum, quam male impugnat V. C. Ian. a Costa *ad §. 1. Inst. de I. N. G. et C. et §. 3. Inst. h. r.* Vid. Schulting. *ad Paull. l. c. p. 341.*

AVT PRODIGVS EXSISTAT, AST EICVSTOS NEC ESCIT, AGNATORVM GENTILIVMQVE IN EO PECVNIAVEIUS POTESTAS ESTO. Quamuis adhuc quaeri possit, vtrum ex verbis Decemvirorum, an ex eorundem interpretatione nota sit prodigorum curatio.

III, Prodigis
curator da-
tus post in-
terdictio-
nem bono-
rum,

III. Cum vero initio et prodigi et furiosi ipso iure agnatorum gentiliumque curationi subessent: *l. 1. pr. D. de cur furios.* prodigi postea tum demum curatorem accipiebant, si postulantiibus agnatis (Vid. Valer. Max. VIII, 6.) iis a praetore interposita sententia bonis esset interdictum. *l. 1. D. de cur. furios.* Vlp. *Fragm. XII, 2.* Vnde Horatius *Sat. II, 3.*

-- *Interdicto haec omne adimat ius*

Praetor, et ad sanos abeat tutela propinquos.

Ex quo simul patet ratio, cur furor contractus statim ab initio reddiderit irritos, quamuis furiosus agnatorum curationem nondum subiisset, prodigus vero, priusquam ei esset bonis interdictum, valide contraxerit.

IV, Formula
interdicendi
bonis.

IV. Formulam, qua bonis interdicebat praetor, seruavit nobis Paulus, *Recept. Sent. III, 4. A. 7.* QUANDO TIBI BONA PATERNA AVITAE NEQVITIA TVA DISPERDIS, LIBEROSQVE TVOS AD EGESTATEM PERDVCS: OB EAM REM TIBI EA RE (b) COMMERCIOQVE INTER-

(b) Legunt nonnulli AERE. Cuiac. *ad Paull. l. c.*
Iac.

INTERDICO. Quo facto statim agnatorum, aut, hisce deficientibus, gentilium (c) curationi committebatur prodigus. Exempla sunt apud M. Senec. *Controu. III. praef.* Val. Max. III, 5. VIII, 6. Dion. Cass. LVII. p. 618.

V. Ast tum furiosus tum prodigus, receptamenti vitaeque sanitate, curatione liberabatur, quamuis et hic prodigo decreto Praetoris esset opus. Paull. *Sent. III, 4. A. 12. p. 343. et ibi* Schulting. l. 1. *D. de cur. furios.* Henr. Bern. Reinold. *Var. cap. XXI. p. 291.*

V. Quomodo haec curatione finita?

VI. Cum ergo initio furiosis ac prodigis tantum obtruderentur curatores: factum inde est, ut cum alioquo famae detrimento coniuncta videretur curatione. Iniquum enim habetur, *ingenuis hominibus non esse liberam rerum suarum alienationem.* l. 2. *D. si a parente quis manumiss.* Ergo praeter furiosos et prodigos nemo inuitus accipiebat curatorem, et ne minor quidem, quamuis infirmum esset in tam lubrica aetate consilium, cuiusquam curationi suberat, antequam *lex Laetoria* ea in re adolescentibus prospiceret. Quando lata sit ea lex, nondum constat. Antiquissimam esse, vel ex eo patet, quod iam Plautus *Pseudol. I, 3. v. 68.*

VI. Origine curationis minorum.

P 4

eius

Iac. Menard. *ad Cicer. Act. Verrin. V.* sed nihil hic mutandum esse, docent V. A. Cornel. van Bynkersh. *Obs. III, 21.* Schulting. *ad Paull. l. c. p. 342.*

(c) Qui sint agnati, qui gentiles, infra Lib. III. Tit. II. explicabitur. Iam nota originem adagii, quod in homines stultos dicitur; *Ad agnatos et gentiles.* Vid. Varr. *de re rust. I, 2.* Columell. *X, 1.* Horat. *Sat. II, 3.*

eius meminit sub nomine legis *quinacuicennariae*. Cum ergo M. Laetorius Plancianus an. V. C. ccccxc. tribunus plebis fuerit, et postea anno ccccxcvii. praeturam gesserit: verisimillimum est, hoc anno latam esse legem Laetoriam. Vid. Gundling. *Pand. Lib. IV. Tit. IV. §. V.* Ceterum hac lege cauebatur, ut adolescentibus viginti quinque annis minoribus, (eum enim minorennitatis terminum haec lex finiuerat: *l. 2. C. Theod. de donat.*) petentibus curatores, causa cognita, darentur. Iul. Capit. *Vid. Marci Ant. XI.* Deinde et eadem lege vindicabatur circumscriptio adolescentum, rescissis versutorum hominum fraudibus, qui lucrum aliena ex imbecillitate captabant. Cic. *de offic. III, 15.* Sed et stipulationes ab adolescentibus, et actiones creditorum aduersus minores hac lege Laetoria sublatae sunt. Vnde Suetonis *in libris praetorum* apud Priscian. *Lib. XVIII. Laetoria, quae vetat minorem annis XXV. stipulari.* Et apud Plautum *l. c. Callidorus adolescens:*

Perii, an non tum lex me perdit quinauicennaria?

Metuunt credere omnes.

Denique et restitui haec lex minores laesos voluit, sed non nisi dolo aliorum circumuentos. Cic. *de offic. III, 15.* Quod beneficium postea praetorem latius interpretatum nouimus.

VII. Ea de-
mum edicto
Praetoris in-
ducta.

VII. Ex eo ergo tempore, cum quibusdam tantum minoribus, petentibus puta ac causam probantibus, curatores darentur, adeo-

adeoque existimatio adolescentum ea curatorum datione etiam post legem Laetoriam laedi videretur: postea edixit Praetor, se non modo in integrum restitutorum minores (d), quoties lubrico aetatis capti essent: (quod beneficium TUTELA MINORVM dicitur, l. 1. pr. D. de min.) sed et curatores iisdem daturum, dummodo eos a se peterent. l. 13. §. 2. D. de tut. et curat. dat. Vnde proprie curatio minorum sine causae cognitione data ex edicto Praetoris deriuenda est. Videtur sane iam ab illo tempore frequentior fuisse minorum curatio, nec finita tutela ulli temere minori permessa administratio bonorum, nisi curatoribus constitutis. Huc enim pertinent illa Mecaenatis apud Dion. Cass. Lib. LII. p. 479. vbi inconueniens esse ait, minores viginti quinque annorum adolescentibus senatores legi. πῶς γὰρ ἐν αἰχρὸν καὶ σφαλερόν ἐστι, τὰ μὲν οἰκεία μηδενὶ πρὸ ταύτης ἐπιτρέπεσθαι, τὰ δὲ δημόσια καὶ νεωτέροις τισὶν ἐγχειρῆ τεσθαι; *Quomodo enim non turpe et noxium sit, cum nemini ante it aetatis suorum bonorum administrationem concedatis, iis, qui eam nondum attigerint, rempubli-*

P 5

cane

(d) Talis restitutionis si iam mentio fit apud Terent. Phorm. II, 4. satis apparet, iam seculo ab V. C. sexto praetorem id ius condidisse. Sed vereor, ne ibi Terentius potius de restitutione patris, quo absente filius uxorem duxerat, quam filii, qui se a Phormione ad id coactum dicebat, loquatur. Verba Comici sunt. v. 19.

Sic hoc videtur: quod TE ABSENDE hic filius Egit, restitui in integrum aequum est et bonum, Et id impetrabis.

cam vos credere? Idem Praetor etiam curatores dabat libertinis prodigis, itemque ingenuis, qui ex testamento parentis heredes facti, male dissipabant bona. His enim curator ex lege dari non poterat, sed iis, qui ab intestato heredes facti essent (e) patri, Vipian. *Fragm. XII, 13.*

VIII. Quid
M. Antoninus
sanxerit?

VIII. Demum et M. Antoninus Philosophus statuit, ut omnes minores, salua existimatione, acciperent curatores, causa non cognita. Iul. Capitolin. *in vita Marci XI. De curatoribus vero, cum ante non nisi ex lege Laetoria, vel propter lasciuiam, vel propter dementiam, darentur, ita statuit, ut omnes adulti curatores acciperent, causis non redditis.* Iuuabit hunc locum a plerisque male intellectum, et qui me quoque huc vsque decepit, expendere paulo accuratius. Paucissimi enim, si nonnulli, vident, quid sanxerit Marcus Antoninus, et qua in re eius constitutio a lege Laetoria discreparit. Lege XII. Tabularum soli furiosi et prodigi accipiebant curatores. Hinc ignominiosa quodammodo erat curatio, et proinde inuitis minoribus curatores non obtrudebat lex Laetoria, sed petentibus eos causa cognita dari iubebat. Quamuis enim vulgo ex loco hoc Iulii Capitolini colligant, lege Laetoria tantum *adolescentibus dementibus et lasciuis*, datos esse curatores, uti ipse quo

(e) Lex ergo XII. Tabularum de prodigorum curatione intelligenda tantum de illis prodigis, qui iure ciuili ab intestato parenti erant heredes. Vid. Jac. Gothofred. *ad XII. Tab. probat. Tab. V. p. 98.*

quoque in antecedentibus editionibus scripseram: facile tamen patet, ita nihil noui fanxiffe legem Laetoriam, cum iam pridem furiosis et prodigis prospectum esset XII. tabulis, nec dubitari posset, quin adolescentibus lasciuis et dementibus huiusmodi curatores dari deberent, cum et maiores XXV. annis in curatione sint, si dementes vel lasciuui esse viderentur. Itaque non est hic sensus Iulii Capitolini. Potius inter se contendit iura de curatione, ante Antoninum recepta et quae ab isto Imperatore sint inuenta. *Antea*, inquit, curatorum non nisi tria genera erant, *cum non nisi ex lege Laetoria* minoribus petentibus, et causam probantibus, *vel secundo propter lasciuiam* prodigis, quibus Praetor bonis interdixerat, *vel propter dementiam* furiosis et mente captis curatores darentur. Quid vero Marcus Antonius? *Is ita statuit*, vt non solum petentes, *sed omnes adulti curatores acciperent*, etiam non redditis causis. Ex hac demum paraphrasi perspicue patet, quid lex Laetoria, quid M. Antoninus Imp. iusserit, quidque sibi velit Iulius Capitolinus.

IX. Nimirum lex Laetoria dare voluerat curatores adolescentulis petentibus et causam probantibus: Praetor se petentibus curatores promiserat daturum, etiam si causa non reddita. Marcus denique Antoninus statuit, vt et omnes acciperent, nec causae rederentur. *Atqui*, inquires, adhuc Iustiniani aeuo *inuiti adolescentibus curatores non accipiebant.* §. 2. *Inst. h. t.*

An itaque cum Ræuardo *Var. I, 17.* incitiae arguemus Tribonianum, ius antiquum pro nouo et recepto obtrudentem? An cum Vulteio ad *d. §. 2 Inst. b. t.* eum locum de curatore in litem interpretabimur? Neutrum ego facere ausim. Vtrumque enim verum videtur, non inuitos accepisse curatores, et omnes tamen accepisse. Prius non solum Iustinianus dicit, sed et alii Icti, Antonino iuniores confirmant. *l. 13. §. vlt. D. de tut. et cur. dat. l. 2. §. pen. et vlt. D. qui pet. tut.* Posterius ex verbis Iulii Capitolini clarum est. Seruauit itaque Marcus Antoninus vetus illud principium, curatorem dari oportere non inuitis, sed petentibus: at inuenit tamen modum, quo omnes petere cogentur. Non prius enim rerum suarum administrationem a tutoribus recipiebant adolescentuli, quam petitis constitutisque curatoribus. Luculenter id patet ex *l. 33. §. 1. D. de admin. et per. tut. l. 28. §. 1. eod. l. 31. eod. l. t. §. vlt. D. de min.* Sunt, qui nobis obuertunt exempla adolescentum, qui sine curatorum auxilio res suas dicuntur administrasse. *l. 7. §. 2. D. de min. l. 3. C. de in int. rest.* Verum ea loca non ad ius, sed ad factum, pertinere, nemo non videt. Nam et impuberes aliquando negligentia eorum, qui tutores petere debuissent, sine custodibus erant, vti ex toto titulo *D. qui pet. tut. vel cur.* colligimus: nec tamen inde sequitur, vt in arbitrio impuberum fuisse, existimemus, sine tutoribus agere mallent, an custodibus subesse. Sed plura hanc in

rem

rem habes in *Elem. nostris. iur. ciu. §. 271. seq.* et in *Additionibus nostris ad Vinn. §. 2. Inst. b. t. p. 116. sequ.*

X. Finiebatur curatio minorum anno aetatis XXV. circumactio, *l. 3. §. 3. D. de minor.* Cum enim longissimum vitae humanae tempus centum annis circumscriberent iurecon-
sulti: *l. 76. D. de iudic. l. 56. D. de usufr.* eo in quatuor aetates diuiso, iuuentuti XXV. annos putabant assignandos vti acute coniicit Gundlingius *ib. §. IV.* Id quod eadem lege Laetoria factum esse, non modo inde patet, quod *Quinauicennaria* a Plauto dicitur, verum etiam ex *l. 2. C. Theod. de donat.* manifestum est. Nonnunquam tamen iuuenes impetrabant *veniam aetatis*, quod beneficium Principes dabant adolescentibus XX. puellis XVIII. annorum si frugis esse probarentur, *l. 2. C. de his qui ven. aet.*

X. Cura minorum quando finita?

XI. Ipse tutor, si valetudine impeditus negotia pupilli maxime in iudicio gerere non posset, nec curatorem, nec procuratorem constituere poterat. Hunc enim solus constituerebat dominus. *l. 1. pr. D. de procur.* Quare noua inuenienda erant nomina. Rogatu ergo tutoris eiusque periculo Praetor ei substituebat alium, qui, si ad agendum esset datus, ACTOR; sin ad alia negotia ADIVTOR vocabatur. *l. 24. D. de administr. tut. et l. 13. §. 1. D. de tutel.* Actores, non vt Theophilus existimat, ideo dicti sunt, quod *ad acta* constituerentur, sed ab *agendo*, vnde et *πραγματευται* dicuntur Graecis. Translatum vero hoc

XI Quid actor et adiutor?

hoc nomen est ad vicariam tutelam ex institutis veterum domesticis. Domi enim e seruis quemquam praeficere solebant rei familiari, qui et ipse ACTOR, vel πραγματευκής nec non διοικητής πάσης ἑσίας vocabatur. *l. 8. pr. D. fam. ercisc. l. 40. §. 7. de statu lib. l. 41. §. 4. D. de fideicomm. libert.* Et talem se esse simulabat Leonidas apud Plaut. *Afin. II, 4. v. 53.*

*Nam si sciet noster senex, fidem huic non esse habitam,
Succenseat, cui omnium rerum ipsius summam credidit.*

Talis quoque est, quem describit Lucas *cap. XII, 44.* Add. Ræuard. *Var. Lect. V, 20.* et Wower. *ad Petron. p. 149.* qui actores, et dispensatores, vel arcarios accurate distinguit. Sed et in fundos mitti solebant serui, qui ceteris tanquam vicarii dominorum, imperarent, fundumque domino colerent, et hi ipsi etiam dicti actores *l. 32. D. de pign. Plin. Epist. III, 19. Paull. Rec. Sent. III, 46. 47. 48.* Quemadmodum ergo qui in aedibus vice domini rem familiarem curabat, ACTOR dici consueuerat: ita idem nomen conuenire eis visum est, qui pro tutore agerent. Vid. Melch. Goldast. *Annot. ad Dosithei sentent. et Epist. Hadr. III, 10. p. 868. edit. Cl. Schultingii.*

TIT. XXIV.

DE

SATISDATIONE TUTORVM

VEL CVRATORVM.

De SATISDATIONE tutorum et curatorum iure antiquo nihil fuerat proditum: vnde et nullum huius rei vestigium in vniuersa antiquitate exstat. Cum tamen pupilli magnum inde caperent detrimentum: de satisfactione quoque cauere coeperunt leges, de eaque paucis hic est agendum.

I. Satisfactio haec inuenta est a Praetoribus, quorum in edicto legebatur: **REM PUPILLI VEL ADOLESCENTES SALVAM FORE, TUTORVM VEL CVRATOREM SATISDARE IVBEBO.** *arg. rubr. D. rem pupill. salu. fore l. 5. §. 1. D. de legit. tut.* Cauebant vero ex eo tempore non tutores testamentarii, quippe quorum fidem ipse testator probauerat, nisi vnus reliquis vellet in administratione praeferrere: *pr. Inst. l. 7. D. b. t. nec ex datiuis*, qui a magistratibus maioribus cum inquisitione erant dati: sed partim legitimi, partim e datiuis illi, qui a duumuiris, aliisque minoribus potestatibus fuerant dati. *l. ult. C. de magistr. conu.* Et huc pertinet formula: **TUTORVM DO, SI SATISDERIS.** *Briffon. de Form. V. p. 408.*

I. Satisfactio-
nis huius
origo.

II. Confirmavit id Scto quodam Traianus, qui et actionem dedit contra duumuiros, si vel non exegissent a tutoribus et curatoribus

II. Senatus-
consulta sub
Traiano et
Antonino ea
cau- de re facta.

cautionem, vel minus idoneos admisissent fideiussores. Qua de re Dioclet. et Maximianus Augusti *l. 5. C. de magistr. conu. In magistratus municipales, tutorum nominatores, si, administrationis finito tempore, non fuerint soluendo, nec ex cautione fideiussionis solidum exigi possit, pupillis quondam in subsidium indemnitate nomine actionem utilem competere ex SCto quod auctore diuo Traiano, Parente nostro, factum est, constitit.* Eam actionem deinde D. Pius etiam ad ipsos magistratuum heredes extendit, si culpa magistratuum lata intercessisset. *l. 6. D. de magistr. conu. l. 2. C. eod.*

III. Quomodo fatisclatum?

III. Ipsa fatisclatio fiebat oblatis fideiussoribus, (nec enim alia poterat esse cautio praetoria *l. 7. D. de stipul. praet.*) a quibus vel ipse pupillus, si fari posset, vel, si non posset, seruus siue proprius, siue publicus, vel tabularius stipulabatur, REM PVPILLI SALVAM FORE. Ulpian. *l. 2. D. rem. pup. salu. fore: Si pupillus absens sit, vel fari non possit, seruus eius stipulabitur: si seruum non habeat, emendus ei seruus est: sed si non sit, unde ematur, aut non sit expedita emtio: profecto decemus, seruum publicum apud praetorem stipulari debere.* Solebat et praetor nonnunquam dare, cui fideiussores stipularentur. *l. 3. eod.* Nimirum seruus proprius stipulatione sua domino, id est, pupillo adquirebat. §. 1. *Inst. de stipul. seru.* Nec minus publicus seruus recte stipulabatur pupillo, quia erat in dominio reip. Publico vero nomine et alteri stipulari licebat. *l. 3. D. de praetor. stip. l. 1. §. 4. D. vt legator.* Iac. Gothofred. *Comment. ad tit.*

tit. de reg. iur. p. 322. Dicitur eiusmodi stipulatio facta τῶ ταβηλαρίῳ apud Theoph. §. 3. *Inst. de adopt.* Quam locutionem eleganter explicat Amaya *ad l. 3. C. de tab. scrib. logograph.* Formula stipulationis procul dubio fuit: FIDE TVA PROMITTIS, REM PVPILLO SALVAM FORE? FIDE MEA PROMITTO?

TIT. XXV.

DE

EXCVSATIONIBVS TUTORVM

VEL CVRATORVM.

Tutela iure Romano erat munus publicum. *princ. Inst. h. t.* Quemadmodum vero alia munera, excusationibus prolatis, amoliri a se poterant ciues et municipes: ita etiam proditae fuerunt EXCVSATIONES, quibus tutelam et curationem possent recusare. Immo et causae erant, propter quas arcebantur a tutela etiam illi, qui eam non recusarant, quas ipsas quoque excusationibus tutorum et curatorum accensent ICTI, quibus EXCVSARI dicuntur, etiam qui non admittuntur vel prohibentur *l. 1. §. 3. D. de postul.* Propria itaque ICTIS est haec vocabuli notio, et tam ab usu remota, ut Graeci, cum verba παρανειδαι, ἀπολογειδαι, προφασίζεσθαι illam non exhaustire animaduernerent, verbum Latinum ἐξκυσάτευσεν adoptare non dubitarint. Harmenop. *Enchir. II, 5. 6. I, 30. 80.* Att. V. A. Corn. van Binkersh. *Obs. IV, 11. P. 385. seq.* et *Elem. nostra iur. civ. § 288.*

Pars I. Q Ex

Ex quo simul patet, in *l. 11. D. de decurion.* non esse quod pro EXCVSARE rescribamus EXCVRIARE cum Cuiac. *Obs. XXVI, 38.* Vnde iam excusationes merito in VOLVNTARIAS, NECESSARIAS et MIXTAS distinguuntur.

I. Excusabat
I. numerus
liberorum.

I. Prima causa, eaque VOLVNTARIA, est NUMERVS LIBERORVM, quorum *tres* Romae excusant, in Italia *quatuor*, et in provinciis *quinque. pr. Inst. b. t.* Hoc cum ad famosum illud ius trium quatuor et quinque liberorum pertineat: quale illud fuerit, ex antiquitatibus Romanis erit paullo altius repetendum.

II. Cur Romani a nuptiis et procreatione liberorum abhorruerint?

II. Plurimi Romanorum, dici non potest, quantum a nuptiis abhorruerint. Causae huius rei variae, amores fortivi (*a*), luxuria matronarum, de qua eleganter Plaut. *Mil. Glorios. III, 1. v. 92. seq.* et praecipue illa orbitatis praemia, quae toties celebrant veteres. Colebantur eiusmodi *μισογάμοι* ab omnibus, viaque ipsis ad honores et commoda patebat, nemine illis negante suffragium, ob hereditatem, quam quisque spe deuorauerat. Vnde lepide senex ille

(a) Hanc causam ipse obseruat Augustus Imp. apud Dion. Cass. LVI. p. 576. vbi inuectus in caelibes: *Ἐοὐ γὰρ δὴ δῆπου μοναυλία χαίρετε, ἰν' ἀνευ γυναικῶν διάγητε. εἰ δὲ ἔστιν, ὅστις ὑμῶν ἢ σιτεῖται μονος ἢ καθεύδει μόνος, ἀλλ' ἐξ ἑστίαν καὶ ὑβρίζειν καὶ ἀσελγᾶν εἶναι ἔχειν ἐθέλετε. Neque adeo vos solitudo viuendi capit, ut absque mulieribus degatis, ac non quilibet vestrum mensae lectique sociam habeat, sed licentiam libitini ac lasciuine vestrae quaeritis.*

ille Periplectomenes apud Plaut. *Milit. Glorios.*
III, 1. v. 111. seq.

*Quando habebo multos cognatos, quid opus
mibi sit liberis?*

*Nunc bene vivo, ac fortunate, atque ut volo,
atque animo ut lubet.*

*Mea bona morte cognatis dicam, inter eos
partiar.*

*Illi apud me edunt, me curant, visunt, quid
agam? equid velim?*

*Priusquam lucet, adsunt, rogitant, noctu ut
somnia cepim?*

*Eos pro liberis habeo; quin mihi mittunt mu-
nera;*

*Sacrificant: dant inde partem maiorem mihi,
quam sibi:*

*Adducunt adexta: me ad se adprandium, ad
coenam, vocant:*

*Ille miserrimum se retur, minimum qui misit
mibi.*

Illi inter se certant donis: ego hoc misisto mecum:

*Bona mea imbian, certatim mittunt dona et
munera.*

Sed et de suo tempore conqueritur Plin. *Hist.*
*Nat. XIV. prooem. coepisse orbitatem in auctoritate
summa et potentia esse, captationem in quaestu
maximo. Et Senec. Conf. ad Marc. XIX. In ciuitate
nostra plus gratiae orbitas confert, quam eripit.
Adeoque senectutem solitudo, quae solebat destrue-
re, ad potentiam ducit, ut quidam odia filiorum si-
mulent, et liberos eiurent, et orbitatem manu fa-
ciant. Addimerentur Petron. *Satyr. p. 176. vbi**

Romanorum mores sub Crotoniatarum nomine sale satyrico defricat, vt et Tacitus *Annal. XIII, 52 de Moribus Germ. XX. An. mian. Marcellin. XIV, 19.* Denique et erant, qui philosophiae causa abstinebant a matrimonio, exemplo veterum, Thaletis, Pythagore, Democriti, Platonis, Zenonis Cittiei, Epicuri. Ita sane et recentiores in orbe Romano philosophi sibi putabant faciundum, veluti Apollonius Tyanensis, Epictetus, Plotinus, Porphyrius, Proclus. Vid. Philostrat. *Vit. Apoll. I, 10. Marin. vit. Procli Cap. XVII. p. 59.* et ibi Cl. Fabric. Quae cum ita se haberent, non mirum profecto est, adeo abhoruisse Romanos a nuptiis quaerendisque liberis, vt praemiis essent ad coniuga ineunda inuitandi. Fusius haec illustrauimus in *Comm. ad L. Iul. et Pap. Lib. I. cap. II. p. 35. seq*

III. Poenae caelibatus et praemia foecunditatis in libera rep.

III. Equidem iam libera republica et poenas caelibatus et foecunditatis praemia fuisse, certissimum est. Legum eiusmodi et a senatu et a populo conditarum meminit ipse Augustos oratione ad caelibes apud Dion. Cass. *Hist. LVI. p. 576.* Solebant et censores dare operam, ne caelibes essent in vrbe, atque hinc mulctam exigere ab iis, qui, nulla ducta vxores, ad se neclutem peruenissent. Ea mulcta dicebatur *aes vxorium*. Festus voce *vxorium p. 478.* *Vxorium pependisse dicitur, qui, quod vxorem non habuerit, aes populo dedit.* Qua in re rigida inprimis ac seuera fuit censura M. Furii Camilli et M. Postumii Albinus Regillensis, anno V. C. ccccl. de qua Plutarch. *vit. Camilli p. 129.* et Valer. Max. II, 9. 1. Ita et anno Iocxxii. Q. Caecilius Metellus Macedonicus

nicus omnes vxores ducere coëgit liberorum quaerendorum causa, et tum habuit orationem cuius partem seruauit Gellius *Noct. Attic. I, 6.* quaeque digna visa Augusto, quam in senatu repeteret, cum suaderet Legem Iuliam de maritandis ordinibus. Suet. *Aug. LXXXIX.* Nonnunquam censores caelibes etiam in quatuor tribus urbanas, ceteris inhonestiores, maritos et parentes in rusticas, tanquam nobiliores, describebant. Liu. XLV, 15. Nec poenis tantum, sed et praemiis propositis, ea in re utebantur veteres, et in primis honoribus ciues inuitabant ad ducendas vxores, ceu patet ex insigni oratione P. Scipionis, Censoris, anno V. C. IOLIII. apud Gell. *Noct. Att. V, 19.* vbi etiam ille prauus mos reprehenditur, *quod filius adoptiuus patri adoptatori inter PRAEMIA patrum prodesset.*

IV. At paullo post tamen et Iulio Caesari legibus promouenda visa est πολυπαιδία ciuium. Iam in consulatu, quem cum Bibulo gessit, agrum Campanum diuisit extra sortem XX. millibus ciuium, quibus terni pluresue liberi essent. Suet. *Iul. XX.* Appiani. *de Bello ciu. II. p. 433.* Postea, vbi bellum ciuile detonuerat, acto censu, tantam deprehendit in vrbe solitudinem, vt teste Appiano *de Bello ciu. II. p. 401.* dimidio minus capitum censeretur, quam ante bellum ciuile. Vnde denuo praemia proponenda existimabat iis, quibus plures essent liberi. Dio Cass. *Hist. XLIII. p. 216.* Suet. *Iul. XLII.* Sed eo paullo post interfecto, non diu admodum leges istae saluberrimae viguerunt.

IV. Praemia πολυπαιδίας a Iulio Caesare proposita.

V. Prima Augusti rogatio de poenis caelibatus et praemiis *πάλυ-
παιδίας*.

V. At multo magis haec cura Augusti subiit animum, qui tamen non nisi post multa molimina solitudini isti inuenit remedium. Primum id egit anno V. C. DCCXXXV. quo census cum Agrippa, tanquam Praefectus morum, egit. *Grut. Inscript. p. CCXXX*. Nam ex eodem tempore sexto inito consulatu potentiae securus, quae in triumviratu iussa fuerant, aboleuit, deditque iura, quae pace et principe vterentur. *Arctiora ex eo vincula, inditi custodes et lege Papia Poppaea praemiis inducti*. *Tacit. Annal. III, 28*. Ex quibus tamen verbis Lipsius in *Excess. ad Tac. Ann. Lib. III. lit. C*. male colligit, iam sexto illo consulatu Augustum rogationem ad populum tulisse. Incertum enim hoc esse ostendimus in *Comm. ad L. Iul. et Pap. Lib. I. Cap. III. pag. 41*. Saltem, si quid sexto consulatu egit Augustus, tum quidem nihil profecisse videtur.

VI. Lex Iulia de maritandis ordinibus.

VI. Decennio post A. V. C. DCCXXXVI. denuo eandem rem egit, lata celeberrima illa lege IVLIA *de maritandis ordinibus*, qua et innuptis arctiores poenas statuit, et nuptiis liberorumque procreationi proposuit praemia *Dio Cass. Hist. LIV. p. 531. seq.* Dici non potest, quantis cum difficultatibus tunc colluctandum fuerit Augusto. Quamuis enim orationem Metelli, de qua supra, in Senatu haberet: *Suet. Aug. LXXXIX. Epit. Liu. LIX*. magno tamen patrum consensu ei occlamatum est, teste *Dione Cassio*. Ad secutum tamen S^Ct. de ferenda lege, de quo *Horat. Epod. XVIII. v. 17*.

Diuina

*Diuā, producas sobolem, Patrumque
Prosperes decreta super iugandis
Feminis, prolaxis nouae feraci*

LEGE MARITA.

Sed licet tum Augustus tam certus esset de successu huius rogationis, vt legis huius in antecessum meminerit in luculenta Inscriptio re apud Grut. p. CCCXXVIII, 1. quam nos suppleuimus illustrauimusque in *Comment. ad L. Iul. et Pap. ibid. p. 43. sequ.* legem tamen perferre ne tum quidem potuit, prae tumultu recusantium. Sueton. *Aug. XXXIV.* Eoque respicit Propertius II, 7.

*Gauisa est certe SVBLATA Cynthia LEGE,
Qua quondam edicta, flemus vterque diu,
Ne nos diuideret.*

Repetitis tamen aliquoties rogationibus, ita demum perlata est, vt adempta, lenitate parte poenarum, auctisque praemiis, vocatio triennii concederetur. Sueton. *Aug. XXXIV.* Triennio vero illo circumacto, denno bienni data est vacatio, adeoque lex illa de maritandis ordinibus demum anno DCCLVII. Sex. Aelio Cato et C. Sentio Saturnino Coss. perlata, annoque DCCLXII. in legem Papiam Poppaeam transfusa, vires suas exferere coepit. Dio LVI, p. 578.

VII. Nimirum vicerat caelibatus orbitatisque amor, adeo, vt A. V. C. DCCLX. equites Romani magnopere de abroganda hac lege laborarent. Paulo post Augustus insignes illas habuit orationes tam ad caelibes, quam ad coniuges, quas seruauit Dio Cass. LVI, p. 573. § 9.

VII. Lex Papiam Poppaeam et praemia πολυγαυδία

Suet. *Aug.* XXXV. Denique anno V. C. DCCCLXIII. ferri iussit LEGEM PAPIAM POPPAEAM quae in iure nostro etiam LEX IULIA et PAPIA appellatur, quia in eam Iuliae istae rogationes pleraeque confluerant. Tulerunt hanc legem ad populum M. Papius Mutilus et Q. Poppaeus secundus, consules suffecti (b) quorum neuter vel uxorem habebat, vel liberos, Dio Cass. *LVI.* p. 578. ex quo, quam fuerit haec lex necessaria, facile intelliges. In ea capita haud pauca agebant de praemiis πολυπαιδίας. Sic e pluribus candidatis praeferebatur is, qui plures sustulisset liberos. Tacit. *Annal.* XV, 19. Plin. *Epist.* VII, 16. E. consulibus quoque prior sumebat fasces, qui collegam liberorum multitudine anteibat. Gell. *Noct. Att.* II, 15. Latini porro ob filium filiamve anniculum anniculamve, Latinae vero ob ternos partus ius Quiritium consequebantur. Ulpian. *Fragm.* III, 1. Liberti ob multitudinem liberorum ab operis; ingenuae et libertae a tutela liberabantur. l. 37. *D. de oper. libert.* Plut. in *Numa* p. 66. Dio *Hist.* LVI.

(b) In plerisque fastis hoc par consulum desideratur. Sed rem expediunt fragmenta Capitolina apud Pighium *Annal.* p. XIX. In quibus huius anni consules ita recensentur: C. POPPAEVS. Q. F. Q. N. SABINVS. Q. SVLPICIVS Q. F. Q. N. CAMERINVS. EX. K. IVL. M. PAPIVS. M. F. M. N. MVTILVS. Q. POPPAEVS. Q. F. Q. N. SECVNDVS. Exstant quoque vtriusque numi apud Golzium in *Fast* p. CCXXIX. seq. vbi tamen Poppaeus non *Secundus* sed SECVNDVS cognominatur. De gente Papii videndus Patin. *de famil. Rom.* p. CCCXXIX. et de vtraque *Comment. noster ad L. Iul. et Pap. Lib. I. Cap. IV.*

LVI. p. 578. *Fragm. Regul. ex vetere Icto §. VI.*
 Vlpian. *Fragm. XXIX, 2. 3.* Iuuabant etiam li-
 beri in hereditatibus et solidi capacitate. Vlp.
Fragm. tit. XV. XVI. Immo et honoratior in
 teatro locus dabatur iis, qui plures haberent
 liberos. Gothofr. *ad Leg. Pap. Popp. cap. VII. seq.*
 p. 280. Inprimis vero hac lege fuerat cautum,
 vt qui secundum hanc legem liberos tres, Ro-
 mae natos, superstites, qui quatuor in Italia, qui
 quinque in prouinciis haberet, omnium mune-
 rum personalium immunitatem haberet *pr. Inst.*
b. t. l. 1. C. et ult. qui num. lib. l. 18. D. de exc. tut.

VIII. Hinc ergo natum famosum illud ius
 trium, quatuor et quinque liberorum, quod
 tamen et liberis orbi, immo et steriles nonnun-
 quam, beneficio principum, obtinebant. Exem-
 pla sunt apud Plin. *Epist. II, 13. VII, 16. X, 95.*
 immo et in inscriptionibus, veluti in illa
 apud Grut. p. *MLXXXI.* vbi laudatur
 STATIA IRENE, IVS LIBERORVM HA-
 BENS, et in aliis, in quibus literae I. L. H.
 id est IVS LIBERORVM HABENS. Brum-
 mer. *de Lege Cinc. XIV.* Apud eundem Grut.
 p. *cccxxii, 8.* mentio fit Albiae Flaminicae. *CVI*
IMP. IVS COMMVNE (c) LIBERORVM
CONCESSIT. et p. *DCXXXI, 2.* Persicus
 libertinus sepulcrum se condidisse testatur C.
 CORNELIO. PERSICO F. HABENTI,
 EQVVM PVBLICVM; et CORNELIAE,

Q 5

ZOZI-

VIII. Ius li-
 berorum tri-
 um quatuor
 quinque.

(c) Legendum forsan IVS COMMVNIVM LIBERO-
 RVM, ob quod solidum capiebant inter se coniuges,
 Vlp. *Fragm. XVI, 1.*

ZOZIMAE, MATRI EIVS, HABENTI IVS
 QVATVOR LIBEROR. BENEFICIO CAE-
 SAR. Plura de hoc iure commentatus est M.
 Vertranius Maurus singulari libro *de trium li-
 berorum iure* (d), in quo tamen multa potius,
 quam bona et solida, reperies.

IX. Professio
 liberorum
 apud praefe-
 ctum aerarii.

IX. Quinam liberi profuerint ad capienda
 πολυτεχνίας praemia, de eo copiose satis dispu-
 tant iureconsulti. Nos addimus, ne fraus legi
 fieri, cautum fuisse a Marco Antonino, Impe-
 ratore (e), vt professio liberorum intra diem
 tricesimum fieret apud praefectum aerarii, alte-
 rumque exemplum tabularum domi; alterum
 apud aerarium adseruaretur: id quod idem
 Imperator etiam in prouinciis fieri iussit. Iul.
 Capitolin. *vit. Marc. Anton. IX.* Et huc perti-
 net exemplum Gordiani, de quo idem Iul. Ca-
 pitolin. *Gord. IV.* nec non lepida illa adulteri
 excusatio apud Iuuenal. *Sat. IX. v. 84. seq.*

Tollis

(d) Librum hunc frustra a se bibliothecis quaesitum,
 ait Brummer. *ad Leg. Cinc. XIV.* Sed facile eum
 reperire potuisset in *Tractatu Tractatum Tomo VIII.*
 nec ignorum est, eum nuper *Theauri iur. ciu. Tomo*
III. p. 965. insertum esse.

(e) Ita rem refert Iul. Capitolinus *Vit. Marc. Ant. Cap.*
IX. Sed tamen iam ante ea tempora clarorum virorum
 ortus in acta publica referebantur, vt ex Sueton. *Ti-*
ber. V. et Calig. VIII. patet. Iuuenal. *Sat. IV. v. 82.*
sequ. Fortassis ab omnibus et ob liberales causas id
 fieri iussit Antoninus, quod antea illustriores tantum
 familiae facere consueuerant. Plura nos in *Com-*
ment. ad L. Iul. Pap. Lib. II. Cap. IX. p. 213. vbi
 et de natalis et censualis professionis discrimine,
 quarum mentio fit in *l. 6. C. de fid. instr.* et *l. ult. C.*
sive censu vel reliq.

*Tellis enim, et LIBRIS ACTORVM spargere gaudes
Argumenta viri: foribus suspende coronas,
Iam pater es, dedimus, quod famae opponere possis,
Iura parentis habes, propter me scriberis heres.*

Adde Briffon. *Antiqu. Rom. I, 5. p. 7.*

X. Voluntariis porro excufationibus accen-
fenda II. ADMINISTRATIO REI FISCALIS.

Libera republica, reditus omnes publici influe-
bant in aerarium. At sub Imperatoribus fepa-

ratae erant rationes *fifci* atque *aerarii*, τῷ βα-
σιλικῷ, καὶ τῷ ταμείῳ. Hoc ad populum, ille

ad Principem pertinebat. Hinc faepe cum in

iure, tum apud auctores iunguntur *iure fifci* et

populi, Paull. *Sent. Recept. V, 12. l. 1. D. de bon.*

dam. Lamprid. *Alex. Seu. XII.* Hanc differen-

tiam primus Augustus, vel certe Tiberius, repe-

rit. Sane sub Tiberio diuerfum a fifco fuiſſe aera-

rium patet ex Tac. *an. VI, 2.* A fifco iterum distin-

cta erat *ratio Caesaris*, id eſt priuatum Principis

patrimonium, de quo *l. 6. §. vlt. D. de iure fifci.*

Vnde toties memorantur PROCVRATORES

HEREDITATVM PRIVATI PATRIMONII,
et fimiles, apud Fabret. *Inſcr. cap. III.* et Phil-
a Turre in *Monim. Vet. Ant. Cap. VI.* Vt iam

non commemorem, quae ex Gruteri et Rei-
neſii Theſauris eam in rem depromi poſſent.
Aſt ſeneſcente iam ſub principibus imperio,
nullum erat amplius inter fifcum et aerarium
diſcrimen, niſi quod publica pecunia *ſacrarum*
largitionum; priuatum Principis patrimonium
priuatarum rerum nomine veniret. Vnde titu-
li *C. de comit. ſacr. larg. et de ſym. rer. priuat.*

X. Fifci et
aerarii vt et
rationis
Caesaris
diſſerentia.

Iam

Iam Dioni sane *Lib. LIII. p. 511.* vix liquet, quid inter Augusti et publicum intersit aerarium, et Glossae recentiores promiscue scribunt: *ταμείον, fiscus, aerarium.* Paucissimi sane Principes Helvium Pertinacem imitabantur, qui Imperatoriis possessionibus nomen suum inscribi prohibebat, non esse illas dictitans imperantium proprias, sed communes Romanorum et publicas. Herodian. *Hist. II, 4.*

1
XI. Aerario
qui praefue-
rint?

XI. Aerario initio praerant Quaestores, quos Tacit. *Ann. XI, 22.* et Vlp. *l. vn. pr. D. de off. qu. Gracchani Iunii auctoritate, paene tam antiquos faciunt, quam ipsam urbem.* Sed eosdem a Valerio Poplicola demum creatos, scribit Plutarchus *vit. Valer. Popl. p. 103.* Immo Pomponius eos ipsis Tribunis plebis Aedilibusque recentiores facit. *l. 2. §. 22. D. de Orig. iur.* Sed quemadmodum de Pomponio hic non multum laboramus: ita Vlpiano facile conciliabis Plutarchum, si Quaestores iam sub regibus fuisse, Valerium vero illum magistratum, a Tarquinio Superbo abrogatum restituisse reipublicae, dixeris. Quod et Tacitus *l. c.* non obscure indicat, qui simul monet, consulibus initio mansisse potestatem quaestores deligendi, donec eum quoque honorem populus mandarit. Initio duo creati, ut rem militarem comitarentur: dein duo additi, qui Romae curarent, mox duplicatus numerus, stipendiaria iam Italia, et accedentibus prouinciarum vectigalibus. Post lege Sullae viginti creati, supplendo Senatui, cui ille Dictator iudicia tradiderat. Prolixe haec omnia Tacitus *l. c.* His ergo aerarii potissimum cura deman-

demandata fuerat a populo. Aſcon. Paedian. *in Verrin. II. p. 1839.* Aſt A. V. C. ICCCIX. aerarii adminiſtratio, iubente Caefare, a Quaefloribus ad Aediles translata. Dio Caſſ. XLIII. *p. 237.* Auguſtus, ubi aerarium militare inſtituerat, eius curam demandabat viris praetoriis, quos primum a Senatu lectos, deinde ſorte ductos, ac demum ab ipſo Imperatore nominatos, conſtat. Suet. *Aug. XXXV.* Quaefloribus porro curam aerarii Saturni reddidit Claudius. Suet. *Claud. XXIV.* Denique adminiſtratio aerarii iuſſu Neronis fuit penes Praefectos aerario (*f*), qui tamen etiam de cauſis fiſcalibus iudicabant. Gell. *XIII, 24.* Tacit. *XIII, 28.* Iac. Guther. *de offic. Dom. Aug. III, 32.* Cum vero ab Auguſti temporibus duplex eſſet aerarium, Saturni alterum, ita dictum a templo Opis et Saturni, in quo caſtodiebatur, alterum *militare*: duo quoque erant Praefecti aerario, vel diuerſa ſaltim officia, vni aliquando perſonae demandata. Exemplum ſuppeditat marmor apud Gruter. *pag. MXXVIII, 5.*

XII. Fiſco praeerant Procuratores, Aduocati, Patroni fiſci, quorum paſſim in iure noſtro mentio fit. Sunt etiam PRAEFECTI FISCI GERM. CAES. IMP. apud Grut. *Inſcript. p.*

XII. Qui fiſco et patrimonio Caefarum?

CCCCXCVIII.

(*f*) Cum vero ex lege Papia in aerarium et paullo poſt in fiſcum etiam influerent viceſimae hereditatum; iis adminiſtrantis praefuerunt PROCURATORES XX. HEREDITATIVM et PROMAGISTRI XX. HEREDITATIVM, quorum mentio fit in marmoribus apud Gruter. *p. ccccxxvii, 7. ccccxxvi, 5. ccccliv, 8.*

CCCCXCVIII, 10. A COMMENTARIIS FISCO ASIATICI, apud Reines. *Inst.* IX, 33. PROCURATORES FISCO ASIATICI apud eundem *Class.* IX, 60. Immo creare Nerua coepit *Praetorem fiscalem*, qui de rebus fiscalibus ius diceret, l. 2. §. 32. *D. de orig. iur.* Patrimonia Principum Procuratores Caesarum administrabant. Denique postremis temporibus fisci Comes sacrarum largitionum; patrimonium principis Comes rerum priuatarum administrabat, de quibus videndi Gutherius *de offic. Dom. Aug.* III, 1. 16. 25. 32. et qui egregia multa hanc in rem colligit Gundlingius *Diss. de principe herede cap. IV.*

XIII. Rei fiscalis administratio excusationem dedit voluntariam.

XIII. Quicumque ergo res fiscales administrabant, excusari poterant a tutela, non tam quia bona eorum fisco obligata erant, vt plerisque videtur: quam quod priuilegio se possent defendere. Hinc dicitur, *excusari eos posse §. 1. Inst. b. t. eos vacationem habere l. 10. C. b. t. priuilegio defendi l. vlt. C. qui dari tut. poss.* Vnde patet, non necessariam fuisse hanc excusationem, sed voluntariam. Thomas. *Not. ad Inst. b. t. p. 110.*

XIV. Potestas quae a tutela excusat quid.

XIV. Eadem de causa excusantur III. QVI CVM POTESTATE SVNT. Potestas vero diuersimode accipitur ab antiquis. Nonnunquam magistratibus vrbis opponuntur potestates in prouinciis apud Suet. *Claud. XXIII. Iurisdictionem de fideicommissis quotannis, et tantum in vrbe, delegari magistratibus solitam, in perpetuum; atque etiam per prouincias potestatibus demandauit.* Nonnunquam etiam in ipsa vrba a magistratibus seiungebantur potestates. In vrbe enim erant qui

qui ius dicerent, quamuis non essent magistratus ordinarii, veluti *Praefectus annonae*, *praefectus vigilum*, quos magistratus ideo esse negat Pomponius, *l. 2. §. 33. D. de orig. iur.* etiam hi dicebantur habere potestatem. Porro potestas distinguitur aliquando ab imperio, adeoque tribuitur iis magistratibus, qui neque vocationem neque prehensionem habebant, veluti Quaestoribus. Vid. infra. *Lib. IV. Tit. VI. §. 5.* Nulla harum significationum hic inuenit locum. Cum potestate enim hic esse dicuntur, quicumque sunt cum imperio, id est, magistratus maiores, vel maioribus auspiciis, et lege curiata creati. Gell. *Noct. Att. XIII, 14. l. 1. pr. D. si quis ius dicenti non obtemp.* Huber. *Praelect. ad Instit. l. 25. 4.* Vnde ne Aedilitas quidem excusabat *l. 17. §. 4. D. b. t.* Nam Aediles nec coërcere poterant, nec iubere in carcerem duci, nec prehensionem habebant, sed ipsi in ius vocabantur. Gell. *Noct. Att. XIII, 15.* Postremo tamen participes huius beneficii generatim facti sunt Senatores, *l. 15. §. 3. b. t.* in immo et ἀρχοντες τῶν πόλεων, id est, Duumviri. *l. 6. §. 16. b. t.*

XV. De (V) PAUPERE: (VI) TRIVM TUTORVM ONERE, vt et (VII) IMPERITIA LITERARVM nihil est, quod ex antiquitate monendum sit. Ast cum (VIII) et PROFESSIO LIBERALIVM ARTIVM excusarit; huius quae fuerit Romae conditio, ostendendum erit paullo accuratius.

XV. De aliis excusandi causis.

XVI. Profef-
fio artis
Grammati-
cae.

XVI. Grammatici, quos initio LITERA-
TOS, vel LITERATORES appellabant (g),
ferius Romae docuerunt. Ludimagistris, qui
primis literarum elementis imbuebant pueros,
semper quidem procul dubio vfi fuerant Roma-
ni: sed ab his diuerfi grammatici erant, id est,
poëtarum interpretes. Suet. *l. c.* Vnde et in iure
nostro a ludi literarii magistris disceruntur. *l. 1.
pr. et §. 6. D. de extraord. cognit.* Grammati-
cam olim Romae ne in vfu quidem, nedum in
honore fuisse, rudi scilicet ac bellicosa tum
ciuitate, docet Sueton. *de illustr. Gramm. I.* ex
quo etiam discimus, mediocre eius exstitisse
initium, profitentibus eam artem non nisi semi-
graecis, immo et libertinae conditionis homi-
nibus. Sane L. TITINIUS L. L. AMA-
ZON GRAMMATICVS memoratur apud
Reines. *Inscr. Class. I, 228. pag. 216.* M POM-
PILIUS M. L. FORTVNATVS GRAMM.
apud Gruter. *Inscr. p. MXXXV, 6.* vt alia iam
exempla praetermittam, quae et ipse Suetonius
suggerit. Primus hoc studium in urbem intulerat
Crates Malleotes qui missus ad Senatum ab Atta-
lo Rege, inter secundum et tertium bellum Pu-
nicum, cum fracto crure decumberet, assi-
due differendo, Romana ingenia excitauit.
Secuti eum sunt alii, praecipue post Q.
Metelli tempora, post quae adeo sensim
creuit grammatices honor, vt ne clarissimi
quidem viri ab ea se abstinerent, et aliquan-
do

(g) Teste Sueton. *De Illustr. Gramm. IV.* vbi eruditi
sunt, quae annotauit H. Cataub. *p. m. 732.*

do super viginti celebres scholae in turbe florent. Suet. *de illustre Gramm.* III. Sed plerique docebant priuatim, aut certe magno virorum illustrium aere conducti. Primus centena in annum festertia accepit Verrius Flaccus sub Augusto et Tiberio Suet. *de Gramm.* XVII. Postea sensim inualuit, vt et Grammatici publicis inuitati stipendiis docerent. Ael. Spart. *Vit. Had.* XI II. adeo vt stipendium eorum ordinarium temporibus Luciani essent *μύριας δραχμας*, id est festertia quadraginta, aurei quadringenti, vel mille coronati monetae nostrae Belgicae. Vid. Gron. *de pec. vet.* LIV. cap. XI. p. 729. Immo et annona iis quotannis coepit distribui, quam aliquoties iis deminutam restitutamque esse, patet ex Symmachi *Epist.* I, 33. Cassiodor. *Epist.* IX, 21. vt et l. II. C. *Theod. de Medic. et Professor.* Lib XIII. Tit. III.

XVII. Serius multo, immo et difficilior Romae recepti sunt rhetores, quippe quos anno V. C. IO XCII. C. Fannio Strabone et M. Valerio Messala Coss. Scto; deinde anno V. C. IO CLXI. a C. Domitio Ahenobarbo et L. Licinio Crasso censorio edicto, vrbe expulsos esse constat. Suet. *de clar. Rhet.* I. Postea et rhetoricam priuatim docere coeperunt plures, quorum aliquot recenset Sueton. *de clar. Rhet.* III. *sequ.* Primus vt diserte notat Euseb. *in Chron. n.* MMCIV. publice Romae docuit, salariumque e fisco accepit Quintilianus, idque sub Domitiano. At iam Vespasianum Latinis Graecisque rhetoribus annua centena, id est, aureos mille e fisco constituisse, tradit Sueton. *vesp.* XVIII. Posteriores Imperatores ea

XVII. Professio rhetorices.

in re modo liberaliores, modo tenaciores fuerunt. Sub Marco enim rhetorum stipendium fere drachmarum decem millia, Lucian. *Eunuch. p. 161. T. IV.* id est, aurei CCCXXXIII. et regales IV. ceu rationes inquit Theod. Marcil. ad Suet. *Vesp. cap. 18.* vel cccc. vti Gronovius. Tatianus, qui sub Commodio floruit, sexcentos aureos philosophis scribit datos, ex quo et salaria rhetorum sexcentorum aureorum fuisse videntur Theod. Marcil. *ad Suet. Vesp. l. c.* Immo Eumenius rhetor liberalitate Principis salarium sexcentorum millium nummum sese accipere gloriatur, in *Orat. pro restaur. schol. XI.* qui ex Gronovii calculo conficiunt *XLV.* millia florenorum Hollandicorum.

XVIII. Professio philosophiae.

XVIII. Eadem paene Romae philosophorum fata fuerunt. Ii quoque cum Rhetoribus pulsi A. V. C. DXCII. Idem saepius factum, cum antea, tempora Catonis, tum etiam sub Domitiano, Suet. *Domit. cap. X.* sub quo Epictetus quoque Roma excedere iussus est. Interea tamen semper priuatim floruit philosophiae studium. Primus philosophis stipendia et honores concessit Antoninus Pius. Iul. Capitolin. *Vit. Anton. XI.* vt et post eum D. Marcus, qui, vti ipse serio philosophabatur, ita omnis generis doctoribus annuam mercedem constituebat. Xiphilin. *LXXI. p. 815.* Hoc quoque salarium annuum ordinarie DC. aureorum fuisse, ex Tatiano colligimus cum Casaub. *Not. ad Sueton. Vesp. cap. 18.* At nonnullis tamen minus datum est. Luciani enim tempore singula philosophorum genera acceperunt decem

decem millia drachmarum, id est, ecce aureos
 Lucian. *Eunuch. p. 161. Tomo IV.* Tantundem
 datum fuit Theodoto Sophistae apud Philostr.
Vit. Sophist. Lib. II. Cap. 2. p. 566. edit. Olear.
 Tantundem destinatum etiam Chresto, apud
 eundem *Lib. II. Cap. 11. §. 1. p. 591.*

XIX. Medicina Romae sero coli, et in ali-
 quo pretio haberi coepit. Seruos ac libertos
 artem hanc fecisse, negat quidem Carolus Spon-
 nius *dans les recherches d'antiquité Dissert.*
XXVII. sed cum artis suae amore falli, satis pa-
 tet ex Sueton. *Calig. VIII.* Quintil. *Inst. VII, 2.*
 Senec. *de Benef. III, 24.* Varr. *de re rust. I, 16.*
 Ipsi lapides nobis plura exempla seruant. Apud
 Reinesium *Inscr. Class. XI, 8.* est Q. CLODIVS,
 Q. L. NIGER, MEDICVS, OCVLARIS.
 Apud Grut. *p. MCXI, 6.* Fabret. *Inscr. cap. IV.*
p. 300. Spon. *Misc. Erud. Ant. p. 143.* et Maluas.
Marm. Felsin. p. 219. TIBERIVS (ILLVSTRI-
 VS,) TI. CAES. AVG. SER. CELADIANVS
 MEDICVS OCVLARIVS. Alia marmora,
 quae Gruterianus Index in titulo: *officia domus*
augustae et priuatae facile vniciuique sugge-
 ret, hic praetermittimus. Immo et seruas et
 libertas fecisse medicinam, patet ex marmori-
 bus apud Gruter. *Inscr. p. DCXXXVI.* vbi oc-
 currit IVLIA, Q. L. SABINA, MEDICA,
 MINVCIA. C. L. ASTE, MEDICA, SEN-
 TIA ELIS, MEDICA. Tales etiam erant ob-
 stetrices, quae medicamenta dare solebant, *l. 9.*
pr. D. ad L. Aquil. veluti SVAVITAS, L. A-
 GREPINAE, OBSTETRIX, apud Gruter.

XIX. Profes-
 sio medici-
 nae.

Inscr. p. DCXXXVI, 4. Ceterum primus medicos ciuitate donauit Iulius Caesar. Suet. *Iul. XLII.* Augustus vero Antonii Musae, liberti, opera e graui ac periculoso morbo restitutus, Musaeius aureorum annulorum, vniuerso medicorum ordini immunitatem dedit. Dio Cass. *LII. p. 517.* Hinc multis Vespasiani, Hadriani, aliorumque rescriptis firmatum est illud priuilegium *l. vlt. §. 30. D. de mun. et hon.* Postea cum nimis multi medicinam professi immunitate fruerentur, certum definiri numerum placuit. *l. 6. §. 2. D. de excusat.* Alexander porro medicis annonam addidit. Lamprid. *Alex. XLII.* Posteriores vero Imperatores eorum immunitatem auxerunt plurimis constitutionibus, quae existant in *C. Theod. tit. de medic. et profess.* Briffon. *Ant. Sel. II, 3.* qui etiam sequente capite ostendit *χαιρῆγυς* simul fuisse plerosque medicos. Hinc et *vulnerarii*, vel *vulnerum medici* vocantur. Plin. *Hist. Nat. XXIX, 1.* nec non *medici chirurgi* in Marmore hoc apud Manut. *Orthogr. 243.*

CARESTAE. CONSERVAE. ET. CONIVGL.
 GELADIVS. ANTINOVS. DRVSI. MEDI-
 CVS. CHIRVRG.
 BENE. MERENTI. FECIT. EA. VIXIT.
 ANN. XVII.

Apud Grut. *Inscr. p. CCCC, 7.* laudatur *MEDICVS CLINICVS. CHIRVRGVS. OCVLARIVS.* Celebres etiam fuere *iatraliptae*, seu medici vnguentarii, de quibus Plin. *Hist. Nat. XXIX, 1.*

XX. Iurisprudentiae studium Romae semper floruit. Primus tamen illud publice professus est Tiberius Coruncanus. *l. 2. §. 35. D. de O. I.* Quem deinde alii secuti sunt, qui vero, ut Cicero ait in *Bruto* *XLI.* nullum sibi ad eam rem tempus ipsi seponerent, sed eodem tempore et discipulis satisfaciebant, et consulentibus. Sic verbi gratia Q. Scaeuola, quanquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat. *Cic. Brut. LXXXIX.* Vid. supra *Prooem. n. 42. 43.* Neque tamen certi quidam atque ordinarii erant iuris professores, sed, ut quisque studiorum suorum habebat fiduciam, ita consulentibus aequae, ac discipulis, se videtur dedisse. Postremo et iure consulti publice, certo stipendio conducti, Romae docere coeperunt, aequae schola iuridica Romana, in occidente vnica, tam frequens fuit, ut ex omni occidente eo iuvenes confluerent. Sic *Rutil. Numant. in itinerar. Lib. I. v. 109.*

*Facundus iuuenis, Gallorum nuper ab aruis
Missus, Romam discere iura fori.*

Constantius in *vita S. Germani Cap. III.* Ut in eum profectio literarum plena conflueret: post auditoria Gallicana intra urbem Romam IVRIS scientiam plenitudini perfectionis adiecit. Plura de hac schola Romana iuridica dabunt *Io. Sauro ad Sidon. Apollin. Epist. I, 6.* vbi Sidonius Romam *domicilium legum* vocat, *Franc. Iuret. ad Symmach. Epist. IX, 83.* et *Dadin. Alteserra Rer. Aquit. III, 5.*

XX. Professio iurisprudentiae.

XXI. Qualis fuerit Romae schola publica,

XXI. Florentissima ergo Romae fuit schola, in auditorio Capitolino, in qua Theodosii et Valentiani aevo docuerunt Rhetores Latini tres, Grammatici Latini decem, Sophistae Graeci quinque, Grammatici Graeci decem, Philosophus vnus, iurium professores duo. Conring. *Antiq. Acad. Dissert. I, p. 22.*

XXII. Quales scholae per prouincias,

XXII. In prouinciis quoque floruerunt scholae, Augustoduni, Burdegali, Tholosae, Narbonae, Mediolani, Carthagine, et in plerisque ciuitatibus honoratioribus, in quibus tamen non nisi rhetores et grammatici vtriusque linguae docuisse videntur. Conring. *l. c. pag. 16. sequ.* In oriente alia quodammodo fuit scholarum conditio. Alexandriae enim iam ab Antoninorum aetate floruit schola *ιατροσοφιστῶν*, id est medicorum, tantae celebritatis, vt ad commendationem medici illud satis esse videretur, si fuisset Alexandriae aliquamdiu commoratus. Ammian. Marcellin. *Hist. XXII, 16.* Conring. *Medicin. Hermet. IX.* Beryti vero et Constantino- poli etiam ius ciuile traditum. Et Beryti quidem iam seculo tertio exeunte studia iuridica floruerunt, *l. i. C. qui aetat. vel profess. se excus.* eandemque scholam eodem seculo medio obseruante Menagio *Amoenit. iur. XXIV.* magno- pere celebravit. Gregor. *Thaumaturg. Paneg. Orig. p. 186.* Tanta sane huius scholae fuit celebritas, vt eam *μητέρα τῶν νόμων matrem legum* appellare non dubitet Eunap. *vit. Proaeres. p. 150.* *το ἔδος χαρίτων, Gratiarum sedem* Ioannes in *Anthol. Lib. 1. cap. 68. epigr. 29. πόλιν ῥωμαϊκωτέραν,*
κρη

καὶ τῶν νόμων τέτων παιδευτήριον, *ciuitatem plane Romanam, et legum Romanarum Gymnasium*
 Gregorius Thaumaturg. *l. c. δι' αἰῶνος πέδον ἄσυθου*
των, iuris domicilium et urbem iureconsultorum,
 Non. in *Dionysiac. Lib. XLI. v. 145. Legum denique nutricem* Iustinianus. *Constit. omnem §. 7. ad Antecess.* Beryto euocari consueuuisse iuris peritos, qui assiderent magistratibus, vt sine fauore et odio cognoscerent, ex vetere chirographo obseruat Iac. Gothofred. ad *l. i. C. Theod. de assess. domest.* docebant ibi Antecessores quatuor, ceu ex d. *Const. omnem, ad antecessores* colligit Menag. *Amoen. Iur. Cap. XXIV. pag. 134.* Sed vrbs, quae in iure nostro *pulcherrima et splendidissima*, immo *metropolis* vocatur, paullo post Iustiniani tempora terrae motu euerfa est, Agath. II. p. 285. Quam ruinam epigrammate non vno desleri videas in *Anthol. I, 68. Epigr. 19. et sequ.* Constantinopoli iuris professores duos reliquis addidit Theodosius, philosophiae vero doctorem adiecit Iustinianus, vt adeo schola Constantinopolitana Romae illi per omnia fuerit similis. Conring. *Antiq. Acad. Diss. I. p. 21. sequ.* Alibi, quam Romae, Constantinopoli et Beryti ius Romanum doceri, et maxime Alexandrinos et Caesarienses antecessores iuris habere, vetuerat Iustinianus. *Const. Omnem. §. 7. ad Antecessores.* Et tamen paullo post se legalium studiorum causa Alexandriae comoratum esse, testatur Agathias *Lib. II. pag. 48.*

XXIII. Immu-
nitas a tute-
lis professo-
ribus con-
cessa.

XXIII. Omnes ergo Grammatici, rhetores et medici Romae docentes, aut in patria has artes exercentes, qui intra numerum erant, a tutela et cura habebant vocationem §. 14. *Inst. b. t. l. 6. §. 1. D. b. t. et tit. C. de profess. et medic.* Iisdem et philosophi accensentur, *l. 6. §. 5. D. b. t.* nec non iureconsulti Romae docentes. *l. 6. §. 12. D. eod. immo omnes ubique artium professores. l. 6. C. de profess. et med.* Minus vero eo privilegio gaudebant hydraulae, poëtae, aliique quibus nullis in scholis publicis erat locus. *Vinn. Comm. ad §. 16. Inst. b. t. p. 139.*

TIT. XXVI,

DE

SUSPECTIS TUTORIBVS VEL

CURATORIBVS.

Non solum *excusari*, sed et *remoueri* a tutela et curatione nonnulli poterant, si vel dolose vel segniter pupillorum minorumque res administrare et curare dicerentur, vel vlla malae fidei in eos caderet suspicio. Tales dicebantur **SUSPECTI**, et de his ad hunc titulum agendum,

I. SV-

I. SUSPECTI crimen ex lege XII. Tabularum descendere, ipse agnoscit Imperator *princ. Inst. b.* z. vt et Vlpianus *l. 1. §. 2. D. de susp. tut.* nec obscure id testatur Cic. *de offic. III, 15.* In iis tabulis ex Iac. Gothofredi Sententia, cautum fuerat: SI TUTOR DOLO MALO GERIT, VITUPERATO, QVANDOQVE FINITA TUTELA ESCIT, FVRTVM DVPLIONE LVITO. Quamuis vero *suspecti* vocabulum in hac lege, si ita concepta fuit, non occurrat; praecipue tamen veteribus *suspicio* esse dicebatur, vbi dolus malus videbatur metuendus. Hinc Terentius *Eunuch. III, 3.*

I. Suspecti crimen ex XII. Tabulis.

Iam tum erat suspicio,

Dolo malo haec fieri crimina.

Cum ergo de eo tutore in lege ageretur, qui minus ex fide tutelam gereret: iureconfulti eum vocarunt SVSPECTVM, quemadmodum et actionem ipsam *crimen suspecti* (a) appellabant. *Inst. princ. b. t.* Quamuis autem ex XII. Tabulis sit hoc crimen: Decemviri tamen illud, sicut et alia iura, ab Atheniensibus acceperant, apud quos nota erat ἡ τῆς ἐπιτροπῆς γενομένη, quam cuius instituire licebat aduersus tutorem qui pupillum vlla adfecerat iniuria. Iul. Pollux *Lib. VIII. cap. VI. Segm. 35.*

R 5

II. Su-

(a) Crimen hic est idem ac accusatio, quare et Theophilus κατηγορίαν vertit. Vid. Brisson. *de Verb. sign. voce crimen* p. 153.

II. Quinam suspecti fieri potuerint? quinam postulare?

II. Suspecti postulari poterant omnes tutores, siue dati ex lege Atilia, siue testamentarii, siue legitimi. *l. 1. §. 5. D. b. t.* Immo et patroni huic iudicio erant obnoxii, ita tamen, ut eorum famae parceretur. *l. 1. §. 5. D. §. 2. Inst. b. t. l. 9. D. de obsequ. par. et patr.* id quod etiam in agnatis obseruari, ipsius pupilli videbatur interesse: unde et his potius curator adiungi solebat. *l. 9. D. b. t.* Praeterea et omnes postulare suspectos poterant promiscue, unde et *quasi publica* erat haec accusatio. *§. 3. Inst. b. t. l. 1. §. 6. D. b. t.* Quamuis enim vere publicum non esset hoc iudicium, cum causa ne quidem criminalis haberetur, et hinc apud magistratus qui iurisdictione tantum gaudebant, e. g. apud Praetorem institueretur: in multis tamen imitabatur iudicia publica. Praeterquam enim quod cuius e populo accusandi ius esset; vocabula etiam eiusmodi adhibebantur, quorum alias in publicis tantum iudiciis erat usus, ut puta, *crimen, accusatio*, quae omnia κατὰ λόγον in hac causa usurpantur, Huber. *Praelect. ad Inst. I, 26.*

III. Suspectis interdicebatur administratio. Eorundem remotio et infamia.

III. Suspectis hac actione factis, primo omni administratione tutelae interdicebatur, et interim dabatur curator. *l. 7. C. b. t.* Deinde, si eos vel dolo malo, vel culpa sua, parum diligenter tutelam gessisse, appareret, remouebantur, ab eaque interdictione et poena nec promissa satisfactio liberabat. *§. 12. Inst. b. t.* Praeterea et infamis erat tutor, quoties-

tiescunque doli culpaue latae fuerat conuictus. §. 6. eod. Commune id hoc iudicium habet cum omnibus reliquis, quae occasione tutelae oriuntur, veluti actionibus *tutelae et de distrabendis rationibus*. Hinc *turpe tutelae iudicium* memorat Cicero *de Orat. I, 26.* et *pro A. Caecina III.* Idem *pro Q. Roscio Comoeda VI.* *Si qua sunt priuata iudicia summae existimationis, et pene dicam capitis, tria haec sunt fiduciae, tutelae, societatis. Atque enim perfidiosum et nefarium est, fidem frangere, quae continet vitam, et pupillum fraudare, qui in tutelam peruenit; et socium fallere, qui se in negotio coniunxit.*

IV. Nonnunquam etiam, si dolum insignem aliaque delicta interuenisse, appareret, tutores tam nefarii ad praefectos vrbi remittantur, extra ordinem puniendi: §. 10. *Inst. b, r.* maxime si libertus tutor filios vel nepotes patroni fraudasset. §. 11. eod. Cum enim merum in vrbe imperium non esset penes Praetores, sed penes Praefectum vrbi, cuius erat, animaduertere in crimina, quae intra urbem, vel centesimum milliarem extra eam, committerentur: Tacit. *Annal. VI, 11.* Dio Cass. *LII, p. 480.* Suet. *Aug. XXXVII. l. 1. princ.* §. 3, 4, 10. *D. de offic. praef. urb.* oportebat omnino praetorem reos animaduersione vel supplicio dignos ad Praefectum vrbi remittere. Qua remissione opus non erat in prouinciis, vbi Procoff. et Praesides et iurisdictione et imperio mero gaudebant. Insigne huius seueritatis

IV. Poena
tutorum
quorundam
extraordi-
naria.

ritatis exemplum statuit Galba, Lusitaniae praefes, qui tutorem, quod pupillum, cui substitutus erat, necasset, in crucem sustulit, et cum se ciuem esse clamaret, ei crucem dealbatam et ceteris altioreni statui iussit. Sueton. *Galb. IX.*

V, Actio de
distrabendis
rationibus.

V. Ceterum ab hoc iudicio diuersa erat actio *de distrabendis rationibus*, quae finita de-
mum tutela contra tutorem, qui furtim aliquid
subtraxerat, dabatur in duplum, *l. 55. §. 1. D. de adm. et peric. tut.* quo pertinent vitima legis
XII. Tabularum, verba: QVANDOQVE
FINITA TVTELA ESCIT, FVRTVM
DVPLIONE LVITO. Sed de ea actione
satis multa notam doctores, nihil vt a
nobis iam addendum
videatur.





APPENDIX

LIBRI I.

DE

IVRE ANTIQVO CIVIVM ROM. LATINORVM, ITALIAE, PROVINCIARVM, NEC NON CONDITIO NE PEREGRI- NORVM.

Liber Institutionum primus totus agit de diuisionibus personarum ratione status. Cum vero personarum status maxime triplex in iure Romano traderentur, LIBERTATIS puta, CIVITATIS et FAMILIAE: Tribonianus non uili eas attulit diuisiones personarum, quae ad libertatis familiaeque statum pertinere uidebantur. De ciuitatis statu nihil differuit, forsân, quod ea, quae huc pertinent, iura tantum non omnia euerterat Antonini Caracallae constitutio, de iure ciuitatis cum omnibus orbis Romani incolis communicando *l. 17. D. de statu hom.* Ast quamuis excusari mereatur Tribonianus: nos tamen forsân non aequè uideremur excusandi, si tam praeclaram antiquitatum Romanarum partem, quae tot iuris nostri veterumque auctorum locis tam egregiam lucem accendit, intactam plane praetermitteremus. Iuabit itaque post Car. Sigonii, Ez. Spanhemii, alio-

aliorumque luculentissimas commentationes (a) ea de IVRE CIVIVM ROMANORVM, LATINORVM, ITALORVM, PROVINCIALIVM, deque statu et conditione PEREGRINORVM hic coniunctim exhibere, quae ad illustrandum ius Romanum quam maxime facere videbuntur.

I. In Romano imperio alii erant cives, alii Latini, alii Italici, alii provinciales.

I. Ex quo Roma initio per Latium, tum per Italiam, ac deinceps per uniuersum pene terrarum orbem arma victricia circumtulit: quadripartita esse coepit hominum huic imperio subiectorum differentia. Alio enim iure CIVES, alio LATINI, alio ITALICI, alio denique PROVINCIALES utebantur. Priores tres gradus coniungit Claudius Imp. apud Tacit. *Annal. XI, 24. Omnia P. C. quae nunc vetustissima creduntur, noua fuere: plebeii magistratus post patricios; LATINI post plebeios, ceterarum ITALIAE gentium post Latinos.* Habes hic CIVES, ex quibus patricii, et plebei magistratus creati: habes LATINOS, et ITALICOS, ita coniunctos, ut intelligas, ciuitatem iura Latii, hoc iure Italico praestitisse. Omnium postremae conditionis erant PROVINCIALES, quos ideo Italicis postponit Suet. *Vesp. IX. Ordines exhaustos supplevit, honestissimo quoque ITALICORVM ac PROVINCIALIVM adlecto.*

II. Qui-

(a) Haud pauci de hac re egregios ediderunt commentarios. Caroli Sigonii et Ez. Spanhemii aeterna atque eximia opera nemini ignota sunt. His addendi Alex. ab Alex. *Genial. Dier. IV, 10.* Onuphr. Panuin. *de Imp. Rom. V.* Selden. *de Synedr. II. p. 62.* Henr. Dodwell. *Praelect. Cambden. p. 194.* Petr. Ios. Cantelius *de Rep. Rom. p. 208.* et alii.

II. Quicumque ciuitatis iure non fruebantur, ii veteribus HOSTES, et paullo post, inflexa in deterius huius vocabuli significatione PEREGRINI vocabantur. Cic. *de offic.* I, 12. Festus *voce hostis.* p. 297.

II. Peregrini qui fuerint?

CAP. I.

DE IVRE QVIRITIVM ET CIVITATIS.

III. Ac primo quidem, cum noua vrbs non admodum adflueret ciuibus, promiscue iura ciuitatis impetrabant, quicumque vel in vrbe, vel in agro Romano Lares figere constituerant. Liu. I, 8. Immo tantum erat Romuli studium amplificandi ciuitatem, vt et hostes deuictos plerumque in vr̄bem transferret, agroque adsignato, in curias adscriberet. Hunc in modum ciuitatis iura comunicauit cum Caeninensibus, Camerinis, Anteminatibus, Crustuminis, ac postremo etiam cum Sabinis. Dionys. Halic. *Antiquit. Rom.* II. p. 103. et III. Liu. I, 13. Vnde Claudius apud Tacit. *Annal.* XI, 24. *At conditor noster, Romulus, tantum sapientia valuit, vt plerosque populos eodem die hostes, dein ciues habuerit.* Secuti sunt hoc exemplum ceteri Reges, qui Albanos, aliosque populos deuictos Romam transfulerunt, ac ciuitatis fecerunt participes. Liu. I, 29. 33. Quae de re Cic. *pro Corn. Balbo* XXXI. *Illud vero sine omni dubitatione maxime nostrum fundauit imperium, et populi Romani nomen auxit, quod princeps ille, creator huius vr̄bis, Romulus, foedere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis*

III. Olim omnes, qui Romam commigrarunt, promiscue ciues facti.

piendis augeri ciuitatem oportere. Sic initio, vt recte obseruat Dionysius. *IV. p. 256. ἀπασι τοῖς ξένοις ἐπέτρεψαν τῆς πόλεως μετέχειν, quoslibet externos admitterebant, ad ius ciuitatis, ne iisquidem exclusis, qui e iusta seruitute fuerant manumissi.* Hos enim omnes e Ser. Tulli instituto ciues Romanos factos, et in quatuor urbanas ciuium Romanorum tribus descriptos esse, ex eodem apparet Dionysio. Non segnus alicuandiu, libera iam reipublica, prouiderunt Romani, vt ciuitatis iura cum quamplurimis communicarentur, maxime post captam et incensam a Gallis urbem, quam vt tanto splendidius instaurarent, nouos et peregrinos ciues adsciuerunt ex Vcientibus, Capenatibus et Faliscis, iisque agri partem assignarunt, teste Liiuo *VI, 4.* Et sane prudenter id prouisum a Romanis. Cum enim Romanae reipublicae salus in armorum vi posita videretur, quae nulla esse poterat sine numerosa ciuium multitudine, merito de augendo ciuium numero quam maxime fuere solliciti, vt luculenter ostendit Dionys. *Halicarnass. II, p. 89. et III, p. 148.*

IV. Postea et aliis, qui in oppidis suis manebant, ius ciuitatis datum.

IV. Postea factum est, vt praeter eos, qui domicilium in vrbe vel agro Romano constituerant, quiue in urbanas vel rusticas tribus fuerant descripti, etiam peregrinis aliorum oppidorum, et qui in iis remanebant, incolis, aut victis etiam, nec tamen in urbem abductis hostibus, modo singulis, modo vniuersis, ius Romanae ciuitatis Senatus populique iudicio atque auctoritate deferretur. Sic Dionysius *Halic.*

Halic. II. p. 89. Obseruat, Romanos captas vrbes non excidisse, sed in alias misisse colonos, ἐνίαις δὲ καὶ πολιτείαν μεταδιδόναι, aliis ciuitatem dedisse. Quo pertinent etiam illa Liuii XXVI, 24. Iam inde a maioribus traditum morem colendi socios, ex quibus alios in ciuitatem, atque acquum secum ius recepissent. Quicumque ergo adepti Romanae ciuitatis iura in oppidis suis manebant, ii MVNICIPES dicebantur. Simul ac vero Romae fortunarum suarum sedem collocabant; CIVES INGENVI erant, cui eos vocat Cicerō in Bruto Cap. LXXV. Sic M. Porcius Cato, quamdiu Tusculi est commoratus, municeps, fuit: vbi Romam commigrauit, ciuis Romanus, quamuis iam ante iure ciuitatis Romanae etiam in municipio suo frueretur: Sigon. de antiquo iure ciu. Rom. I, 1. p. 16. Ex quo patet, alios fuisse ciues INGENVOS, vel optimo iure ciues, alios MVNICIPES. Illi Romae domicilium, tribum et bonorum petitionem fuerant consecuti: hi, tametsi tribum atque honorum petitionem adepti essent, tamen domicilio carebant.

V. Illi, (tametsi alias ciuis Romanus plurimum ciuitatum ciuis esse haud posset,) tum in municipio suo, tum Romae magistratus recte gerebant, ideo quod non tam duarum diuersarum ciuitatum, etsi aliqua inter eas priuati iuris esset varietas, quam vnus, ciues censerentur. Ez. Spanhem. Orb. Rom. Exerc. I. Cap. 6. p. 35. sequ. Duplex ergo municipibus erat patria: altera, in qua nati; altera, qua excepti erant, quamuis haec veluti maior esset, et

Vnde alii ciues ingenui alii municipes.

V. Municipum duplex erat patria, sed Roma tamen patria maior.

illa in hac contineri videretur, vt praeclare ostendit Cicero *de Leg. II, 2.* quem locum totum adscribere licebit. Interrogauerat Atticus, cur Cicero Arpinum germanam patriam suam appellarit? Cui Cicero: *Ego me hercule et Catoni et omnibus municipibus duas esse censeo patrias: vnam NATVRAE, alteram CIVITATIS: vt ille Cato, cum esset Tusculinatus, in populi Rom. ciuitatem susceptus est. Itaque cum ortu Tusculanus esset, ciuitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris.* Et quibusdam interiectis: *Sic nos et eam patriam ducimus, vbi nati, et illam, qua excepti sumus. Sed necesse est, caritate eam praestare, qua reip. nomen vniuersae ciuitatis est: pro qua moriet cui nos totos dedere, et in qua nostra omnia ponere, et quasi consecrare debemus. Dulcis autem non multo secus est, quae genuit, quam illa, quae exceptit. Itaque hanc meam esse patriam, prorsus nunquam negabo, dum illa sit MAIOR, et haec in ea contineatur.* Hinc saepe fiebat, vt vnus idemque et Romae et in municipio suo summos honores gereret. Ita Milo, dum iam Romae consulatum petebat, Dictator erat Lanuui in patria naturali. Cicero *pro Milone XXXVII.* Et Ciceronis filius Aedilis apud municipes suos Arpinates patris voluntate factus est, teste eodem cicerone *Epist. ad Fam. XIII, 11.* Immo ipse Hadrianus iam Imperator veteri ritu in patria sua Quinquennalem se creari passus est. Spartian. *vit. Hadr. XX.* Inter municipes tamen et ciues ingenuos aliquam fuisse priuati iuris varietatem, paullo post docebimus.

VI. Postea, vbi maior paullatim dignatio Romanae ciuitatis esse coepit: ius ciuitatis parcius datum, et vix cum quibusdam Latii populis vel ad augendam rem Romanam, vel honoris causa communicatum est. Liu. VIII, 13. et 14. Eius beneficii Latinorum populis ac Hernicis dati primus auctor Sp. Cassius, tertium Consul circa annum V. C. CCLXVII. Dionys. Hal. VIII. p. 538. seq. Ast cum consul ille popularis, et de adfectata tyrannide suspectus, tam late hoc populi Romani beneficium interpretaretur, vt Latinis et Hernicis cum iure ciuitatis etiam ius suffragii datum contenderet; solebant deinde Romani ius ciuitatis ita dare, vt pro diuerso sociorum in populum Romanum studio, modo ius suffragii simul concederent, modo illud disertis verbis exciperent. Primi sine iure suffragii ciuitatem acceperunt Caerites (b). Strabo *Geogr. V. p. 222.* Gell. *Noct. Att. XVI, 23.* Mox et Campanis equitibus, Fundanis et Formianis eadem lege data ciuitatis iura. Liu. VIII, 14. nec non Acerranis, Liu. VIII, 17. Anagninis, Liu. IX, 43. aliisque pluribus, de quibus accurate Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. I. cap. 7. p. 39.* Contra ea Lanuuii, Aricini, Nomentani, Pedani, alique in ciuitatem ita accepti sunt, vt et iure ferendi suffragii, et capien-

VI. Hinc porro ciuitate donati etiam Latini quidam, sed non eodem iure.

S 2

di

(b) Inde factum, vt censores eos, quos suffragii iure priuabant, in *Caeritum tabulas referre* dicerentur. Gell. l. c. Ascon. Paedian. in Cicer. *Diuinat.* pag. 1759. De his intelligendus Horatius. *Epist. I, 6. v. 62.*

----- *Caerite cera*

Digni, remigium vitiosum Irbacensis Vlyssis.

di in vrbe muneris gauderent: vnde et eiusmodi oppida veluti κατ' ἐξοχην MVNICIPIA, dicta, vt docet Vlpian. *l. 1. §. 1. D. ad municip.*

VII. Qui in Latinis ciuitatibus magistratus fiebant ciues.

VII. Inualuit praeterea, vt etiam a iure Latii via pateret ad iura ciuitatis iis omnibus, qui in patria, Latio donata, magistratus gesserant. Appian. *de Bell. Civ. II. p. 443.* Strabo *IV. p. 187.* Quod ius Traiani adhuc aeuo valuit, vt patet ex verbis Plinii *Paneg. XXXVII. His quoque, quibus per Latium ciuitas Romana patuisset.*

VIII. Ciuitatem quoque impetrabant Latini, si stirpem domi reliquissent, aut aliquem accusarent repetundarum.

VIII. Postremis reipublicae temporibus latius paullatim diffusum est illud Romanae ciuitatis beneficium. Cum enim paullo ante quibusdam tantum Latii vrbibus ius ciuitatis Romanae summi beneficii loco concederetur: lata deinde lex est, vt e fociis ac Latini nominis promiscue, qui stirpem ex se domi reliquerant, ciues Romani fierent. Liu. *XLI, 8.* Accessit altera lex anno *IOCLXIII.* a Seruilio Glaucia, de repetundis lata, vt Latinis esset ius ciuitatis consequendae in illius ciuis seu senatoris locum, qui accusatus ab iis repetundarum, a Romanis fuisset damnatus. Cicero *pro Balbo XXIV.*

IX. Ciuitas cum omnibus Latinis et Italis.

IX. Primus L. Iulius Caesar (c), occiso iam vt videtur, collega P. Rutilio Lupo anno V. C. *IOCLXIII.*

(c) Non leuiter errat editor Ciceronis orationum Parisiensis nouissimus, qui hanc legem Iuliam latam putat a Sex. Iulio Caesare, Consule A. V. C. *DCLXII.* Multoque grauior error est Ant. Augustini, *de Leg. et Scr. pag. 120. T. 1. Thef. Ant. Rom.* qui Caesarem Dictatorem huius legis auctorem fingit. Sex. Iulio Caesari tribuere videtur Appianus *de Bello Civ. I, p. 379.* Sed cum

IOCLXIII. lata lege Iulia, ciuitatem sociis ac Latini nominis dedit, qui flagrante bello Italico in fide manserant. Appian. *Bell. Ciu. I. p. 379.* Cic. *pro Balbo XII.* Vell. Patern. II, 16. 17. Postea confecto tristi illo bello sociali, vel anno V. C. IOCLXV. Cn. Pompeio Strabone et L. Porcio Catone consulibus, vt patet ex Ascon. Paedian. *ad Orat. Cic. pro C. Cornel.* vel sequente anno IOCLXVI. L. Cornelio Sulla et Q. Pompeio Rufo Coss. (d) lata lege Plotia a M. Plautio Siluano et C. Papirio Carbone Tribunis plebis ciuitas communicata cum omnibus sociis Latini nominis, immo et peregrinis illis, qui federatis ciuitatibus adscripti fuissent, si tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent, et si sexaginta diebus apud Praetorem essent professi. Cicero *pro Archia Poëta VII.* Postremi arma posuerant Lucani et Samnites, sed et hos tamen ciuitate donari placuit A. V. C. IOCLXX. Flor. *Epit. Liu. LXXXIV.* ex quo loco etiam constat, nouis his ciuibus per vniuersam Italiam ius suffragii fuisse datum. Et initio quidem in octo nouas, id est, postremas tribus urbanas collecti fuerant; Vellei. II, 20. postea in veteres XXX.

communi-
cata legibus
Iulia et Plo-
tia.

S 3

post

cum Sex. Iulius Caesar anno V. C. DLXIII. cum L. Marcio Philippo, L. Iulius Caesar vero anno sequente cum P. Rutilio Lupo consulatum gesserit; vero similis est, huac legem tulisse, et quidem collega Rutilio iam occiso. Vnde simul patet, cur a solo Iulio lex nomen acceperit, nulla collegae facta mentione Vid. Schwarz. *de Iure Ital. §. III. Ez. Spanh. Orb. Rom. I, 1. 13. p. 30.*

(d) Minime vero subsequente Cinnae consulatu, vt tradit. Flor. *Epit. Liu. Lib. LXXX.*

post irritos P. Sulpicii, Tribuni plebis et C. Marii conatus translati sunt a C. Cinna consule. Appian. *de Bello ciu.* I. p. 380. Epit. Liu. XXX. Ex quo tempore aequo per omnia iure vsi sunt ciues Romani veteres et noui per vniuersum Latium et Italiam, adeo vt et ius petendi honores habuerint, (Cic. *pro Sulla VI. VII.*) et ius census, (Onuphr. Panu. *ad fast. consul. anno IOCLXVIII.*) ius sacrorum publicorum. Noris *Cenotaph. Pis. Diff. I. cap. 5. p. 72.* Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I. Cap. 10. p. 59. sequ.*

X. Paulo post et Gallis cisalpinis ciuitas data.

X. Italia tunc a supero mari Arimino et Ancona, seu Rubicone fluuio, ab inferiore Luca terminabatur: reliquum tractum ad Alpes vsque Galli Cisalpini et Veneti infederant. Galli porro in Cispadanos et Transpadanos diuidebantur. Priores ciuitate donati Cispadani, vt pote Italiae propiores. Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I. Cap. 11. p. 61.* Postea et Transpadani ciuitatis iura obtinuerunt vna cum Venetis. Nam cum antea Latii ius impetrassent a Pompeio Strabone: (Ascon. Paedian. *in Ciceron. Pison. p. 262.*) ipsum ciuitatis ius eis dedit C. Iulius Caesar anno V. C. IOCCVII. Dio Cass. *Hist. XLI. p. 118.* Vnde non mirum Galliam hanc Cisalpinam ab eo tempore TOGATAM dici coepisse. Tam pleno enim iure fuerant ciuitatis iura consecuti, vt et ad suffragia ferenda petendosque honores, non minus, ac reliqui ciues, admitterentur. Sueton. *Caes. IX.* Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I. Cap. 13. p. 76.*

XI. Ex-

XI. Extremis reipublicae temporibus non intra Alpes stetit datae ciuitatis Romanae beneficium: sed et cum multis aliis gentibus est communicatum. Exemplo esse possunt vniuersi Gauditani in vltiore Hispania, quos secundo consulatu ciuitate donauit Caesar. Dio Cass. *Hist.* *XLI. p. 164.* Idem pro lubitu deinde quasdam alias ciuitates Hispaniae hoc ingente beneficio ornauit, Dio Cass. *XLIII. p. 233.* Quemadmodum et medicis, aliisque ea iura concessit. Suet. *Caes.* *XLII.* immo et Siculis omnibus ciuitatem, inaudito exemplo, testamento legauerat, quod legatum lata lege confirmauit Antonius. Cic. *Epist. ad Fam.* *XIV, 12. Philipp. I, 24.* Verum tamen ea lex Antonii non valuisse videtur. Sane sub Augusto adhuc plerasque Siciliae ciuitates Latini iuris fuisse, discimus ex Plin. *Hist. Nat.* *III, 8.*

XII. Sub Imperatoribus multo magis prolatae sunt Romanae ciuitatis fines. Augustus, eundem teste Suetonio *Aug. XL. ciuitatem parcissime dedit, adfirmans, se facilius passurum fisco detrahi aliquid, quam ciuitatis Romanae vulgari honorem.* Idem leges haud paucas dedit, quibus aditus fordidis hominibus intercluderetur ac ciuitatem. Quales praecipue sunt lex Aelia Sentia, et Fusia Caninia, de quibus supra suo loco actum. Vid. Sueton. *Aug. XL.* Immo inter extrema mandata eius, Tiberio et S. P. Q. R. data etiam hoc erat, μήτ' αὖ ἐς τὴν πολιτείαν συχνῶς ἐσγράψωσιν, ἵνα πολὺ διάφορον αὐτοῖς πρὸς τὸ ὑπῆκοον ἦ. *Ne multos iure ciuitatis donarent, quo magnum inter ipsos et subiectos discrimen remaneret.*

XI. Vt et aliis quibusdam gentibus.

XII. Augustus parce ciuitatem, sed quibusdam tamen, dedit.

Dio Cass. LVI. p. 591. Quibusdam tamen Augustum iura ciuitatis dedisse, patet ex Suet. *Aug. XLVII*. Idque in primis etiam discimus ex eius numis, in quibus laudantur Hispaniae municipia, de quibus Io. Vaill. *de Col. num.* et Ez. Spanh. *Diss. de praest. numism. V. p. 768. et Orb. Rom. I, 2. 18. p. 47. sq.* Eadem liberalitate etiam Tiber. et Caius Caligula ciuitatem quibusdam dederunt, ceu ex numis et inscriptionibus idem docuit Ez. Spanh.

XIII, Libera-
tior ea in re
Claudius,

XIII. Claudius Imperator varie se gessit in concedenda negandaue ciuitate. Quosdam, ciuitatem Romanam vsurpantes, in campo Esquilino securi percussit. Suet. *Claud. XXV*. Idem tamen Latinis, naues mercaturae causa fabricantibus, ius Quiritium dedit. Suet. *ibid. XIX*. Vlpian. *Fragm. III, 1. et 6*. Quin non solum Galliae Comatae primoribus; sed et vniuersae Galliae Comatae, ius ferendi suffragia, petendique honores dedit. Qua de re Tacit. *Annal. XI, 24*. Senec. *de Benef. VI, 19*. Immo multis eum confertim iura ciuitatis ac sine discrimine dedisse, ac venalia prope illa eius libertos habuisse, testatur Dio Cass. *Lib. LX. p. 676*. Vnde lucem capit vox illa Tribuni militum *Act. XXII, 28. ἐγὼ πρὸς ἃ κεφαλὰς τὴν πολιτείαν ταύτην ἐκατησάμην*. Ego vero magno aere hanc ciuitatem comparavi, quam egregie illustrat Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I. Cap. 16. p. 94. sequ.*

XIV. Quibus-
dam Nero,
Galba, Otho,
Vitellius, et
Vespasiani

XIV. Nero, postquam in musicis et curulibus apud olympiam agonibus victor fuerat a iudicibus proclamatus, vniuersam Achaiam libertate, iudices ciuitate Romana, et pecunia grandi, dona-

donauit, quod beneficium etiam iis, qui pyrri-
 cham salutauerant, concessit. Suet. *Ner. XII.*
 Galba *ciuitatem Romanam raro dedit*, teste Suet.
Galb. VIII. dedit tamen Bargiagensibus, Lacco-
 brigenfibus, Deobrigenfibus et Talabrigenfibus,
 immo et Vefontinis et Clunienfibus, fi fides
 numis fub Gaiba cufis, in quibus haec oppida
 Hispaniae et Galliae MVNICIPIA dicuntur.
 Claud. Chifflet. *Vefont. I, 28.* Harduin. *Num.*
Vrb. p. 120. Vaillant. *de Colon. T. I. p. 105.* De
 Othone conftat, eum, praeter quasdam alias
 largitiones, Lingonibus vniuerfis ciuitatem Ro-
 manam dediffe. Tacit. *Hift. I, 78.* Vefpafianum
 Stobienfes (e) in Macedonia ciuitate donaffe,
 conftat ex numo apud Spanhern. *Diff. de num.*
prou. 676. et Plin. *Hift. Nat. IV, 10.* Sed et filii
 faepe ius ciuitatis veteranis, liberis, pofterisque
 eorum dederunt, vt patet ex marmoribus apud
 Gruter. *Inscr. p. DLXXIII, 2. p. DLXXIV, 5,*
6. et p. DLXXV, 1.

ciuitatem
 dederint?

XV. Hispaniae potiffimum Traianus fauit, XV. Traiani
 ipfe Hispanus. Vnde, in eius numis occurrunt
 et Hadriani
 in danda ci-
 uitate libe-
 ralitas.
 municipia Italica, Inlipenfe, Albense, Vrgaonen-
 fe. Quibus ex marmore apud Gruter. *Inscr. p.*
CLXII, 3. addendi Icaeditani, Lancienfes oppi-
 dani, Talori, Interamnienses, Colarni, Lancien-
 fes Transcudani, Araui, Meidubrigenfes, Ara-
 brigenfes, Banienses, Paefures, quos omnes a
 Traiano demum ciuitate donatos, non vana di-
 uinatione, coniiicit Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I,*
 S 5 Cap.

(e) Eos tamen fua aetate iuris Italici fuiſſe, tradit Vlp.
 L. 8. §. 8. D. de cenſib.

Cap. 18. p. 108. sequ. Idem Princeps singulis quibusdam subinde ciuitatis iura dedit, rogatu amicorum, vt patet ex Plin. *Epist. X, 22. 6. 107. 108.* Quin cum vicesimas hereditatum antea pendere cogentur noui ciues : eos hoc onere primum Nerua, deinde et Traianus liberauit. Quod Principis beneficium collaudat Plin. *Paneg. XXXVII.* Hadrianus, secutus Traianum, *Latium multis ciuitatibus dedit, tributa multis remisit*, vt loquitur Spartian. *Vit. Hadrian. XXI.* Ast datae ab eo ciuitatis in numis et lapidibus nulla vsquam fit mentio, nisi quod in marmore sub eo legantur MVNICIPES. MVNICIPI. T. AELI. HADRIANI. AVG. CIVILITANI. Grut. *Inscr. p. CCCLXII, 1.* Vnde Ciuilitanos ab eo ciuitate donatos, colligit Spanh. *ibid. p. 109.* Sunt equidem, qui Hadrianum auctorem putant celeberrimae illius constitutionis de ciuitate cum vniuerso orbe Romano communicata, *l. 17. D. de statu hom.*, quos in eum errorem induxit Chrysoftom. *ad Act. Apost. XXV. p. 875. Tomo IV, edit. Sauii.* Sed hos rationem fugere, paullo post clarissime apparebit.

An Hadrianus auctor constitutionis, qua ciuitas cum orbe Romano communicata?

XVI. An ea Constitutio tribuenda Antonino Imperatori?

XVI. Aequè fallitur Iustinianus Imperator, qui celebrem illam constitutionem Antonino Pio tribuit *Nou. LXXVIII, 5.* quamuis eum ante Spanhemium tantum non omnes caeca fide secuti sint (f). Ast quanquam amplificatum esse ab Antonio ciuium numerum, vel ex numo praec-

(f) Contrarium tamen ante Spanhemium obseruarunt Wesembec. *Paratit. ad tit. D. de statu hom. n. 5.* Petii. 3.

praecipue raritatis constat, in quo AMPLIATOR CIVIVM dicitur: discrimen tamen ciuium, Latinorum, Italicorum, prouincialium, etiam post Antonini Pii tempora superfuisse, cum ex aliis locis apparet, tum ex Inscriptione apud Gruter. p. ccccviii, i. ex qua simul discimus, Antoninum Carnis et Catalis propter aedilitatis gradum apud Tergestanos gestum, iura ciuitatis Romanae dedisse.

XVII. Non minus errant, qui cum Aurelio Vi- XVII. An
ctore *in vita Marci Cap. XL. M. Antoninum hu-* eam Mar-
ius constitutionis auctorem faciunt, in quam cus Imp.
sententiam etiam Casaub. *ad Spart. Hadr. XXI.* ediderit?
paullo videtur procliuior. Nam superfuisse sub
hoc principe inter ciues et peregrinos discrimen, patet ex celeberrima Lugdunensium Epistola apud Euseb. *Hist. Eccl. V, 1.* vbi aiunt ὅσοι μὲν ἔδοκον πολιτείαν ῥωμαίων ἐσχήμεναι, τῶτων ἀπέτεμνε τὰς κεφαλὰς, τὰς δὲ λοιπὰς ἐπέμπεον εἰς θηρία. *Quicumque Romani ciues reperti sunt, capite truncati, reliqui traditi bestiis.* Atqui scripserunt haec Lugdunenses extremis Marci Imperatoris annis: adeoque inde recte colligi videtur, M. Antoninum non sustulisse illud discrimen, quod inter ciues ac peregrinos intercessit. Illud tamen certissimum est, tam liberalem in dando ciuitatis iure fuisse M. Antoninum, vt Aristides Rhetor. *Orat. in Rom. pag. 372.* scribere non vereatur, ξενὸν δὲ εὐδένα, ὅσις ἀρχῆς ἢ πίσεως ἀξίος, nec peregrinum censeri quenquam, qui magistratu vel fide dignus

Attic. p. 136. Valel. in Not. ad Excerpta Dionis p. 108. Claud. Salmat. de modo vsur. cap. XIX. p. 854. sequ. Rupert. ad l. 2. D. de orig. iur. c. 1. p. 17. 18.

dignus sit, τὸ Ῥωμαῖον ἔ πόλεως, ἀλλὰ γένος ὄνομα κοινῆ τινος εἶναι, Romanum non urbis alicuius, sed communis cuiusdam generis nomen esse: et quae sunt huius generis alia. Ez. Spanh. Orb. Rom. II. Cap. 2. p. 119. sequ.

XVIII. An ea tribui possit Commodo, Pertinaci, Iuliano, Pescennio, Seuero?

XVIII. Non minus liberaliter iura ciuitatis Romanae plurimis dedisse videntur Commodus, Pertinax, Didius Iulianus, Pescennius Niger, Seuerus. Sed nec hos tamen discrimen illud sustulisse luculenter ostendit. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. II. Cap. 3. p. 129. sequ.*

XIX. Verus auctor est Caracalla?

XIX. Verus ergo famosae illius constitutionis auctor est Antoninus Caracalla, qui primus edixit, vt, *in orbe Romano qui essent, omnes ciues efficerentur. l. 17. D. de statu hom.* Occasionem datae huius legis docent *Excerpta Dionis Valesiana p. 745.* Iam pridem Augustus vicesimam hereditatum induxerat, locupletando aerario militari, quod vectigal ex hereditatibus dependebatur; de quo iam pridem luculenter egerunt Valesius ad illum Dionis locum. Salmas. *de modo usur.*

XIX. Petr. Burmanus *de Vectigal. populi Romani*

XI. et iam ante hos Iac. Cuiac. *Obseru. V, 16.*

XI, 24. Pendebant istud vectigal ex Augusti instituto heredes extranei, Romani ciues, qui hereditatem adibant, nisi vel pauperes essent hereditates, vel ipsi heredes agnationis iure ex lege

XII. Tabularum hereditates sortirentur. Dio Cass. LV, p. 565. Postea mitiores principes quibusdam cognatis vicesimae vacationem subinde dederunt. Plin. *Paneg. XXVII.* At Caracalla, eum largitionibus stupendis eluuiorem fisco

intu-

intulisset, duplicato illo onere, decimam loco viceſimae induxit, cuius decimae praeter Excerpta Dionis meminit etiam Vlpianus *apud Auctorem Collat. Leg. Mos. et Rom. XVI. fin.* Ut ergo vectigal istud a quamplurimis dependere-tur, omnibus qui in orbe Romano erant, ciuitatem dedit, *λόγω μὲν τιμῶν, ἔργω δὲ, ὅπως πλείω αὐτῷ καὶ ἐν τῷ τοιαύτῳ προσῆ, διὰ τὸ τὰς ξένους τὰ πολλὰ αὐτῶν μὴ συντελεῖν, specie quidem honorem eis tribuens, sed reuera vt fiscum suum auget: quippe cum peregrini pleraque horum vectigalium non penderent: vt ait Dio in Excerpt. Va-les. p. 745.* Ceterum quamuis successor Caracallae, Macrinus, decimam illam, ciuibus tam molestam, aboleret: ius tamen ciuitatis orbi Romano semel datum non ademit, vnde sensim exoleuit in orbe Romano antiquum illud inter ciues et peregrinos discrimen.

XX. Illud adhuc monendum, ad solos ingenuos pertinuisse Antonini Caracallae constitutionem, non ad libertinae conditionis homines. *Nou. LXXVIII, 5.* Vnde etiam post eam constitutionem saluum mansit discrimen inter libertinos ciues, Latinos Iunianos, et deditios, ceu ex Saluiani *aduersus auarit. libro III, 7.* animaduerterunt Iac. Cuiac. *Obseru. IV, 3.* et Ezech. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. II. Cap. 5. p. 147. seq.*

XXI. Exposuimus hactenus, duce eruditissimo Spanhemio, datae ciuitatis Romanae historiam, ostendimusque, ita paullatim gradum esse factum, vt ciuitas primum omnibus, qui Romae aut in agro Romano domicilium

XX. Consti-
tutio ea ad
ingenuos,
non item ad
libertinos
pertinuit.

XXI. Ast
cum his
quoque ci-
uitatem
communi-
cavit Iusti-
nianus.

cilium constituerent, deinde aliquot in Latio municipiis, tum toti Latio, mox vniuersae Italiae, aliquot porro extra Italiam vel priuatis, vel oppidis, vel prouinciis, et postremo omnibus in orbe Romano ingenuis daretur. Iustinianus tamen, vt fuit admodum liberalis, sublato illo libertinorum discrimine, *titulis C. de Lat. et dedit. lib. toll.* et Nouella LXXVIII, 2. 5. ad ipsos quoque libertinae conditionis homines hoc beneficium protulit, adeoque omnes in orbe Romano viuentes aequo iure agere voluit.

XXII. Iura ciuitatis sensim cepere incrementa.

XXII. Proximum est, vt ipsa iura ciuitatis paullo accuratius exponamus. Et de his quidem obseruandum, ea sensim magis magisque aucta fuisse atque amplificata. Iam sub regibus ciues gaudebant libertate, iure connubiorum, patrio, legitimi domini, testamenti, forsitan et nexus atque vsucapionis. Ius quoque iisdem erat suffragia ferendi in creandis magistratibus, ferendis legibus, bellis decernendis. Pulsis postea regibus, abdicatoque regibus imperio, paullatim prouocatio concessa ad populum: magistratus, connubia, sacerdotia cum plebe communicata: adeoque optimo iure ciues esse coeperunt Romani. Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. I. Cap. I. p. 4. 5.*

XXIII. Aliud fuit ius Quiritium, aliud ius ciuitatis.

XXIII. Duobus vero maxime summis capitibus constitit ciuitas Romana, quorum alterum IVS QVIRITIVM, alterum IVS CIVITATIS appellatum est. Quamuis enim haec promiscue nonnunquam ponant auctores veteres, veluti Vlpianus: *Fragm. III, 1.* et

ad d. de iur. i. c. l. l. l. Cap. II § 24.

ad d. de iur. i. c. l. l. l. Cap. III § 24.

et 4. attamen, qui accuratius loquuntur, haec cum cura distinguunt. Plinius, *Epist. X, 32. Ago gratias, Domine, quod et IVS QVIRITIVM libertis necessariae mihi feminae, et CIVITATEM ROMANAM Harpocrati, iatraliptae meo, sine mora indulxisti. Et Epist. X, 4. Quare rogo, des ei CIVITATEM ROMANAM: est enim peregrinae conditionis, manumissus a peregrina. Idem rogo des IVS QVIRITIVM libertis Antoniae Maximillae.* Manifesto hic distinguuntur *ius Quiritium* et *ciuitas Romana*, inter quae hoc interest, quod illud ad ea, quae iuris sunt priuati, pertinet; haec ea, quae iuris publici sunt, continet. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I. Cap. 9. p. 57.* Carol. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. I, 6. sequ. et de antiquo iure Ital. II, 3.* Quod cum non animadvertant viri quidam eruditissimi, in eum prolapsi sunt errorem, ut *ius Quiritium* in istis Plinii locis vel idem esse cum *iure Latii* existiment, vel illud cum ipsis *iuribus ciuitatis* confundant, a quo lapsu nec ipse V. C. Christophorus Cellarius sibi factis cauit in *Annotationibus suis ad Plinium.*

XXIV. Nonnulla, quae tum ad *ius Quiritium*, tum ad *ciuitatem Romanam* pertinent, summam his verbis complectitur Cicero *Orat. II. de Leg. Agrar. XIX. Retinete istam possessionem gratiae, libertatis, suffragiorum, dignitatis, vrbis, fori, ludorum, festorum dierum, ceterorum omnium commodorum.* Ast si accuratius singulas vtriusque iuris partes consideres: *ius ciuitatis* in *iure census, militiae, tributorum, vectigalium, suffragiorum, honorum et sacrorum, ius Quiritium* in *iure*

XXIV. Quae iura vtrumque complexum sit?

iure libertatis, gentis, connubiorum, patrio, legitimi domini, hereditatis atque usucapionis fuit situm. Car. Sig. *de ant. iur. Civ. Rom.* I, 13. Ez. Spanh. *Orb. Rom.* I, 1. 2. p. 4. De singulis nunc paullo distinctius agendum, ordiendumque a iure Quiritium.

XXV. Cives
Romani
erant liberi
a potestate
dominica.

XXV. Primo ergo omnes cives Romani erant **LIBERI**: eaque **LIBERTAS** eos non solum a dominorum potestate, sed et a tyrannorum imperio, magistratum potentia, libidine creditorum, civiumque potentia tutos praestabat (g). Nullus ergo civis Romanus servus fieri poterat, nec ingenuitatem aut libertatem amittere, nisi aut captiuitate, aut dolosa venditione, aut iis modis, de quibus supra *Lib. I. Tit. III. n. 5. sequ. et Tit. XVI. n. 3. sequ.* actum est: quamvis et in his plerumque fictionem quandam adhibitam esse, obseruat Ger. Nood. *Probab.* III, 12. p. 85. *Hoc enim iuris erat a maioribus proditum, ut nemo civis Romanus, aut LIBERTATEM, aut civitatem, posset amittere, nisi ipse auctor factus esset*: inquit Cic. *pro domo XXIX*. Sed de ingenuorum libertinorumque conditione
fatis

(g) Caue ergo confundas libertatem iuris gentium cum libertate iuris Quiritium, quae nulli competit nisi civibus Romanis. Cic. *pro Caecin.* XXXIII. *Qui enim potest iure Quiritium liber esse is, qui in numero Quiritium non est?* Hinc tribus omnibus moti libertatem dicebantur amittere, etiamsi haud fierent serui. Liu. *CLV.* 15. Immo hinc intelligenda *L. 5. §. 3. D. de extr. cognit.* ubi media capitis deminutione, et speciatim aquae ac ignis interdictione, etiam libertas amitti dicitur, quod de libertate iuris gentium falsum; de libertate iuris Quiritium verissimum est. Conf. Ger. Nood. *Obscrv.* II, 21. p. 469.

fatis superque suis locis dictum est, nihil ut hic addendum a nobis videatur, praeter id unicum, quod eadem libertas ciues immunes a verberibus tormentisque praestiterit. Cum enim seruilis ista poena videretur, non poterat maior ciui Romano iniuria fieri, quam si quis verberibus dirisque quaestionibus in eius corpus facuisset. Exemplum est apud Acon. Paedian. *in Cic. erat. Cornel. p. 1308.*

XXVI. Nec minus immunes erant ciues Romani ab impotente regum dominatione. Lege enim Tribunicia, lata a Iunio Bruto, Tribuno Celerum, ac paullo post primo Consule, fuerat cautum, ut nemo Romae regnaret, obstrictis simul iureiurando ciuibus, eos neminem passuros Romae regnare. Dionys. Halic. IV. p. 276. V. p. 277. Liu. I. *ult. II, 1.* Qua lege tribunicia, cum omni tyrannidi via occlusa esset: mirum profecto non est, gentem Iuniam praecipue de ea esse gloriatam, numisque suis caput Libertatis praetulisse, cum inscriptione LIBERTAS. Car. Patin. *Famil. Rom. p. 139.* Accessit postea eodem anno Lex Valeria, qua cautum, ut indicta causa interficeretur, qui regni occupandi iniisset consilia, idque impune ferret percussor, si indicia sceleris demonstrasset. Plutarch. *Vit. Poplic. p. 103.* Liu. II, 8. Pro his legibus dici non potest, quanta certamina per quingentos annos adierit populus Romanus, quamuis impedire haud potuerit, quo minus eae demum a L. Sulla, ac deinde a Iulio Caesare conuellerentur, ab Augusto vero eiusque successoribus penitus extinguerentur, siquidem hi, adspernati in speciem regium nomen, titulo Principum

XXVI. Liberi quoque a dominatu tyrannorum.

omnia magistratum legumque munia ad se traxerunt. Tacit. *Annal.* I, 1.

XXVII. Libe-
ri a licentia
magistra-
tuum.

XXVII. Eadem porro libertas ciues immunes praestabat a duriore magistratum imperio. Latae hanc in rem fuerant leges Valeriae a P. Valerio Poplicola consule, de quibus Liu. II, 8. *Latae deinde leges non solum, quae regni suspitione consulem absoluerunt, sed quae adeo in contrarium verterunt, ut popularem etiam facerent; inde cognomen factum Poplicolae est.* Paulo distinctius rem referunt Plutarch. *Vit. Poplic.* p. 102. sequ. et Dionys. Halic. V. p. 292. ex quibus constat, prima lege fuisse cautum, NE QVIS ROMAE MAGISTRATVM GERERET INIVSSV POPVLI: QVI SECVS FAXIT, EIVS CAPVT SACRVM ESSET: altera prouocationem concessam a magistratibus ad populum, neque permillum cuiquam, supplicio extremo, aut flagris, aut mulcta animaduertere in prouocantem, donec populus ea de re iuisset in suffragia. Posterior lex cum omnium minime placeret patriciis, quippe fundamenta, ἀριστοκρατίας, quam adfectabant, penitus subuertens, variis artibus aliquandiu elusa, atque hinc relatione non vna restituenda visa est. Retulerunt ergo eandem A. V. C. ccciv. L. Valerius Poplicola Potitus, et M. Horatius Barbatus Coss. teste Liuius III, 55. Retulit tertium alter M. Valerius Coruus anno V. C. cccclii. Qua de re idem Liuius X, 9. *Tertium ea lex tum post Reges exactos lata est, semper ab eadem familia. Causam renouandae saepius non aliam fuisse reor,*

reor, quam quod plus paucorum opes, quam libertas plebis poterant. Cum ne sic quidem consultum populo videretur, semper in contrarium nitentibus patribus: quartum de prouocatione populum rogauit M. Portius Laeca; qui etiam grauiore poena animaduertendum statuit in eos, qui ciuem Romanum vel verberassent vel necassent. Liu. X, 9. Cuius legis *Porciae* insigne monumentum exstat numus gentis Porciae, in quo vir paludatus, medius inter togatum prouocantem et lictorem virgas minantem, conspicitur, addita inscriptione: PROVOCO. Car. Patin. *de Famil. Rom.* p. 229. edit. Patin. Porciam legem, cum et ipsa vetustate obsoleuisset, denuo in usum reuocauit C. Sempronius Gracchus, ceu ex fragmento orationis Gracchanae apud Gellium *Noct. Attic.* X, 3. acute colligit Car. Sigonius *de antiquo iure ciu. Rom.* I, 6. Sed nec *leges sacratae* hic praetermittendae, latae anno V. C. CCLX. Sp. Cassio Viscellino et Postumo Cominio Aurunco II. Coss. cum plebs, pertaesa usurariae iniquitatis, in montem Sacrum secessisset. Pace enim facta hac lege, ut plebi sui essent magistratus, quibus auxiliatio aduersus consules esset, neue cui patrum capere eum magistratum liceret, Liu. II, 33. Brutus, primus tribunus plebis, leges tulit, primo ut ne parricida esset, qui eum, qui plebiscito sacer sit, occiderit. Dionys. Halic. VI. p. 410. deinde, ut tribuni plebis sacrosancti haberentur, eosque qui violarint, sacri essent. Id. *ibid.* Tertia lex iussit tribunos plebis non

nisi e plebe creari. Accessere duae aliae leges, ne de capite ciuis Romani nisi comitiis centuriatis, agi posset, neue priuilegia irrogarentur. Car. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. I, 6. p. 84.* Eaeque leges omnes dictae sunt *sacrae*, non modo quia ciues per omnia sacra iurarent, vtique se his legibus sempiternis vsuros, addita imprecatione, vt earum obseruatoribus superi et inferi essent propitii, transgressoribus vero contraria omnia acciderent: Dionys. Hal. VI. *p. 410.* verum etiam, quod loco poenae adiectum esset, eos, qui secus fecissent, cum pecunia familiaque Deo alicui sacros futuros (b). Fest. voce *Sacrae*. Omnes enim leges huiusmodi sanctione poenali munitas, SACRATAS dici consueuisse, obseruat Iac. Perizon. *Ani. ad. Hist. p. 418. sequ.*

XXVIII. Remedia aduersus magistratum insolentiam.

XXVIII. Hisce legibus satis tuti erant ciues Romani ab omni magistratum tyrannide. Primo enim, si quid contra leges auderent magistratus, maximum cuique remedium erat in prouocatione ad populum. Deinde de capite ciuis Romani non nisi vniversus populus in comitiis centuriatis iudicabat, et tunc faci-

(b) De hac poesta Dionys. Halic. II. pag 84. Ἐθος γὰρ Ῥωμαίοις, ὅσους ἐβέβλωντο νηποινί τεθναναί, τὰ τέτων σώματα θεῶν ὅτε ὠδή τινι, μάλιστα δὲ τοῖς κατὰ χθονί οἰς, κατονομάζουσιν. Mos erat Romanis, quos vellet impune occidi, eorum corpora deuouere Deo cuiquam, praecipue Diis inferis. Festus voce *sacrae*: Homo sacer is est, quem populus iudicauit ob maleficium, neque fas est cum immolari: sed qui occidit, parricidii non damnatur: Ex quo quiuis homo malus atque improbus sacer appellari solet. De hoc supplicio quaedam habet Racaerd. ad XII. Tab. Cap. IV. pag. 22.

facile erat, vel innocentibus se a calumniatorum artibus defendere, vel poenam meritis promissa barba, lacrymis, cultuque tristiore populum ad misericordiam flectere, eoque modo effugere periculum. Denique nulli magistratui licebat, ciuem Romanum vel verberibus, vel supplicio adficere. Inmanissimas etiam eorum sententias vox illa quiritantium compeſcebat: CIVIS ROMANVS SVM. Saepe eo respicit Cicero in orat. adu. Verrem. V, 54. *Plagis confectum, dico, a lictoribus tuis ciuem Romanum ante oculos tuos concidiſſe. Ob quam cauſam? Dii immortales, tamen ſi iniuriam facio communi cauſae et IVRI CIVITATIS. Quasi enim poſſit eſſe vlla cauſa, cur hoc cuiquam ciui Romano iure accidat.* Et eadem Oratione V, 57. *Cervices in carcere frangebantur indigniſſime ciuium Romanorum, vt etiam illa comploratio: CIVIS ROMANVS SVM, quae ſaepe multis in vltimis terris opem inter barbaros et ſalutem tulit, ea mortem iis acerbioſiorem, et ſupplicium maturius, ferret.* Plura eius generis exſtant ap. Cic. Verr. V, 62. ſq. Nec ignota ſunt exempla Pauli Ap. Act. XXII, 24. et martyrum Galliac ap. Epiſ. Hiſt. Eccleſ. V, 1. qui ſe illa voce CIVIS ROMANVS SVM. a virgarum ignominia, vel ab extremo ſupplicio eripuerunt.

XXIX. Sed non ſolum in legibus Romanis ciuibus maximum praefidium erat poſitum aduerſus magistratum inſolentiam: verum etiam in tribunicia poteſtate. Si quis enim eorum libertatem violare non vereretur: tribunos plebis appellabant, qui iſtis omnem ferebant

XXIX. Tribunorum plebis auxilium.

bant opem, neque patiebantur, cui cuiquam fieri ullam iniuriam. Plena eiusmodi exemplorum est Romana historia, et quamuis negari haud possit, ista potestate non semel abusos esse tribunos plebis; Saepè tamen etiam insignia iustitiae atque aequitatis specimina edebant, qualia sunt quae Valer. Max. *Lib. VI. cap. V.* refert quamplurima.

XXX. Libertas civium Rom. a faevitia creditorum,

XXX. Porro et aduersus creditorum faevitiam tuti erant ciues Romani. Immanis erat lex XII. Tabularum, quae ciues Romanos obaeratos creditoribus addicebat, a quibus et vinciri, et eorum corpus, id est, bona secari, et in partes diuidi poterant (i), Gell. *Noct. Attic. XX, 1.* Et quamuis serui haud fierent hunc in modum addicti et nexi: in seruitute tamen erant, feruisque ipsis tractabantur durius. Ast contra hanc immanitatem auxilio ciuibus fuit lex Poetelia, qua cautum est, anno V. C. ccccxxvii. C. Poetelio L. Papirio Coss. *ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, in compedibus, aut in neruo teneretur; pecuniae creditae bona debitoris, non corpus, obnoxium esset.* Liq. VIII, 28. Varro *de Lingua Lat. VI, 5. p. 58.* Succesit ergo ex eo tempore in addictionis illius locum possessio et venditio bonorum, de qua nos alibi ex instituto egimus. Qua de re Tertullianus *Apol. IV. Sed et iudicatos in partes secari a creditoribus, leges erant: consensu tamen publico crudelitas postea erasa est, et in pudoris notam capitis poena conuersa est,* BONORVM
adbi

(i) Dicemus ea de re infra *Lib. III. Tit. XXX. §. IV.*

adhibita PROSCRIPTIONE, *suffundere maluit hominis sanguinem, quam effundere.* Quin accessit demum beneficium cessionis bonorum ex lege Iulia, de quo plura iureconsulti, et nos infra *Lib. III. Tit. XXX. §. VIII.*

XXXI. Postremo et hoc ad libertatem civium quam maxime pertinebat, quod libere, ut vellent, darent suffragia. Quamvis haec libertas magis ad ius publicum videatur referenda. Id eis attulere leges tabellariae, seu de tabellis, quas Cicero ideo *Agrar. II, 2. vindices tacitae libertatis in Cornel. I. p. 331. principium iustae libertatis* appellat. Cum enim antea viua voce in comitiis suffragia ferrentur, idque nonnunquam cum periculo videretur coniunctum: primus A. Gabinius Trib. pleb. A. V. C. DCXIII. lege cauit, ut populus non voce, sed tabella, suffragium ferret, ne quis inspiceret tabellam, ne rogaret, ne appellaret. Cic. *de leg. III, 16.* Successit biennio post altera lex tabellaria, lata a L. Cassio, Tribuno plebis, M. Aemilio Lepido Porcino, et C. Hosulio Mancino Coss. ut et iudices et populus sententias non voce dicerent, sed tabellis ferrent, excepto iudicio perduellionis. Cic. *de Amicit. XII. de Leg. III. 16.* Ascon. Paedian. *in Cornelianam. p. 133. et Verrianam. II. p. 1820.* Cuius legis insigne monumentum est numus gentis Cassiae, in quo cuius occurrit, tabellam litera A. notatam cistae immittens, cum lemmate LONGINVS III. V. et Fulu. Vrsin. *de Famil. Rom. p. 67.* Eodem pertinuit tertia lex Papiria, lata a C. Papirio Carbone

XXXI. Libertas suffragandi data per leges tabellarias.

ne, tribuno pleb. A. V. C. Iocxxi. P. Popillio Laenate et P. Rupilio Nepote Coss. qua cautum denovo, vt in iubendis legibus vetandisque populus tabella suffragia ferret. Cic. *de Leg. III, 16*. Successit quarta anno V. C. Iocxxx. a Coelio Caldo Tribuno plebis lata, vt etiam in perduellionis iudicio, quod Cassia lege exceptum erat, populus non voce, sed tabella, sententiam ferret. Cic. *de Leg. III, 16*. Quam ipsam quoque legem egregie illustrat Numus apud Patin. *de Famil. Rom. p. 79*. quo praeter alia literae L. D. in tabella conspiciuntur. Significant illae LIBERO, DAMNO. Haec enim verba loco Cassianorum ABSOLVO, CONDEMNO in crimine perduellionis adhibita esse discimus ex Caesare *de Bello ciuili III, 83*. ex quo loco patet, tertiam quoque tunc adhibitam esse tabellam, quam imponebant urnae, qui pecunia mulctandum reum iudicabant. Quae omnia eo pertinebant, vt tanta maiore cum libertate suum quisque ferret suffragium. Vnde denovo Cicero *pro Planc. VI. Populo grata est TABELLA, quae frontes aperit hominum, mentes tegit, datque eam libertatem, vt, quod velint, faciunt, promittant autem, quod rogantur.*

XXXII. Ius gentilitatis.

XXXII. Sequitur alterum, quod ad iura Quiritium pertinuit, IVS GENTILITATIS. Dimiserat Romulus ciues in duas gentes, quarum vnam *patres*, alteram *plebem*, nominauit. Illos ex iis allegerat, qui in ciuitate genere, virtute, atque opibus antecellebant; plebis nomine reliquos omnes appellauerat. Quemadmodum vero e plebe *plebei*: ita ex patribus *patricii* nasceban.

ſcebantur. Utrosque inter ſe deuinxerat inſtituto iure, illo patronatus, de quo ſupra plura diximus. Ad iura utriusque gentis quod attinet: de illis præcipue obſeruandum, quod plebis iura quiſque cum ipſa ciuitate impetrarit; patricius autem, niſi lege ad populum lata, nemo fieri potuerit. Bis patricos legit Romulus, ſemel ex Albanis, ac deinde ex Sabinis. Dionyſ. Hal. *Ant. Rom. II. p. 111.* Eundem morem poſtea ſecuti ceteri reges, qui ſubinde ex gentibus deuictis, ac in ciuitatem receptis, patriciorum numerum ſuppleuerunt. Idem *Ant. Rom. III. p. 199. et IV. p. 280.* Suet. *Aug. II.* Libera republica L. Iunius Brutus, primus Coſs. patricos legit. Liu. II, 2. Sexennio poſt Appius Claudius e Sabinis Romam commigrans, lege conſulari, patricius factus eſt. Dionyſ. Halic. V, p. 308. Liu. IV, 3. et X, 8. Poſtremo C. Iulius Caſar lege Caſſia, et Auguſtus lege Saenia (k), ac denique Claudius Imp. patricos, iam

T 5

magna

(k) Sed quaenam illa lex Saenia? In priore editione de Sentia ſuſpicatus ſum. Sed errorem ademit Lipſ. ad Tacit. p. 285. Obſeruat ille ex Dione, Auguſtum patricos ſuppleuiſſe τῆς βελῆς επιτρεψάσης τῶ το ποιήσας, iubente Senatu, et quidem anno V. C. Icccxxv. Atqui conſul ſuffectus in fallis apparet L. SAENIVS. Nam in fragmento veterum falſtorum apud Grut. pag. ccxcix, ita legimus:

IMP. CAES. III. M. LICINIUS. K. IVL. C.

ANTISTIVS. BELLVM. ALEXANDR.

EID. SEPT. M. TVLLIVS. K. NOV. L.

SAENIVS.

Quis ergo dubitarit, ab eo S^Ctum tuliſſe nomen? Tacitus ergo pro S^Cto legem Saeniam dixit.

magna ex parte extinctos, suppleuerunt. Tacit. *Annal.* XI, 25. Suet. *Iul.* XLI. Ceterum ad gentilitatis iura pertinebat, quod soli patricii auspicia ex instituto Romuli haberent. Liu. VI, 42. Id quod tamen de auium duntaxat inspectione et tripudio, intelligendum, siquidem de coelo seruare etiam plebeiis licebat. Cic. *in Vatin.* cap. VII. Cum enim, fatente Cic. *de Diuin.* II, 36. hanc auium reliquorumque signorum obseruationem, retinerent Romani *tantum ad opinionem vulgi, et ad magnas utilitates reipublicae*, id est, ad plebem deludendam, continendamque in officio: periculosum videbatur, plebeios ad haec mysteria admittere, quibus ius magistratus et sacerdotia capiendi erat ademptum. Nimirum et hoc iure ex instituto Romuli gaudebant patres, vt soli Senatium, sacerdotia, magistratus, iudicia ac totam denique remp. tenerent. Sed paullo post ea omnia pauulatim cum plebe communicata sunt, nisi quod interreges, flamines Diales, Martialis et Quirinalis, Rex sacrificulus, et Salii, ad extrema vsque reipublicae tempora ex patriciis lecti sunt: quemadmodum et comitia tributa, tribunicia potestas (1) et Aedilitas plebeia perpetuo in possessione plebis permanferunt. Reliqua, quae hac de re dici possent, a Carolo Sigonio explicata sunt *Libro I. de Ant. iure ciu. Rom. Cap. VII.*

id. de felch. antiq. 869.

XXXIII.

(1) Semel tamen duos patricios inter tribunos fuisse, refert Liu. III, 65.

XXXIII. Pars haud postrema iuris Quiritium fuit IVS CONNUBIORVM, de quo cum titulo de nuptiis vberius actum sit, iam pauca quaedam addemus. Romani ea in re ab institutis plerarumque gentium discesserunt, quod ne iis quidem, qui eiusdem ciuitatis erant, connubii ius promiscue darent. Praeterquam enim, quod lege XII. Tabularum vetita essent inter patricos et plebeios connubia: Dionys. Halic. X. p. 674. Liu. IV, 4. etiam, sublata illa lege, saepe inter ipsos vicinarum regionum, aut eorum, qui sub eodem gentis nomine vulgo continebantur, populorum ciues prohibita sunt connubia. Sic inter Latinos connubia commerciaque nulla esse patiebantur Romani. Liu. VIII, 14. Idem de tribus Heremicorum populis patet ex eodem Liuius IX, 43. Deuicta Macedonia, et in quatuor regiones diuisa, id etiam edixerant decem legati, *neque connubium, neque commercium agrorum aedificiorumque, inter se placere cuiquam extra fines regionis suae esse.* Liu. XLV, 29. Quod callido consilio inuenerant Romani, ne mutuis adfinitatibus et commerciis iuncti inter se, ac colligati, eo promptius aduersus rempublicam consociarentur. Immo ne cum omnibus quidem ciuibus Romanis connubii ius erat ciuibus. Libertinas, quamuis ciues, duci olim haud potuisse ab ingenuis ciuibus, patet exemplo Hispaliae Fecenniae, cui haec potestas S. C. Ti. data est. Liu. XXXVIII, 6. Sic et Campani, qui pridem ciuitatis iura fuerant consecuti, postea demum impetrarunt, *ut sibi CIVES Romanas ducere uxores lice-*

XXXIII. Ius
connubio-
rum inter
solos ciues,
nec omnes
tamen pro-
miscue fuit.

liceret, et, si qui prius duxissent, ut habere eas, et ante eam diem nati iusti sibi liberi heredesque essent. Liu. XXXVIII, 36. Qua de re plura differit Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. II. Cap. 22. p. 357.*

XXXIV. Cum peregrinis et barbaris nullum connubium.

XXXIV. Cum itaque ne inter omnes quidem eiusdem ciuitatis ius connubii esset: multo magis cum aliis, ciuitatis Romanae exsorbibus, connubia erant interdicta. Vnde Seneca de *Benef. IV, 35. Permissi tibi filiam in matrimonium, postea peregrinus apparuisti: non est mihi cum externo connubium.* Solebat tamen etiam peregrinis primum a populo; postea a Senatu ac demum a principe concedi ius connubii, per modum lege solutionis vel priuilegii. Qua de re fusius diximus in *Comm. ad L. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap. XVIII. p. 321. sequ.* Adde supra *Libro I. Tit. X. n. 15.* Si quis vero, non impetrato illo beneficio, peregrinam duxisset: nati ex eiusmodi nuptiis liberi, tanquam hybridae, ac nouum genus hominum, habebantur, neque multo melioris, quam serui, erant conditionis, ceu patet exemplo militum Romanorum, qui Hispanas mulieres duxerant, apud Liu. XLIII, 3. Ex quo vero cum omnibus in orbe Romano ciuitas fuerat a Caracalla communicata: promiscua quidem inter eos esse coeperunt connubia, sed prohibita tamen matrimonia cum barbaris. *l. vn. C. Theod. de nupt. gentil. Lib. III. Tit. 14.* Quam tamen Valentiniani Senioris legem non diu valuisse, multis exemplis docent Iac. Gothofredus in *Commentario ad illam legem, p. 306. Tom. I.* et, qui plura addidit, Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. II. Cap. 22. p. 368. sequ.*

XXXV.

XXXV. Aliaquaedam de prohibitis inter ci-
 ues nuptiis statuit Augustus lege Papia Poppaea,
 cuius primo capite prohibitaee nuptiae inter
 senatorem eiusue filios nepotesue et libertinas,
 lenas, a lenone manumissas, easque, quae ar-
 tem ludricam exercuissent, vel filias eorum,
 qui eiusmodi artem fecissent. *l. 44. pr. D. de
 rit. nupt.* Dio. Cass. *LIV. p. 531.* Cum enim
 iam M. Antonio hoc vitio datum fuerit, quod
 libertini factus esset gener: Cic. *Philipp. II, 2.*
 multo minus dignum videbatur seculi Augu-
 staei felicitate, senatorium sanguinem ipsa-
 rum libertinarum, lenarum, ac meretricum
 commixtione contaminari. Scenicas vero vxo-
 res, praeter artis infamiam, etiam id indignas
 senatoriis nuptiis reddebat (*m*), quod plerae-
 que

XXXV. Lex
 Papia Pop-
 paeade con-
 nubio Sena-
 torum cum
 libertinis.

(*m*) Eam legem latius interpretatus D. Marcus, nu-
 ptias Senatorum, cum feminis eiusmodi non solum
 iniustas, verum etiam irritas, esse iussit, cuius S^Cti
 mentio fit *l. 16. D. de sponsal.* Et hinc inter Senato-
 rem et eiusmodi personas nuptiae esse negantur. *l.*
42. §. 1. D. de ritu nupt. adeo, vt hac ne quidem vxo-
 res fiant. *l. 34. §. 3. eod.* sed statim sint dimittendae,
l. 34 §. 10, D. eod. Quae omnia ex hoc S^Cto esse,
 satis constat. Postea Constantinus M. hanc legem
 non solum a senatoribus, sed et ab aliis viris perfe-
 ctissimis seruari voluit. *l. 1. C. de natur. lib.* (Falso
 enim in textu legitur *senatores*, seu PRAEFECTI pro
 PERFECTI.) Quam legem per omnia firmavit
 Marcianus Imp. *l. 7. C. de incest, et inutil. nupt.*
Nou. Marcian. post. Cod. Th. Tit IV. Ast sublata
 demum illa est per *l. 23. C. de nupt.* non a Iustiano
 quidem, vt inscriptio prae se fert, sed a Iustino,
 quem Iustinianus, tum adhuc Nobilissimus Caesar,
 ad edendam istam constitutionem iuduxerat, quia ipse
 cum

que simul turpissimis se libidinibus in ipsa scena prostituerent, quemadmodum ex Plauti *prologo Casin.* Ostendit Lipsius *Elect.* I, 11. Rem omnem accuratius exposuimus in *Comment. ad L. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. Cap. I.*

XXXVI. Libertinas ducere olim non licuit: at permittit lex Papia Poppaea.

XXXVI. Ad reliquos quod attinet ingenuos, licebat iis libertinas uxores ducere per legem Papiam Poppaeam. *l. 22. D. de ritu nupt. l. 15. C. de nupt.* Quod ideo receptum, quia tum maior erat libertinarum, quam ingenuarum, copia. Dio Cass. *Hist. LIV. p. 531.* Quo fit, ut et vetera marmora saepe meminerint coniugii civium cum libertibus, Reines. *Inscr. p. ICCCCLIX, 131.*

D. M.

C. SALVIVS. RESTITVTVS. FE-
CIT. SIBI. ET.

SALVIAE. NYMPHIDIAE.

LIBERTAE. SVAE. ET. CONIVGI.

OPTIMAE. B. M. DE. SE. ET.

NICERO. L. L. Q. S. P. Q. S.

Et alibi p. ICCCCLX.

D. M.

SEPTIMIAE.

TYCHAE. QVAE.

VIXIT.

cum Theodora, muliere scenica, et parum integræ famæ, nuptias adfectabat. Procop. *Anecd.* pag. 45. et ibi Nic. Alamannus. Ipse Iustinianus paullo post ea de re aliquoties tum ad SS. Episcopos, tum ad magistratus, rescripsit. I, 33. *C. de episc. audient. Nouill. LXXXIX, 15. CXVII, 6. LXXVIII, 3. LI.* Vid. Nic. Alamann. *Not. ad Procbp. Anecd.* 41. et *Comment. nostr.* ad *L. Iul. et Pap. Lib. II. Cap. II.*

VIXIT. ANNIS.
XXXVI. SEPTI
MIVS. IVLIA
NVS. CONIV
GI. ET. LIBERT.
KARISSIMAE.

Adde *p.* IOCCCLXXII. Grut. *Inscr.* *p.* DLXVII, 8. DCCCCXXX *p.* 4. DCCCCXL, 3. DCCCCLVII, 7. in quibus saepe laudantur LIBERTAE ET CONIVGES. OPTIMAE. BENEQVE. MERENTES. KARISSIMAE. FIDELISSIMAE. DVL CISSIMAE. AMANTISSIMAE. INCOMPARABILES. Prohibitae tamen manserunt nuptiae inter libertum et patronam, patroniue vxorem, vel filiam, quas adfectantes liberti et damnatione ad metalla puniebantur, nisi patrona esset vilioris conditionis *l.* 13. *D. de rit. nupt.* Paull. *Recept. Sent.* 11, 19, 7. Et hinc rarissimi exempli est, inscriptio apud Fabretum pag. CCLXXXIX: IVNIAE. FESTIVAE. PATRONAE. ET. VXORI. KARISS. C. IVNIVS. MERCVRIVS. Cui tamen similes deprehendisse mihi videor apud Gruter. *Inscr.* *p.* DLXXXII, 4. et Reines. *Inscr. Class.* XII, 24. Sed quamvis lex Papia permitteret, vt libertinae ducerentur vxores: non poterant tamen duci LENAЕ, A LENONE LENA VE MANVMISSAE, AVT IN ADVLTERIO DEPREHENSAE, QVAEVE ARTEM LVDICRAM FACERENT, FECISSENT. *l.* 43. *D. de rit. nupt.*

XXXVII. An eadem lex Papia prohibuerit nuptias sexagenariorum et quinquagenariorum?

XXXVII. Plerique existimant, eadem lege Papia Poppaea prohibitas nuptias sexagenariorum masculorum et quinquagenariorum feminarum, idque colligunt ex fragmento Senecae apud Lactant. *Inst. Divin. I, 16.* Vlpian. *Fragm. XVI, 1.* et *l. 27. C. de nupt.* Quibus auctoritatibus commotus Iac. Gothofredus hoc caput legis Papiae Poppaeae commentus est: SEXAGENARIO MASCULO, QVINQVAGENARIAE FEMINAE NVPTIAS CONTRAHERE IVS NE ESTO. Iac. Gothofr. *ad leg. Pap. Popp. II.* Sed luculenter euicit V. C. Iac. Perizonius *Diff. ad Leg. Vocon. p. 153. sequ.* caput illud de sexagenariis et quinquagenariis non esse ex lege Papia Poppaea, sed ex SCto quodam, facto temporibus Tiberii. Res patet ex luculento loco Suet. *Claud. XXIII. Capiti Papiae Poppaeae legis, a Tiberio Caesare, quasi sexagenarii generare non possent, addito, obrogauit.* Mira quidem in turbando hoc Suetonii loco est criticorum solertia (n): sed constanter hanc lectionem prae se ferunt meliores codices, nec ipse sensus ullam postulat emendationem. Optimus Suetonii interpres est Vlpianus *Fragm. XVI, 3.* vbi iureconsultus

(n) Cuiacius et Torrentius plane eiiciunt Tiberium et locum ita refingunt: *Capiti Papiae Poppaeae legis, quasi sexagenarii generare non possent, edicto obrogauit.* Fulmannus pro edicto habet edito Iac. Gothofredus *Nat. ad L. Pap. Popp.* reliqua admittit, sed pro edicto legi iubet aduero. Ast nullam harum emendationum vel textus admittit, vel accuratioribus Codices, qui teste Casaubono praeferunt: *addito obrogauit* vel quantum pretii locus Vlpiani, vt in sequentibus apparebit.

consultus: *Qui, inquit, intra sexagesimum, vel, quae intra quinquagesimum annum, neutri legi paruerit, licet ipsis LEGIBVS post hanc aetatem liberatus esset, perpetuis tamen poenis tenebitur ex* SCTO PERNICIANO. *Sed* CLAVDIANO SENATVSCONSVLTO maior sexagenario, si minorem quinquagenaria duxerit, perinde habebitur, ac si minor sexaginta annorum duxisset uxorem. Et paucis interiectis: *Quod si maior quinquagenaria minori sexagenario nupserit: impar matrimonium appellatur, et* SCT. CALVITIANO cauetur, non proficere ad capiendas hereditates et legatas dotes. Itaque mortui muliere dos caduca erit. Ex his ergo locis egregia lux adfunditur Suetonio. Discimus enim inde I. quid in lege Papia Poppaea de sexagenariis et quinquagenariis fuerit cautum, videlicet, sexagenarios masculos et quinquagenarias mulieres, ob aetatem a poenis legis liberos liberassue fore. Discimus II. quid *addiderit* huic capiti Tiberius. Cum enim animaduertisset, multos ad hanc aetatem peruenire, qui legi nunquam antea paruisent: statuit, vt sexagenariorum et quinquagenariarum nuptiae non quidem essent irritae, sed nihil tamen ad effugiendas caelibatus poenas proficerent. Id quod fancitum est SCT. PERNICIANO, vel, vt Cl. Perizonius p. 156. mauult, PERSICIANO, ita dicto a Paulo Fabio Persico, qui tertio ante excessum Tiberii anno Consul fuit cum L. Vitellio (o). Discimus III.

qua

(o) Ille sane Fabius plerumque *Persicus* non addito nomine
Pars I. mine

qua in re CLAVDIVS Tiberii legi obrogauerit. Perpetuis enim poenis illis exemit sexagenarios, dummodo quinquagenariis duxissent minores, quandoquidem ex eiusmodi matrimonio proles adhuc sperari poterat. Denique et hoc IV. inde discimus, postremo accessisse Sctum CALVITIANVM, vel, vt Perizonius mauult, CALVISIANVM (p), quo cautum, vt quod seni masculo, ducenti iuuenulam, dedisset Sctum Claudianum, non item valeret de nuptiis vetulae cum viro iuvene, quippe nullam spem prolis facturis. Sed et haec iura vna litura deleuit Iustinianus l. 27. C. de nupt. Vid. Comment. nostr. ad L. Iul. et Pap. Lib. II. Cap. III.

XXXVIII.
Concubina-
tus origo.

XXXVIII. Si quas personas vxores ducere haud possent ciues Romani: eas tamen CONCVBINAS habere poterant. l. 1. §. 2. D. de concubin. Concubinatus enim per leges nomen adsumserat, l. 3. §. 1. eod. νόμος ἐγένετο, pro lege habebatur, teste Clem. Alex. Paedag. III, 3. Illum οἱ σοφοὶ τῶν νόμων ἐπιτρέπουσιν, sapientes leges permittunt, Id. ibid. Leges nimirum Iulia et Pavia Poppaea, quas κατ' ἐξοχὴν νόμους vel leges esse dictas iam Lipsius Excess. ad Tacit. Ann. III. lit.

mine gentili appellatur. Vid. Seneca. de Benef. II, 21. et lapis apud Gruter. Inscr. p. 1000. NON. MAGIS. POENITENDI. SVNT. SENATORES. QVAM. POENITET. PERSICVM. NOB. VIRVM. AMICVM. MEVM, INTER. IMAGINES. MAIORVM. ALLOBROGICI. NOMEN. LEGERE.

(p) Nullus in fastis post Claudii tempora occurrit Caluitius: at sub Nerone et sequentibus Imperatoribus multi laudantur Caluiffii.

lit. C. obseruauit. Ante celeberrimam sane illam legem *concupina* et *pellex* pari passu ambulabant, nec altera altera erat honestior: post illam autem *pellex* erat, quae cum aliquo, cui vxor erat, corpus miscebat, quae autem, cum aliquo, cui vxor non esset, viuebat, ea honestiore nomine vocabatur *amica* vel *concupina*, *l. 144. D. de V. S. conuictrix*, Grut. p. DCCXCV, 8. *γλυκυτάτη σύμβιος*, Id. p. DCCLXXX, 9. *vxor gratuita*, id est, quae per coëmtionem haud conuenerat in manum, Idem p. DCCC, 21. *sodalitiaria*, Grut. p. DCII, 5. *amica*, cum qua quis sine mendatio viuebat, *l. 35 D. de aur. arg. mund. leg.* Hinc honestum ex eo tempore erat concubinae nomen, *l. 144. D. de V. S. licita* cum ea consuetudo, *l. 5. C. ad Sct. Orphit.* adeo vt ab vxore solo delectu et animi destinatione, Paull. *Rec. Sent. II, 20. 2.* et dignitate differret, *l. 49. §. 4. D. de legat. 3.* Immo vxoris loco haberetur. *l. 144. de V. S.* tamen haec coniunctio dici non poterat *legitima*, quia lex concubinas habere permittebat, non tamen initam cum iis consuetudinem eadem effecta habere patiebatur, quae tribuit matrimonio. Id quod contra Cuiacium recte docuit Em. Merrill. *Obs. III, 15.* et *Variant. Cuiac. I, 34.*

XXXIX. In concubinatu vero esse poterat, quaecunque non poterat esse vxor, vel inquam stuprum non committebatur. *l. 1. §. 1. D. de concub.* Quod tamen recte intelligendum. Non enim quas honestas, et ius illud, quod impressum mentibus nostris circumferimus, a to-

XXXIX.

Quae concubinae esse potuerint?

ro virorum arcebat, cum iis concubinatum inire licebat, vti sibi persuasit Cuiacius *Obs. V, 6.* sed cum illis tantum, quae per leges mere ciuiles vxores esse non poterant. Hinc fas erat ingenuo concubinam habere, iudicio publico damnatam, *l. 1. §. 2. D. de concub.* mulierem quaestuariam, *l. 16. D. de his quae vt indign.* obscuro loco natam, *l. 3. pr. D. de concub.* ancillam, *l. 38. pr. D. de reb. auct. iud. poss.* mulierem prouincialem, in qua quis officium administrabat, *l. 5. D. de conc.* etiam senem, et cuiuscunque aetatis, modo posset virilis patientiae legem accipere. *l. 1. §. 4. eod.* At non poterat quis in concubinato habere feminam quamcunque, si haberet iustam vxorem. Paull. *Rec. Sent. II, 20. 1. l. vlt. §. 2. de diuort.* Multo minus plures simul concubinas habere licebat, quia semper infamis Romanis videbatur vita, *inter stupra concubinarum, et oscula vel mollia concubinarum et spadonum agmina,* transacta, qualem in Sophonio Tigellino et Fabio Valente reprehendit Tacit. *Hist. I, 72. III, 20.* in Commodio Imperatore Ael. Spartian. *Vid. Comm. Cap. V.* Et Iustinianus mulieres, quae vni viro corpora praebent, eodem tempore, non *concubinas*, sed *πορνευσόμενας* dicendas, indignasque concubinarum iuribus iudicat. *Nou. XVIII. cap. 5.* Minime omnium inter eas personas honestus erat concubinatus, quas sanguinis propinquitas vel adfinitas a matrimonio arcebat, vt passim docet Vlpianus *l. 1. §. 3. D. de concub. l. 56. D. de R. N.*

XL. Sed adiecimus tamen, ne tunc quidem locum concubinatui fuisse, si femina esset talis, ut in eam stuprum committeretur. Stuprum vero committitur in virginem vel viduam ingenuam, vitaeque integram: *l. 14. D. ad L. Iul. de adult.* non autem in obscuro loco natam, ludionis, lenonis, arenarii filiam, vel quae quaestum corpore fecerat. *l. 3. pr. D. de concub.* Vnde et Ouidio *de arte amandi I. v. 30.* amplexus huiusmodi muliercularum sunt *Venus tuta et concessa furta*, quia qui cum tali femina rem habuerat, stupri reus haud erat ex Legge Julia de adulteriis. Hae ergo et in concubinato esse poterant: non feminae ingenuae et honestiores. Hinc, si hae cum viris essent: aut vxores praesumebantur, aut stupri reus vterque erat, si se negaret viuere in matrimonio, nec tamen mulier testationem interposuisset, se sua sponte in concubinato viuere. *l. 3. pr. D. de concub.* Cui legi male vulgo obverti *l. 24. D. de R. N. et l. 31. pr. D. de donat.* satis perspicue ostendimus in *Comment. ad Leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap. IV. p. 172. sequ.*

XL. An et ingenuae honestae?

XLI. Quamuis autem et licita nec inhonesta Romanis videretur haec consuetudo, ac vere inaequale esset matrimonium: *L. 3. C. de natur. lib.* tamen nec ipsae concubinae vxorum dignitate et iuribus fruebantur, nec liberi inde nati legitimi erant, sed naturales, quorum de conditione supra *Tit. X.* quaedam notauimus. Hinc et ii fere, qui iam ex iusto matrimonio liberos procrearant, patriaeque et Priamo fecerant satis,

XLI. Quinam concubinas adsciuerint?

concubinam solebant in lectum adsciscere, ne liberis inducerent nouercam, spemque hereditatis iis, nihil tale meritis, interuerterent. Sic Vespasianus Imp. post vxoris excessum Cænidem, Antoniae libertam, reuocauit in contubernium, et pene iustæ vxoris loco, id est, in concubinato habuit. Suet. *Vesp. III.* Idem fecit Antoninus Pius, Iul. Capitol. *Vit. Anton. cap. VIII.* idem et Marcus Antoninus, recti exempli imperator, qui, amissa vxore, concubinam sibi adsciuuit, procuratoris sui filiam, *ne tot liberis nouercam superduceret.* Id *Vit. Marci cap. XXIX.*

XLII. Fuere concubinae similes vxoribus ad morganaticam.

XLII. Talis utique fuit veterum Romanorum concubinatus. Vnde ii cum laruis pugnant, qui audito concubinae vocabulo, statim sibi aut prostibulum aliquod, aut plane pellicem, animo concipiunt. Id vero non magis verum est, quam si quis idem iudicium ferendum putaret de vxoribus *ad morganaticam*, quas Principes et viri illustres ea lege adsumunt in torum, vt nec ipsae mariti dignitate, nec liberi reliquorum liberorum iuribus, fruuntur. *II. Feud. 29.* His vxoribus per omnia fere similes erant concubinae Romanorum, postquam *mos et lex maculosum edomuerat nefas*, et Augustus concubinatum a pellicatu secreuerat.

XLIII. Quando legibus interdictus concubinitus?

XLIII. At iste concubinatus paullatim euauit, postquam Christiana pietate indignus videri coepit. Primus eum subruere conatus est Constantinus M. sed ita vt obliqua quasi via procederet, nec, se id agere, prae se ferret. Cum enim ita inoleuisset ista consuetudo, vt impar sibi prope
vide

videretur ei abolendae; id agebat potissimum, ut ciues vxores, quam concubinas, habere mallet. Hinc primo liberis naturalibus quidquam relinqui vetuit, ceu colligimus ex *l. 1. C. Theod. de natur. lib.* Deinde ideo adinuenit legitimam per subsequens matrimonium, non in futurum tamen valituram, ne parentibus occasio deesset signandi tabulas, et concubinas iustis sibi nuptiis iungendi. Def. Herald. *Rer. Quotid. I, 4. 2.* Denique ne viri dignitatibus, fulgentes alios exemplo corrumperent durissimam illam *l. 1. C. de nat. lib.* edidit, qua concubinas a viris illustribus, clarissimis, spectabilibus, perfectissimis, haberi vetuit. Nec successus forsân defuisset illis Constantini M. consiliis, si successoribus ista potuisset probare. Sed hi facilius tulerunt concubinatum, adeo, ut nulla eorum constitutio, isti coniunctioni opposita, in codicem relata sit a Iustiniano, sed hic ipse potius concubinatum adhuc *licitam* vocarit *consuetudinem l. 5. C. ad Sct. Orphit.* in eaque *caste viui posse* scripserit. *Nou. XVIII. cap. 5.* Primus ergo in oriente eum subruisse videtur Leo Sapiens. *Nou. Leon. XCI.* In Occidente eum multo diutius mansisse, fatis ostendunt leges veteres Francorum, Longobardorum, Germanorum, de quibus fusius a nobis actum in *Elementis iuris Germanici.*

XLIV. In titulo de nuptiis accuratius egimus de diuersis ritibus nuptiarum per CONFAR-
REATIONEM, COEMTIONEM et VSVM,
deque potestate maritorum in vxores; de qui-

XLIV. Lege Romuli et XII. Tabularum de diuortijs.

bus multa potius, quam optima, collegit Carolus Sigonius *de antiquo iure ciu. Rom. I.* Quare de DIVORTIIS tantum nonnulla adiiciemus, maxime cum eam doctrinam in Institutionibus suis praetermiserit Instinianus. Diuortium maritis quidem permiserat Romulus, at non vxoribus, vt tradit Plutarch. *Vit. Romuli p. 39.* Sed nec illis quidem, eodem teste Plutarcho, sine causa fontica licebat vxoribus mittere nuncium, verum si constaret, eas aut stuprum esse passas, aut venenum parasse, aut liberos clausue subiecisse. Forfan et temulentia inter causas diuortii fonticas fuit, quippe quam maritus, causa cum cognatis cognita, seuerè vindicare in vxore consueuerat. Dionys. Hal. II. p. 96. Eadem lex deinde migrasse videtur in duodecim tabulas, secundum quas, addita causa, iustum fieri potuisse diuortium, colligitur *ex l. 43. D. ad Leg. Iul. de adult.* et praecipue ex loco Ciceronis *Philipp. II, 28. Nolite, nolite quaerere: frugi factus est: mimam illam suam suas res sibi habere iussit, ex XII. Tabulis causam addidit, exegit.* Quamuis enim hoc *causam addidit* suspectum videatur P. Victorio *Var. Lect. II, 2.* et Mur. *Var. Lect. V, 8.* et quidem ob locum Nonii IV, 152. in quo legitur: *claus ademit, forasque exegit:* Grammaticos tamen saepe ex auctoribus fragmenta non integri sensus exscribere, et hinc ementationem auctorum ex fragmentis illis periculosa semper esse, prudenter monuit eruditissimus Perizonius *Animadu. Hist, cap. IX. p. 371. sequ.* Vt cunque se res habeat; videtur sane

ne lex XII. Tabularum non promiscue, ac sine causa concessisse repudium, siquidem veteres auctores saepe eiusmodi causarum meminere (q). Naeuius apud Festum voce *sonticum*. p. 441.

Sonticam esse oportet causam, quamobrem perdas mulierem.

Et Varro apud Non. II, 73. *Betere est ire. Varro τὸ πατὴρ τὸ παῖδιον: A se, annos multos quod parcere non posset, eam betere foras iussit. Si sine iusta et sontica causa factum a marito erat diuortium, Romulus teste Plutarcho sanxerat, τῆς ἑστίας αὐτῆ τὸ μὲν τῆς γυναικὸς εἶναι, τὸ δὲ τῆς Δημητρεὸς ἱερὸν, ut eius bona partim cederent vxori, partim Cereri sacra essent. Vit. Romul. pag. 39.*

XLV. Ast quamuis diuortia viris permitterentur leges: non tamen vllum Romae existit exemplum ante annum ab V. C. circiter quingentesimum, quo primus vxorem ob sterilitatem dimisit Sp. Caruilius Ruga. Dionys. Halic. *Ant. Rom. II. p. 96.* Plutarch. *Romul. p. 39.* et *in Numa. p. 77.* Valer. Max. II, 1. 4. Gell. *Noct. Att. IV, 3.* Ast postea frequentissima Romae

XLV. Diuortiorum origo et frequentia frequentiore aequa.

V 5

fuere

(q) Non solebat antiquitus vxori dari repudium, nisi causa cognita in concilio cognatorum. Val. Maxim. II, 1. 4. et 8. Quin iusiurandum praestari solebat iubentibus censoribus, diuortium ex iusta causa esse factum. Gell. XVII, 21. Solebant praeterea istae causae ipsumque factum diuortium in acta referri. Seneca *de Benef. III, 16.* *Quia vero nulla sine diuortio acta sunt, quod saepe audiebant, facere didicerunt.* Adde Lips. *ad Tacit. Ann. V. p. 231.*

fuere diuortia, et quidem non solum ob causas alicuius momenti, veluti sterilitatem *l. 60. l. 62. D. de donat. int. vir. et vx.* Suet. *Ner. Cap. XXXV.* similitates cum focru, Sueton. *Aug. cap. LXII.* morum peruersitatem. Idem *ibid. cap. LXII.* impudicitiam, Plutarch. *in vit. Caton. p. 770. et Pompei. p. 623.* Sueton. *Vid. Claud. cap. VII. XXVI.* verum etiam ob causas leuissimas. Facile enim, vel ob leuem tantum suspicionem, domo eiiciebatur vxor, quamuis innocentissima (*r*). Papiriam sane cum dimitteret Paullus Aemilius, mirantibus amicis, et causam quaerentibus, nullam certam attulit, sed se tamen ab ea laesum, significauit. Plutarch. *Vit. L. Paulli p. 257. Tom. I.* Nonnunquam causa interferebatur quidem, sed leuis, et quae vix mereri videbatur tantam animaduersionem. Sic C. Sulpicius Gallus extrusit vxorem, quod foris nudo capite versata esset: Q. Antistius Vetus, quod cum libertina vulgari secreto collocuta: P. Sempronius Sophus, quod ludos spectasset, se ignorante. Val. Max. VI, 3. 10. *sq.* Cicero ipse, (at quam honestatis studiosus?) Terentiam ob aes alienum noua dote exsoluendum: et Publiliam, quod Tulliae morte laetari visa esset, domo exegit. Plutarch. *Vit. Ciceron. p. 881. Tomo I.* Alii propter senectutem

(*r*) Iulius Caesar, Pompeiam vxorem ob adulterii cum P. Clodio, qui sacra Bonae Dcae in Caesaris domo polluerat, suspicionem dimittens, dixit: *meos iam suspitione quam crimine iudico carere oportere.* Sueton. *Iul. Caes. Cap. LXXIV.*

tem abiiciebant vxores, *l. 62. de don. inter vir. et vx.* alii quia iam cum alia fuerat transactum. Quo pertinent illa Iuuenalis *Sat. VI. v. 147.*

- - - *Exi*

Ocyus, et propera, sicco venit altera naso.

Immo cum dimissa ob mores grauiore vxore, maritus dotem lucraretur: fiebat aliquando, vt viri data operamale moratas domum ducerent, dummodo bene dotatae essent. Sic C. Titinius, Minturnensis, Fanniam vxorem impudicam de industria duxerat, vt eo crimine repudiata dote spoliaret. Quod exemplum, latamque a C. Mario sententiam referunt Plutarch. *in vita Marii p. 247.* et Valer. Max. VIII, 2. 3. Denique etiam nonnunquam bona gratia a se inuicem discedebant coniuges, et tunc plerumque vxor non solum dotem recipiebat, sed et dona, et munera, a marito data, lucrabatur. Vnde Ouid. *de Remed. Amoris. v. 669. sequ.*

*Tuius est, aptumque magis, DISCEDERE
PACE,*

*Quam petere a thalamis litigiosa fora,
Munera, quae dederas, habeat sine lite iubeto,
Esse solent magno damna minora malo.*

XLVI. Ceterum cum olim maritis tantum ius esset dimittendi vxores, ceu ex Romuli lege obseruat Plutarchus *in Vita Romuli pag. 39.* idque ius adhuc vigeret temporibus Plauti, ceu ex eius *Mercat. Act. IV. Scen. 6.* constat: postea etiam vxores coeperunt a viris diuertere, idque tam frequenter, vt grauiter scribat Seneca

XLVI. Etiam vxoribus licuit a viris diuertere.

de

de Benef. III, 16. Numquid iam vlla repudio erubescit, postquam illustres quaedam et nobiles ferinae non consulum numero, sed maritorum, annos suos computant, et exeunt matrimonii causa, nubunt repudii? Et Iuuenal. Sat. VI. v. 20.

- - - *Sic fiunt octo mariti*

Quinque per autumnos.

Et Martialis. Epigr. VI, 7.

Aut minus, aut certe non plus, tricesima lux est,

Et nubit decimo iam Thelesina viro.

Quae nubit toties, non nubit, adultera lege est,

Offendar moecha simpliciore minus.

Nec grauioribus opus erat causis, si vxor a marito, quam si hic ab illa, sese seiungeret. Saepius enim et mulieres sine causa diuertebant a viris. Exemplum habes in Ciceronis *Epist. ad Fam. VIII, 7.* vbi Coelius ad Ciceronem: *Paula Valeria, soror Triarii, diuortium sine causa, quo die vir e prouincia venturus erat, fecit. Nuptura est D. Bruta.* Sôli libertae non licebat per legem Papiam Poppaeam a patrone discedere, cui erat matrimonio copulata, ceu ipsa legitima verba docent, quae seruaui Vlpianus *l. ult. D. de diuort.* quaeque diligentius interpretati sumus in *Comment. ad L. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. Cap. XII. p. 244.*

XLVII. Solennitates in diuortiiis olim obseruatae.

XLVII. Fiebat olim diuortium non sine solennitate. Quemadmodum enim vxores in manum conueniebant per *confarreationem*: ita seiungebantur alio sacrificio, quod *DIFFARREATIO* appellabatur. Fest. voce *diffarreatio*

reatio p. 280. DIFFARREATIO genus sacrificii, quo inter virum et mulierem fiebat dissolutio. Dicta diffarreatio, quia fiebat farreo libo adhibito. In vsu erat hoc sacrificium adhuc Plutarchi aetate, quoties inter flaminem Diadem et flaminicam fiebat discidium nuptiarum. Cum enim antea flaminibus nefas esset, vxores a se dimittere: rescripto id primus permisit Domitianus, teste eodem Plutarch. *Quaest. R. p. 276. Tom. II.* Qui et haec addit: οἱ δὲ ἱερεῖς παρεγένοντο τῇ τῆ γάμῃ διαλύσει, πολλὰ Φρικώδη καὶ ἀλλόκοτα, καὶ σκυθροπὰ δρῶντες. At sacerdotes reliqui, qui interfuerunt, cum eiusmodi matrimonium dissolueretur, multa horrenda, maledicta et tristia fecerunt. Vnde patet, triste admodum ac mali ominis fuisse hoc diffarreationis sacrificium, in quo multos ritus ac ceremonias tristiores adhiberi oportuerit. *Coëmtione* contracta nuptiae REMANCIPATIONE solutae videntur Iac. Ræuardo, *de Leg. XII. Tab. XXII. p. 99. seq. Tomo I. Oper.* Praeterquam enim quod nihil tam naturale est, quam vnumquodque eo modo dissolui, quo colligatum est, l. 35. *D. de reg. iur.* omniaque, quae in iure contrahuntur, contrario iure pereunt: l. 100. *D. eod.* remancipationis huiusmodi disertis verbis meminit Festus voce *remancipatam* p. 403. *Remancipatam* Gallus Aelius esse ait, quae *mancipata* sit ab eo, cui in manum conuenerat. Ita sane Catonem Vticensem vxorem Marciam, praesentem despondisse Hortensio, refert Plutarch. *in Catone. p. 771. Tom. I.* Et Tiberium Nero-

Neronem Liuiam vxorem etiam praegnantem Augusto cefliffe, ex Tacit. *Ann. V. 1.* et Dionis *Lib. XLVIII. 383.* nouimus. Id quod remancipationis ritu factum efle, non dubitauerim. Conueniffe enim Liuiam in manum, ex verbis Dionis, colligas: ἐξέδοκὲ δὲ αὐτὴν αὐτὸς ὁ ἀνὴρ, ὡσπέρ, τις πατὴρ. *Elocauit illam ipfe maritus, tanquam filiam.* Vfu denique quaefita vxor, fi vellet a viro diuertere, vfurpatione reſcindebat matrimonium, fi nondum circumactio anno, a viro trinocium abfuiffet. Gell. *Noct. Att. III, 2.* Macrob. *Saturn. I, 3.*

XLVIII. Ritus fequiore aeuo vfitati.

XLVIII. At poſtea inualuit, vt, paucioribus adhibitis ceremoniis, quae *legitimae obſervationis* vocabulo veniunt in *l. 35. D. de don. int. vir. et vxor.* diſſoluerentur matrimonia, quas ſummatim recenſebimus. Primo confringebantur tabulae dotales, vt patet ex Tacito *Ann. XI. 30.* et Scholiaſta Iuuenalis *ad Sat. IX, v. 75.* Deinde adimebantur clauae. Quemadmodum enim nouae nuptae, ingreſſae domum mariti, clauae in ſignum communicati cum ea dominii tradebantur: Barn. Briſſon. *de ritu nupt.* pag. 232. ita, clauibus ademtis, dirimebantur connubia. Cic. *Philipp. II, 28.* Petr. Victor. *Var. Lect. II, 2.* Tum porro dicebantur ſollennia verba. His enim omnino opus fuiſſe, vel inde patet, Quod Cicero *de Orat. I, 40.* ait: *Certis quibusdam VERBIS, non nouis nuptiis, fieri cum ſuperiore diuortium.* Verba vero illa haec erant: RES TVAS TIBI HABETO. Vel TVAS RES TIBI AGITO,

TO, l. 2. §. 1. D. de diuort. Barn. Briff. de Form. VIII. p. 722. eaque pronunciare solebat libertus. l. 9. D. de diuort. Iuuenal. Sat. VI, v. 145.

*Collige sacrinulas, dicet LIBERTVS et EXI
Iam grauis es nobis, et saepe emungeris, EXI
Ocyus, et propera, sicco venit altera naso.*

Solebant ergo nuncium mittere coniugi, eaque speciatim dicebatur renunciatio matrimonii. Immo et libellus dabatur, cui eadem procul dubio verba inscripta. Quo libello iam oblato, locus quidem erat poenitentiae, si coniux repudiatus consentiret: l. 7. D. de diuort. non si huic placeret conditio. Tunc enim dissolutum censebatur matrimonium, libello etiam nondum tradito. l. 6. C. de repud. Car. Sigon. de antiquo iure ciu. Rom. I. 9. p. 132. Denique Augustus, (qui et alias diuortiis modum imposuit, teste Sueton. Octau. XXXIV.) lege Iulia de adulteriis cauit, vt diuortium fierat, adhibitis praeter libertum septem testibus, ciuibus Romanis, puberibus: alias pro irrito haberetur. l. 9. D. de diuort. Barn. Briffon. ad Leg. Iul. de adult. XXVIII. p. 123.

XLIX. Sed haec omnia ad *diuortium* inter XLIX. Quid
coniuges pertinent. Latius patebat REPUDI- repudium?
VM, quod etiam sponsus sponsae, vel haec illi
dare solebat. Paulius l. 191. D. de Verb. signif.
*Inter diuortium et repudium hoc interest, quod
repudiari etiam futurum matrimonium potest:
non recte autem sponsa diuortisse dicitur. Et
Modestinus l. 101. §. 1. D eod. Diuertium in-
ter virum et uxorem fieri dicitur; repudium
vero*

vero sponsae remitti videtur: quod et in sponsae personam non absurde cadit. In repudio sponsae mittendo sollemnia erant verba: TVA CONDITIONE NON VTOR. l. 2. §. 2. D. de diuort. et repud. Tantum autem abest, vt hic causa aliqua fontica opus esset, vt ex sponsalibus, quantumuis stipulatione firmatis, nulla oriatur ciuilis actio, sed infinita esset repudiorum licentia. l. 1. C. de sponsal. l. 2. §. 1. 2. D. de diuort. l. 2. C. de repud. l. 2. C. de inutil. stipul. Nec contrarium euincitur ex loco Ser. Sulpicii apud Gell. Noct. Att. IV, 4. Actio enim illa ex sponso, cuius tibi meminit Sulpicius, non ad Romanos, sed ad Latii incolas, pertinebat. Attamen et ab orbis Romani incolis certas repudii causas obseruari voluerunt Theodosius et Valentin. l. 8. C. de repud. et Iustinianus l. 10. u. C. eod.

L. Ius patrium, legitimi domini, testamenti hereditatis, vsucapionis.

L. Sufficiant haec de tertio iure Quiritium, id est, de iure connubiorum. Quartum fuit PATRIVM, de quo tamen vix est, quod hic addamus, cum supra *Lib. I. Tit. IX.* de patria potestate, ciuibus Romanis propria, accurate nos agere meminerimus, quemadmodum et de adoptione, legitimatione, emancipatione, aliisque, quae huc pertinent, vberius suis locis disseruimus. Idem de quinto dicendum. Quot modis enim iure Quiritium rerum acquiratur DOMINIVM, et quaenam fuerint eius domini effecta, statim dicemus *Lib. II. Tit. I.* De sexto quoque, id est, de iure TESTAMENTORVM plenius agemus *Lib. II. Tit. X. seq.*
De

De septimo, seu de iure HEREDITATVM LEGITIMARVM *Lib. III. Tit. I.* et sequentibus, de octauo denique, id est, de VSVCA-PIONE *Libro II. Tit. VI.* plura monebimus, nihil vt hic de illis addendum praeterea videatur. Progrediemur ergo ad ea iura ciuium Romanorum, quae ad ius publicum potius spectant, et κατ' ἐξοχήν CIVITATIS iura appellantur.

LI. Prima ciuium Romanorum praerogatiua, LI. Ius cen-
sus. quae ad ius publicum pertinet, est IVS CENSVS. Census qualis Romae fuerit, et a quonam sit institutus, diximus supra, vbi de capitis deminutione actum est. Auctor nimirum huius moris Seruius Tullius, Rex, qui primus iussit ciues omnes in sua quemque classe et centuria, dato iureiurando, apud eum, penes quem ius esset censendi populi, nomina sua, vxorum, liberorum, libertorum seruorumque suorum profiteri, praetereaque aetatem omnium, regionem, quam habitarent, et fortunarum suarum aestimationem deferre. Hoc autem ius censendi primum regum, deinde consulum et dictatorum, ac postremo censorum fuit. Quae omnia ideo instituta sunt, vt de ciuium, qui arma ferre possent, numero, pecuniaeque magnitudine, qua belli sumtus sustinentur, et totius reip. viribus tanto certius constaret. Vnde de Seruio Tullio Florus I, 6. *Ab hoc populus Romanus relatus in censum, digestus in classes, curiis atque collegiis distributus, vt omnia patrimonii, dignitatis, aetatis, arrium, officiarumque discrimina in tabulas referrentur, ac si*

maxima ciuitas minimae domus diligentia contineretur.

LII. Censu etiam ius ciuitatis adquiri potuit.

LII. Quicumque iure nomina dabant censoribus, eaque inscribenda curabant tabulis censualibus, eo ipso ius ciuitatis consequerentur, adeo ut et serui, non modo manumissi, verum etiam ciues viderentur, si nomina consentiente domino, profiterentur apud censores, ac deinde Iustro interessent. Vlp. *Fragm. I, 8.* Cic. *de Orat. I, 40.* Ast adultiore iam ciuitate, non promiscue omnibus licuit in tabulas censuales irrepere. Cum enim plerique socii ac Latini nominis hoc modo ius ciuitatis furtim consequi studerent, nominibusque tabulis censualibus inscriptis, deinde Romam commigrarent: conuesti sunt anno V. C. DLXIV. M. Aemilio et C. Flaminio Coss. legati sociorum Latini nominis, *magnam multitudinem ciuium suorum Romam commigrasse, et ibi censos esse.* Quo intellecto Senatus Q. Terentio Culleoni, Praetori, negotium dabat, *ut eos conquireret, et quem C. Claudio et M. Liuio Censoribus, postue eos Censores, ipsum parentemue eius apud se censum esse, probassent, ut redire eo cogeret, vbi censi essent.* Liu. xxxix, 3. Quamuis ergo tunc ea conquisitione duodecim millia Latinorum domos redire cogerentur: paullo post tamen A. V. C. DLXXVI. iterum audita sunt legationes sociorum et Latini nominis, conquerentium, *ciues suos Romae censos plerosque eo demigrare. Quod si permittatur, perpaucis lustris futurum, ut deserta oppida, deserti agri, nullum militem dare possent.* Re vero expen-

expensa paullo accuratius, prodiit edictum, qui socii ac nominis Latini ipsi maioresque ipsorum, M. Claudio, T. Quinctio censoribus, posteaque, apud socios ac nominis Latini censi essent, ut omnes in suam quisque ciuitatem, ante Kal. Nou. redirent. Liu. XLI, 12. 13 sequ. Id ius aliquandiu viguit, siquidem et L. Postumium Consulem anno V. C. DLXXX. pro concione legimus edixisse, ut, qui socium Latini nominis ex edicto C. Claudii Cos. redire in ciuitates suas debuissent, ne quis eorum Romae, sed omnes in ciuitatibus suis, censerentur. Liu. XLII, 10. Cum ne sic quidem fraudes istae impedirentur: in eandem sententiam anno DCLVIII. a L. Licinio Crasso et Q. Mucio Scaeuola cos. lata est lex *Licinia* et *Mucia*, ut socii et Latini nominis in suae quisque ciuitatis ius redigerentur (s). Verum ea lege

(s) Exstitit etiam in eandem rem lex quaedam Papii cuius disertis verbis meminit Cicero *Pro Balbo* XXIII. Valer. Max. III, 4. 5. Vnde fallitur Steph. Vin. Pighius, in *Obseruati. ad Valer. Max. l. c.* qui hanc legem plane explodendam putat. Nec minus errat Car. Sigon. *de antiquo iure Ital.* III, 1. qui eandem confundit cum lege Papii *de Peregrinis*, de qua infra agemus. Hac enim lege non omnes peregrini eiciebantur, sed socii et Latini nominis, qui Romam commigrauerant, domum redire iuebantur, ceu exemplis a Valerio Maximo et Cicerone allatis patet. Cum vero lex Claudia prima fuisse videatur, qua ea de re actum est, eaque lata sit, anno DLXXVI. post legem vero Liciniam Muciam, latam anno DCLVIII. statim bellum Marficum exarserit, quo composito dataque Latinis ciuitate, lege huiusmodi non amplius opus fuit, latam esse oportet hanc legem inter annum DLXXVI. et annum DCLVIII. Cumque

lege in alienati sunt animi principum Italicorum populorum, vt ea vel maxime causa fuerit conflati paullo post belli Italici. Cicero *pro Corn. Balbo XXI. de offic. III, 11. pro C. Corn. Fragm. p. 330.* Afcon. Paedian. *adeand. orat. p. 1309.*

LIII. Censu
Romae, pro-
fessio in pro-
uinciis,

LIII. Cum vero census fierent Romae: oportebat ciues, qui nomina fortunasque profiteri cuperent, eo commigrare. Hinc P. Scipio in oratione, quam censor ad populum habuit, inter alia, quae contra maiorum instituta fierent, etiam hoc reprehendit, *quod absentes iubeantur censeri, vt ad censum nemini necesse sit venire.* Gell. *Noct. Attic. V, 19.* In prouinciis non census habebatur, sed fiebat *professio censualis. l. ult. C. sine censu vel reliqu.* Qua de re vetus fragmentum iureconsulti, quod ex codice Rumpfiano edidit Salmaf. *de mod. usur. XIX. p. 878.* Αλλ' ἐν κῆ πόλει Ῥωμαίων μόνη ἀποτίμησιν ἄγεσθαι δεδήλωται, ἐν δὲ ταῖς ἐπαρχίαις μᾶλλον ἀπογραφαῖς χεῶνται. Quae ita redduntur in fragmento Latino, quod edidit Pithoeus: *Sed in ciuitate tantum Romana censum agi declaratum est: in prouinciis autem magis professionibus vtuntur.* Ex quibus simul patet, qualis fuerit illa ἀπογραφή, cuius meminit Luc. II, 1. Agebantur hae ἀπογραφαὶ initio per Equites Romanos, ceu ex Grut. *Inscr. p. CCCLV, 6.* colligit Reines. *Inscr. p. 271.* Talis est

que porro ex hac lege damnatus sit M. Perpennae Conf. pater, idque factum sit breui post mortem filii, quae in annum DCXXIV. incidit: facile patet, non multum ante hunc annum legem hanc Papiam conditam esse. Vid. *Comment, nost. ad Leg. Iul. et Papi. Popp. Lib. I. Cap. I. p. 17.*

est LEG. AVG. CENSIBVS. ACCIPIENDIS. PER. HISPANIAM. CITERIOREM. apud Reines. *Insc.* II, 26. nec non DISPENSATOR. AD. CENSVS. PROV. LVGDVNESIS. apud Eund. *Class.* IX, 99. Ab aliis auctoribus vocantur *cenfitores*, veluti a Lactant. *de Mort. perseq.* Cap. XXIII. quibus additos legimus ministros, fusceptores, dictos *Ducenarios*, horumque *adiutores*, itemque *scribas*, *chalcologos*, *accensos*, *compulsores*, de quibus apud Grut. *Insc.* p. ccccxxxiv, 3. et p. cccciii, 5. Reines. *Comm. ad Inscr.* p. 271. Postremis temporibus censitorum munus personale, nec admodum honorificum fuisse, discimus ex *l. 1. §. 2. l. 17. §. 9. 16. de mun. et honor.* Permultum ergo inter censum vrbantum et prouincialem intererat. Quamuis enim etiam prouinciales illae professiones nonnunquam census nomine veniant, vt velex Digestorum et codicis titulis *de censibus* et *cenfitoribus* nec non ex Lactant. *de mort. presecutor.* XXIII. intelligimus: vel maxime tamen eo differebant, quod Romae tantum censeantur ciues, vt reipublicae vires ciuiumque facultates paterent, ac deinde veteri ritu lustrum accederet. In prouinciis vero census nouum onus, et noua tributa in solum et capita adferebat. Amm. Marcellin. *Hist.* XIX, 11. Post Antonini tamen Caracallae constitutionem supra explicatam parum inter censum professionemque prouincialem videtur interfuisse. Lustralis enim census iam a Vespasiani temporibus ab vsu recesserat (t): teste

X 3

Cen-

(t) Lustralem tamen censum Romae egit Decius Imp-
vt

Cenforino *de die Nat.* XVIII. Ast non ideo etiam census Romae, et in prouinciis obsoleuit, qualem etiam Vlpiani tempore, licet sine lustrum, conditum, ex multis iuris nostri locis discimus.

LIV. Quid
lustrum?

LIV. Cum vero olim censui Romae accedere consueuerit *lustrum*: id quoque, quale fuerit, ex antiquitatibus Romanis videtur explicandum. Peracto scilicet censu, populus iuebatur armatus adesse in campo Martio, ubi lustrabatur, sue, oue et tauro, quae animalia ter circum exercitum agebantur ab iis, quibus essent fausta nomina, Cic. *de Diuin.* I. 45. ac dein immolabantur Marti. Liu. I, 44. Varro *de re Rust.* II, 1. Dionys. Harlicarn. *Ant Rom.* IV. p. 225. Vnde et solenne istud sacrificium dictum SVOVETAVRILIA, a sue, oue et tauro, vel, vt alii malunt, SOLITAVRILIA; Sed priorem vocis formam confirmat apud Gruter. *Inscript.* p. CXXI, 1. HVIVS. OPER. PERFECTI. CAUSA. LVSTRVM. MISSVM. SVOVETAVRILIB. MAIORIBVS. Huius lustrum quam maxime habebant rationem iureconsulti, cum plerisque non a censu, sed a lustrum potius, iura nouorum ciuium Romanorum initium capere viderentur. Cicer. *de Orat.* I, 40. Hinc vetus fragmentum iureconsulti apud Pithoeum: *Magna tamen dissensio inter prudentes, vtrum eo tempore vires accipiant omnia, in quo lustrum conditur? Existimant enim censum descendere ad diem*

vt auctor est Trebell. Pollio *Valerian.* I, et II. Sed vltimum, ac longo repetitum interuallo fuisse illud exemplum, notat illic Is. Casaubonus,

diem lustrum, non lustrum decurere ad diem censum. Propterea quaesitum est, quia omnia censu aguntur, lustrum confirmantur. Adde Cuiac. Obseru. III, 22.

LV. Quemadmodum vero census proprium ius erat ciuium Romanorum: ita et grauius animaduertebatur in eos, qui illum subterfugissent, quippe quos, publicatis bonis, verberatos venisse, tradunt Dionys. Hal. IV, p. 221. Cic. *pro A. Caecin.* XXIV. *Vipian Fragm.* XI, 11. Quae in re fictionem quandam intercessisse, supra diximus, ad titulum *de capitis deminutione.*

LV. Poena incensorum.

LVI. Alterum ius ciuitatis Romanae erat MILITIAE. Cum enim Romana militia lecta partim legionibus, partim auxiliis constaret: in legiones nemo iure adlegebatur, nisi ciuis Romanus. Immo ne ciues quidem omnes diuini videbantur legionarii: sed oportebat hos esse ingenuos, et in quinque classibus censos. Vnde excludebantur libertini, capite censi, histriones, ex qua hominum colluue, non nisi cogente necessitate, et in re trepida, legebantur milites, vt satis accurate docent Iust. Lips. *de Milit. Rom.* I, 2. p. 14. Carol. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom.* I, 15. p. 172. sequi. vbi etiam rationem habendi delectum ex Polybio egregie explicant. Alii erant focii, qui olim ex Italis et focii Latini nominis, et posteaquam hi ius ciuitatis impetrarant, e prouincialibus et exercitibus regum, fociorum populi Romani arcescebantur. Si qui ex aliis gentibus adfiscerentur, ii leuioris armaturae milices dicebantur.

LVI. Ius militiae antiquum.

Vid Saail. *de Milit. Rom. p. 334. sequ.* Ciues sacramento militari adstricti, (cuius formula est apud Gell. XVI, 4. ubi addendus Lips. *de Milit. Rom. I, 6. p. 45. sequ.*) tamdiu militabant, donec vel missionem siue HONESTAM, siue CAVSARIAM impetrarent, vel IGNOMINIAE causa ab exercitu abesse iuberentur. Ista missio dabatur iis, qui vel legitima confecerant stipendia, vel maiores erant quinquaginta annis. Illa ob morbum adfectamque veletudinem; haec ob crimina admissa dabatur: de quibus omnibus Sigon. *l. c. p. 18.* ipsique Icti ad *tit. D. de re militari.*

LVII. Quid in his mutatum sub Imperatoribus.

LVII. Enimuero haec omnia mutata sunt, ex quo rempublicam inuaserant principes. Iam Augustus non ciuibus modo, verum etiam Latinis et Italis, necessitatem militiae remiserat, inuenta militia mercenaria, Herodian. *Hist. II, 11.* et ideo plerasque legiones conscripserat e prouincialibus; praetorianas, et quae ad vrbis adhibebantur custodiam, ex Italis. Schel. *Not. ad Hygin. de castramet. pag. 13.* Idque eo magis inualuit post datam ab Antonino Caracalla orbi Romano ciuitatem. Ex eo enim tempore, quae antea legiones ex Romanis tantum ciuibus, vel vrbanis, vel Italiam prouinciasue habitantibus, constabant, eae ex prouincialibus plerumque deligebantur: quae auxilia vero e fociis olim seu prouincialibus arcessiebantur, ea e nationibus barbaris, quae vel pretio, vel sponte, in eam se militiam dabant, conscribebantur. Ez. Spanh. *Orb. Rom. II, 21. p. 349.*
Im-

Immo adeo a veteri instituto descuerant Romani principes, ut postremis temporibus integras legiones e barbaris conscriberent. Talis est *legio Ziannorum* apud Ammian. Marcell. XXVI, 1. *legio Gruthungorum* apud Claudian. in *Eutrop.* IV, 58. Immo talis magna pars exercitus Theodosiani, de cuius conditione et laxa disciplina queritur Zosim. *Hist.* IV, 30. et 31. Quo magis mirandum, prostituta barbaris militia, libertinae tamen conditionis hominis tam seuerè ab omni, etiam palatina militia exclusisse Valentinianum III. Imp. l. 3. *Theod. de libert.*

LVIII. Sequitur tertium, quod ad ciuitatem Romanam pertinuit, **IVS TRIBVTORVM** et **VECTIGALIVM**. *Tributum* erat pecunia, populo imperata, quae tributim a singulis exigebatur. Quae vero pecunia alio quocunque nomine pendenda erat, *vectigal* solebat appellari. Varro *de Lingu. Lat.* IV, 16. p. 39. Sam. Petit. *Var. Lect.* II, 1. *Tributorum* tria genera erant, vnum, quod *in capita*, alterum quod *ex censu* conferebatur, tertium quod imperatum extra ordinem, adeoque *temerarium* dictum *Tributum in capita*, (quod postea etiam *tributum capitis*, *capitulare*, ut et *pecunia pro capitibus*, dici coepit, teste Lindenbrogio ad Ammian. Marcell. p. 50.) sub primis Romanorum Regibus in vsu fuit, adeo ut cum regi opus esset pecunia, aequo pauperes ac diuites onere premerentur. Dionys. Halic. IV, p. 223. Inuenito autem censu, tributum illud capitis desit, ciuesque coeperunt tributa conferre pro suo

LVIII. Ius
tributorum.

quisque censu, qua de re Liuius I, 43. *Quadrifariam enim vrbe diuisa, regionibus collibusque, quae habitantur partes, tribus eas appellauit, vt ego arbitror, a tributo, nam eius quoque aequaliter ex censu conferendi ab eodem ini-ta ratio est.* Tarquinius Superbus veterem tributa exigendi rationem restituit; auxitque in tantum, vt pro suo quisque capite decem penderet denarios. Dionys. Halic. IV, p. 245. Eiu-rato regno, Valerius Poplicola Seruii institutum reuocasse, eumque in finem Quaestores creasse, videtur. Immo pauperes, aliquandiu tributorum onere sunt exsoluti, donec decreuit Senatus anno V. C. CCCXLIX. vt plebi, quae eo vsque suis sumtibus miitauerat, stipendium quotannis ex aerario solueretur. Hoc enim facto coacti sunt omnes, tributum ex censu quotannis in stipendium militare conferre. Liu. IV, 59. 60. Hinc magna subinde certamina inter patres et plebem de conferendis tributis, quae saepe a Tribunis impedita, saepe a Senatu remissa, nec raro ob necessitatem reipublicae aucta sunt, vt refert Car. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. I, 16. p. 197. sequ.* Quin indicta saepe tributa temeraria, propter periculi magnitudinem, veluti post urbem a Gallis captam, item bello Punico secundo, Valerio Leuino et M. Claudio Marcello coff. quando ipsae matronae aurum et ornamenta sua conferre non dubitabant. Fest. *voce tributum p. 468.* Liu. XXVI, 36. Postremo annua tributa plane remissa sunt A. V. C. IOLXXXVI. postquam L. Paullus e prae-
da

ad Macedonica incredibilem vim auri intulerat in aerarium. Cic. *de Offic. II*, 22. Plin. *Hist. Nat. XXX*, 3. idque ad consulatum vsque Hir-
tii et Panfae mansisse, tradit Plutarchus *Vit. Paull. p. 275. Tom. I.* Post ea tempora tributi collati frequentissima fit mentio, et sub Imperatoribus eo res rediit, vt multa iuuenirentur noua tributa locupletando aerario, et non solum prouinciis a populo *stipendia*; a principe *tributa* impone-
rentur, Theoph. §. 40. *Iust. de rer. Diuis. Cuiac. Obs. VII*, 3. verum etiam durior subinde hac in re fieret conditio ciuium Romanorum.

LIX. Diuersa a tributis erant VECTIGALIA, Cuiac. *Obs. VII*, 4. quae vel *portorii*, vel *decumarum et scripturae*, vel *salis* vel *vicefimae* nomine exigebantur. *Portoria* pecuniae erant, quae portitoribus pendebantur, id est, iis, qui mercedes pro mercibus in portum vel per pontem deuehendis exigebant. Hirt. *Bell. Alex. XIII. l. 60. §. 8. D. locat. conduct.* Iul. Caes. *Bell. Gall. III. princ.* Sed illa, portoria lege lata, ciuibus in vrbe ac per Italiam remisit. Q. Metellus Nepos, Dio Cass. *XXXVII. p. 53.* Postea tamen peregrinarum mercium portoria denuo instituit Iul. Caesar, teste Sueton. *Iul. XLIII.* Eaque diu-
tissime exacta sunt sub Imperatoribus sequenti-
bus, quippe quae primum penitus remisisse legimus Heluim Pertinacem, Herodian. *Hist. II*, 4. quamuis illa restituta esse a successoribus, ex *l. 21. pr. D. de don. int. vir. et vx.* intelligamus.

LIX. Ius vectigalium, qualia erant portoria.

LX. Decumae exigebantur a ciuibus Romanis, vel Latini nominis sociis, qui in Italia, aut
extra

LX. Decumae et scriptura.

extra illam publicos agros arabant. Id enim fiebat ea lege, vt frumenti decimas penderent. Sin vero quis filuis vel pascuis publicis hoc modo frueretur; pecunia, quae inde ad rempublicam redibat, *Scriptura* appellari consuevit. Solebant scilicet Romani agros, hostibus bello ademptos; si culti essent, ciuibus; sin inculti, Italicis hominibus per censores locare, ea lege, vt decimam frumenti (u), quintam reliquarum frugum praestarent; e pascuis vero certum penderent stipendium. Postea cum diuites pleraque ad se rapuissent: A. V. C. CCCLXXVII. a C. Licinio Stolo lata est lex, *ne quis plus quam quingenta iugera agri, centum pecoris maioris capita, quingenta minoris possideret.* Liu. VI, 35. VII, 16. Aurel. Victor. *de vir. illustr.* XX. Sed' quam parum ea lex valuerit, vel inde patet, quod non multo post ipse ille Licinius Stolo a M. Popillio Laenate ex sua lege X. millibus aeris est damnatus, quod M. iugerum agri cum filio possideret, emancipandoque filium fraudem legi fecisset. Liu. VII, 16. Hinc eandem legem postea A. V. C. Iæcxxx. retulit Tiber. Sempronius Gracchus Trib. pl. cuius tamen sanctionem mox eludit Senatusconsultum, quo agri vendi iussi sunt: vnde denuo diuitibus cesserunt solis. Quare denique Sp. Thorius, Trib. pl. lege lata sanxit, ne agri amplius diuiderentur, sed possessores in
iis

(u) Nomen hinc ortum est Decumatibus agris, quos Galli Marcomannis in Boiohemiam profectis, Rhenum transgressi in illis Sueviae partibus occupauerunt, vbi hodie Wittenberg. Ducatus. Tacitus *Germ. Cap. XXIX.*

iis relictis, vectigalia pro iis penderent, eaque pecunia plebi distribuereetur. Cuius legis fragmenta ex antiqua tabula aenea edidit Car. Sigon. *de antiquo iure Ital.* II, 2. p. 638. Denique alius tribunus totum illud vectigal noua lege sustulit. Appian. *de Bello Ciu.* 1. p. 366. Cumque solus superesset ager Campanus: eum quoque diuinit Iul. Caesar. Consul. Suet. *Iul.* XX. Vnde ex eo tempore conquestus est Cicero, *Epist. ad Att.* II, 16. *Portoribus Italiae sublatis, agro Campano diuiso, vectigal nullum superesse domesticum, praeter vicesimam.*

LXI. Tertium vectigalis genus ex sale redibat. Instituerant enim Romani post exactos statim Reges, vt sal non a priuatis venderetur, sed minoris e publico acciperetur. Liu. II, 9. Bello autem Punico secundo, vectigal nouum a censoribus Claudio Nerone et Liuiio Salinatore, maxime tamen ab hoc, institutum ex salaria anno-na (x), vt testatur Liu. XXIX, 37. Sal enim hi censores sextante Romae; pluris in conciliabulis; et alibi alio precio praebendum locauerunt, eoque nouo vectigali locupletarunt eararium. Sed et hoc vectigal demum ab vsu recessit, vt patet ex verbis Ciceronis paullo ante relatis, quamuis, quo tempore id factum, haud adeo liquidum sit. Sigon. *de antiquo iure Ciu. Rom.* I. 16. p. 207.

LXI. Antio-nae salariae.

LXII.

(x) Et inde alteri Censori Salinatoris cognomen haesit. Errat ergo Bulinger. *de Vectigal.* P. R. XV. qui Salinatore non introduxisse, sed restituisse hoc vectigal existimat. Vid. V. C. Burmann. *de Vectigal.* P. R. VI. p. 116.

LXII. Vice-
simae.

LXII. Diutius Romae in usu fuit quartum genus vectigalis, quod *vicesima* dictum. Eius origo referenda in annum V. C. CCCXCVIII. quo *Cn. Manlius legem nouo exemplo ad Sutrium in castris tributim de vicesima eorum, qui manumittuntur, tulit. Patres, quia ea lege haud paruum vectigal inopi aerario esset, auctores fuerunt. Liu. VII, 16.* Quoties ergo seruus manumittebatur, vel herus, vel libertus pendebat vicesimam. *Arrian. Diff. Epictet. II, 1.* "Ὅταν ἔν σρέψη τις ἐπὶ στρατηγῶν τὸν αὐτῶ ὄβλον, ἔθδεν ἐποίησεν, ἐποίησε, τί; ἔσροψε τὸν αὐτῶ ὄβλον ἐπὶ στρατηγῶ, ἀλλο ἔθδεν; ναί, καὶ ἑικοσὴν αὐτῶ ὄβλαι ὀφείλει. *Quando quis seruum suum apud Praetorem vertit, num ista vertigine nihil egit? Enimvero egit aliquid. Quid autem? Seruum suum vertit apud Praetorem. Numquid praeterea? Immo et vicesima soluenda erit.* Similis est locus apud eundem *Arrian. Diff. Epictet. Lib. II. Cap. I. Lib. III. Cap. XXVI.* Tardius tamen ab Augusto id etiam ad seruos venales prolatum videtur, pro quibus vicesima quinta (γ) pendenda erat ab emtore, si *Tacito Annal. XIII, 31.* fidem habemus. Aurum vicesimarium in sanctiore aerario (ζ) ad ultimos reip. casus seruari consuevit. *Liu. XXVII, 10.*

LXIII.

(γ) *Tacit, Ann. XIII, 31.* huius vicesimae quintae meminit: Sed ex *Dionis Hist. LV p. 569.* constat, Augustum, auctorem huius vectigalis non quintam et vicesimam, sed quinquagesimam τὸ τέλος τῆς πεντηκοσῆς a seruis venalibus exegisse. Alterutrum ergo errasse dixeris, nisi forte aliquis ex Augusti successoribus hoc vectigal auxerit.

(ζ) Huic vectigali colligendo praefectus aliquis fuit, qui
appel-

LXIII. Oppressa per Principes republica multa noua inuenta sunt vectigalia, quibus locupletaretur aerarium. Vnde de Augusto Sueton.

LXIII. Noue vectigalia ab Imperatoribus inuenta.

XLIX. *Aerarium militare cum vectigalibus nouis instituit.* Talis erat centesima rerum venalium, quam A. V. C. IOCCCLIX. instituerat Augustus, teste Dione Cass. LV. p. 569. Quamuis enim ibi tantum quinquagesimae mancipiorum venalium meminerit Dio: fieri tamen potuit, vt reliquarum rerum venalium centesimam instituerit. Eius enim mentionem facit Tacitus, additque, hanc centesimam Tiberium primum firmasse, Tacit. *Ann. I, 78.* postea, vt populo aliquid daret, ducentesimam induxisset. Id. *Annal. II, 42.* denique cum iterum in usum reuocasset centesimam, eandem Italiae remisisse Caium Caligulam. Dio Cass. LIX, p. 647. Ex quo loco patet, in Suetonii *Cal. XVI.* auctore Casaubono, rescribendum esse: *Centesimam auctionum Italiae remisit*, cum vulgo ibi legatur *ducentesimam*. Ceterum non aliud hoc erat vectigal, quam centesimus rerum in auctione venalium numus, qui inferebatur aerario militari, vt recte docet Lips. ad Tacit. *Annal. II, p. 104. sequ.* Saepissime tamen illius vectigalis quantitas videtur vel aucta, vel immutata. Nam et quinquagesimae fit mentio. Immo Theodosius et Valentin. Augusti constituerunt, vt nundinis quibusque ex qualibet negotiatio-

appellabatur *Vicesimarius* vel *εἰκοσώτης*: si sequamur emendationem in verbis fragmenti Traguriani Petronii quam repraesentat V. C. Burmann. *de Vectig. P. R. X. p. 192.*

tiatione mercium fisco in singulos solidos venditor dimidiam siliquam, et similiter emtor dimidiam inferret. Idque est vectigal SILIQUATICVM, de quo Cassiod. *Var. IV, 19. Id rebus omnibus nundinandis providam definiuisse antiquitatem*, ait. Ipsam constitutionem Theodosianam cum iam pridem in lucem protraxerit Cuiac. *Obs. XVI, 22.* mirandum sane est, virum doctissimum, Guid. Pancirol. *Thesaur. Var. Lect. III, 31. p. 494.* existimare, siliquaticum in fructibus constitisse, e. g. siliquis, similibusque, eosque fructus, loco numerorum fuisse praestandos. Siliqua hic est vicesima quarta pars solidi aurei, seu eiusdem semiuncia, Gronou. *de Pec. Vet. Lib. IV. Cap. XVIII.* adeoque satis grande hoc vectigal fuisse animaduertimus. Est et vectigal QVADRAGESIMAE, siue litium, siue portorii loco soluendum, cuius meminere Quintilian. *Declam. XXXV.* Symmach. *Epist. V. 62. 65.* immo et Suet. *Vespas. Cap. I.* Ei praefectum legimus QVINCTIONEM, AVG. LIB. TABVLARIVM XXXX. GALLIAR. apud Reines. *Insc. Class. IX, 36.* Paulo obscurius est vectigal *ansariae*, ut in *l. 1. C. Hermog. de iure fisci* vocatur, vel *ansarii* et *foencularii*, vel *foriculiarii*, quorum meminit elegans marmor Romanum apud Grut. *Inscr. p. CXCIX, 6.*

IMP. CAESAR. M. AVRELIVS.
 ANTONINVS. AVG.
 GERMANICVS. SARMAT. ET.
 IMP. CAESAR. L. AVRELIVS:
 COMMODVS. AVG.

GERMANICVS. SARMATIC.
HOS. LIMITES. CONSTITVI.
IVSSERVNT.

PROPTER. CONTROVERSIAS. QVAF.
INTER. MERCATORES. ET. MANCIPES.
ORTAE. ERANT. VTI. FINEM.
DEMONSTRARENT. VECTIGALI.
FORICVLARI. ET. ANSARII.
PROMERCALIVM. SECVNDVM.
VETEREM. LEGEM. SEMEL. DVN
TAXAT. EXIGVNT.

Differit de his vectigalibus Iac. Cuiac. *Obs. XIV*,
3. sed ita, vt lectores non multo reddat certio-
res, itemque V. C. Petrus Burmannus *de vectig.*
pop. Rom. Cap. V. p. 73. sequ. edit. nou. Mirum
est vectigal pro *umbra platani* exactum, de quo
Plin. *Hist. Nat. XII, 1.* multoque mirabilius
 $\tau\omicron\ \alpha\epsilon\rho\mu\omicron\nu\omicron\nu$, quod pro caeli aërisque vsu pende-
batur, de quo quaedam haud protrita habet
idem laudatus Cuiac. *Obs. X, 7.* Buleng. *de ve-*
ctigal. pop. Rom. Cap. XVII. et Burmann. *Cap.*
XII. p. 209. ed. nou. Denique etiam nouis illis
vectigalibus vel maxime accensenda vicesima
hereditatum, de qua iam ante *n. XIX.* aliquid
notauimus.

LXIV. Pergimus ad ius SVFFRAGIO-
RVM, quod et ipsum ad iura ciuium Ro-
manorum pertinuit. Comitia Romulus insti-
tuerat, ciuibusque libera permiserat suffragia,
quoties vel lex ferenda, vel creandus magistra-
tus vel bellum denique decernendum videre-
tur. Dionys. Halic. II. p. 87. Cum vero initio
curiatim suffragia ferrentur in comitiis curiatis,
postea centuriata comitia inuenit Ser. Tullius,

LXIV. Ius
suffragio-
rum.

Pars I.

Y

quibus

quibus id consecutus est, vt ditiorum praeua-
lerent suffragia, cum in comitiis curiatis turba
egenorum ciuium optimates et ditiores facile
numero suffragiorum obrueret. Dionys. Hal.
IV. p. 224. seq. Et ex eo tempore fere dicis tan-
tum et auspiciorum causa rogationes curiatim
perlatae, et denique ipsa illa comitia adumbrata
sunt per XXX. lictores. Cic. *de leg. agrar. II, 12.*
Qua de re tamen haud leuis fuit virorum doctis-
simorum altercatio, Nicolai scilicet Grucchii
et C. Sigonii, quorum scripta eristica repetita
editione vulgavit vir de his literis immortaliter
meritus, Io. Georg. Graeuus *Tomo I. Thes.*
Ant. Rom. (a). Denique etiam tributa inuen-
ta sunt comitia, quibus populus per tribus, qua-
rum demum XXXV. erant, ferebat suffragia,
eaeque coeperunt A. V. C. CCLXIII. A. Sem-
pronio, M. Minucio Coss. Quemadmodum ve-
ro centuriata comitia non nisi a maioribus; ita tribu-

(a) Quaestio inter hos viros doctissimos fuit de lege curia-
ta. Nic. Grucchius existimat, patricios magistratus olim
binis comitiis esse creatos, centuriatis et curiatis; ple-
beius itidem binis, tributis et curiatis; denique, cum
obsoleuissent curiata comitia, magistratus omnes binis
comitiis creatos, centuriatis et tributis. Negat id Car.
Sigonius, magistratus tantum vnius generis comitiis
creatos existimans, Consules nimirum centuriatis, alios
magistratus patricios curiatis, ita tamen, vt deinde ite-
rum de iisdem magistratibus iudicatum sit, populusque
priora comitia reprehendere potuerit. Ergo de consu-
libus bis putat comitiis, sed non aliis quam centuriatis,
iudicatum, de aliis quoque bis, sed non nisi curiatis.
Ab eruditorum vero senatu iam pridem secundum Gruc-
chium fuit iudicatum, vti obseruat V. C. Io. Graeuus
praef. Tom. I. Antiq. Rom.

tributa a minoribus aequae ac maioribus magistratibus haberi poterant. In his suffragium ferebant omnes, qui erant tribubus adscripti, praeter impuberes, aerarios, et sexagenarios, quos depontanos ideo dictos, alibi obseruauimus. Aliquando vnus idemque ciuis in duplici tribu ferebat suffragia, si se dedisset alteri in adoptionem. Tunc enim et patris naturalis tribum retinebat, et tribui patris adoptiui adscribebatur. Hinc Augustus in lapide Brixienti apud Grut. p. CCXXVI, vocatur C. IULIUS, C. F. FAB. SCAPT. CAESAR. AVGVSTVS, quia tribui Fabiae et Scaptiae erat adscriptus. Suet. *Aug.* XL. et ibi Torrent. De his comitiis plura Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom.*

I, 17. p. 212.

LXV. Sed illud suffragiorum ius primus imminuit Iul. Caesar, dictator perpetuus, comitia cum populo ita partitus, vt, exceptis consulatus competitoribus, de cetero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronunciarentur, pro altera parte, quos ipse dedisset. Sueton. *Iul.* XLI. Augustus equidem populo restituit suffragia, reducto pristino comitorum iure, et multiplici poena coercito ambitu: Sueton. *Aug.* XL. ast sub Tiberio denuo ademptum fuit populo ius suffragiorum, et ad solum Principem ac Senatam traductum, seu, vt ea de re Tacitus *Ann.* I, 15. *tunc primum e campo comitia ad patres translata.* Dio Cass. *Hist.* LVIII. p. 633. *sequ.* Reddita quidem esse populo a Caio illa suffragiorum iura, tra-

LXV. Illud sub Imperator mutatum.

ditidem Dio *Hist.* LIX, p. 648. sed Suetonius *Calig.* XVI. tantum *tentasse eum*, ait, *comitiorum more reuocato, suffragia populo reddere.* Certe nec sub eius successoribus in ferendis legibus aliisque rebus maioribus populi suffragia valuisse, iamdudum obseruarunt viri docti (b), Iustus Lips. *Excurs. ad Tacit. Annal.* I, 15. Ez. Spanh. *Orb. Rom.* II, 20. p. 336. Vnde et leges illas de ambitu suo aeuo obsoleuisse fatetur Modestinus l. 1. D. ad Leg. Iul. de ambitu: *quia ad curam principis magistratuum creatio pertinet, non ad populi fauorem.*

LXVI. Ius honorum et quidem sacerdotiorum.

LXVI. Quintum ius ciuium Romanorum fuit ius HONORVM, siue magistratuum, siue sacerdotiorum, quippe quos nemo nisi ciuis Romanus gerere poterat. Si quis enim, ciuitatis expers, honores ad se rapuisset: re compta, honorum gradum cum toto ciuitatis iure

(b) Retenta quidem aliquandiu sunt comitia; sed dicis causa, et tanquam priscae libertatis simulacra. Solebant enim magistratus, a Principe vel Senatu designati, in campum Martium prodire cum necessariis, ibique coram populo, more veteri congregato a praecone pronunciarum. Qua de re Dio Cass. LVIII, p. 634. qui, vbi de perpetuo Tiberii in creandis consulibus modo egisset statim addit: καὶ μετὰ τὸ εἶς τὸν δῆμον, καὶ εἰς τὸ πλῆθος, αὐτοὶ καὶ οἱ προσήκοντες ἐκατέρω τῆς ἀρχαίας ὀσίας ἔνεκα, κατὰ τὸ πρῶτον, ὡς ἐν εἰχρόνι δοκεῖν γίνεσθαι, εἰσίοι τε ἀπεδείκνυτο. Deinde ad populum et plebem hi suis quibusque cum necessariis dicis causa, sicuti nunc etiam, ut imago quaedam priscae ritus exhiberi videretur, prodeuntes reuocantur. Et hinc intelligitur, quoniam sint illa comitia consularia, quorum sub Imperatoribus etiam fit mentio apud Sueton. Vitell. XI. Vesp. V. Domitian. X. Add. Ez. Spanh. *Orb. Rom.* II, 20. p. 338.

re amittebat, vt docet exemplum M. Perpen-
 nae, apud Valer. Max. III, 3. 5. (c). Honores
 partim in sacerdotiis, partim in magistratibus,
 erant positi. Vtrique ex institutō Romuli pro-
 prii erant patriciorum, quia voluerat Romulus
 ἱερεῖαι τῆς ἐυπατρίδας καὶ ἀρχεῖν, vt et sacra
 curarent, et magistratus gererent patricii.
 Dionys. Hal. II. p. 87. Eiectis regibus, post
 multas lites, cum sacerdotia, tum magistratus,
 sensim coeperunt cum plebe communicari. Et
 sacerdotia quidem patriciis eripuit Lex Ogulnia,
 de qua fufius Liu. X, 6. Manserunt tamen pa-
 tricii in possessione aliquot sacerdotiorum, quae
 nunquam a plebeiis sunt gesta, veluti Regis sa-
 crorum, Flaminum maiorum, Saliorum Palati-
 norum, Potitorum, Pinariorum, Lupercorum,
 Curionum, non autem Virginum Vestalium, vti
 sibi persuasit Paull. Merula de Leg. Rom. II, 11.
 Virgines enim Vestae etiam ex gentibus Mani-
 lia, Terentia, Coelia, plebeiis captas esse, ex
 marmoribus apud Grut. *Inscript. p. CCCX, 2. 5.*
CCCXII, 3. patet. Quin Dio Cass. *Lib. LIV. p.*
563. refert, demum in Vestae atrium admissas
 καὶ ἐξ ἐπελευθέρων γεγεννημένὰς ex libertinis pa-
 rentibus natus. Id quod lege quadam Papia in-
 uectum esse, ex Gellii *Noct. Att. I, 12.* docui-
 mus in *Comment. ad Leg. Iul. et Pap. Popp.*
Y 3
Lib.

(c) Non tamen acta eiusmodi magistratus, iure haud facti,
 rescindebantur, vt patet exemplo Barbarii Philippi Prae-
 toris l 3 *D. de offic. Praetor.* De quo memorabili exem-
 plo exstat singularis viri eximii, Iac. Gothofredi Disser-
 tatio, quam de *Electioe Magistratus inhabilis* inscripsit.

Lib. I. Cap. I. p. 2 sequ. Reliqui etiam sacerdotes partim e patriciis, partim e plebeiis creati sunt. Cic. *pro domo XIV.* Et primis quidem temporibus rex sacrificulus centuriatis; flamines curiatis creati reliqui sacerdotes a collegis cooptati. Liu. *XL. 42.* Pestea. C. Licinius Crassus Trib. pl. legem tulit, qua cooptatio collegiorum ad populi beneficium translata, quam tamen dissuasit Laelius. Cic. *Lael. XXV.* Post hunc etiam Cn. Domitius Ahenobarbus Trib. pl. anno 1064. ius subrogandorum sacerdotum a collegiis ad populum transtulit, ita quidem, ut qui a tribubus esset electus, is a collegio cooptaretur, uti docent Sueton. *Neron. II.* Cicero *Agrar. II, 7.* Collegiis arbitrium cooptandi denuo restituit L. Sulla: Afcon. Paedian. in Cic. *Divin. Verr. p. 1759.* ast anno 1064. legem Domitiam reduxit, T. Atius Labienus: Dio *XXXVII, p. 46.* eandem abrogavit M. Antonius teste Dione Cassio *XLIV. p. 269,* ac tertia vice restituit Panfa, ut patet ex Cic. *Epist. ad Brut. V.* Adde Manut. *de Legib. II.*

LXVII. Et
 tuuiftra-
 m-

LXVII. Idem pene de magistratibus observandum. Omnes initio penes patricos erant ex instituto Romuli. Dionys. Hal. *II. p. 83.* Eiectis regibus, idem aliquandiu. placuit. Ast paullo post Tribunos ac Aediles plebis plebs extorsit, qui non poterant per legem sacratam, nisi e plebe, creari. Liu. *IV, 25.* Deinde et Consulum alter plebeius creari coepit, primusque e plebe consul factus est L. Sextius, anno 664. Liu. *VI. extr.* Immo aliquando vter-

uterque consulum plebeius fuit, quod quando primum contigerit, patet ex Liu. xxvii, 31. Cumque in redhostimentum communicati secum consulatus plebs non magistratus patricios, puta praeturam et Aedilitatem curulem, concederet patribus: paullo post hi quoque communes patriciis et plebeiis esse coeperunt, primusque e plebe praetor creatus est P. Publius Philo. Liu. VIII, 15. Aediles autem, verecundia imposita senatui, statim sequente anno, alternis vicibus ex plebe creari, et postea id promiscuum esse coepit. Liu. VII, 1. Postremo omnes omnino magistratus cum plebeiis sunt communicati, veluti Dictatura, Liu. VII, 17. Censura, Liu. VII, 22. Quaestura, Liu. IV, 43. et 54. adeoque omnes honores patuere plebeiis, praeterquam dignitas interregis, quam tanquam propriam possessionem semper retinuerunt patricii. Cicero *pro Domo XIV.*

LXVIII. Sub Imperatoribus alia plane coepit esse rerum facies. Nam quod ad sacerdotia attinet, ius ea conferendi ad se rapiebant Principes, siquidem Senatus, teste Dione Cassio *Hist. LI. p. 457.* inter alia Augusto id quoque concesserat, ut sacerdotes, quocumque vellet, neglecto etiam numero antiquitus recepto, constitueret. Videtur tamen Augustus, uti erat ciuiliissimus, aliquando rem ad Senatum retulisse. Vnde Drusus Germanicus (*d*) in vetere numo dicitur

LXVIII.
Quomodo
sacerdotes
adlecti sub
Imperatoribus?

Y 4

tur

(d) Numus Sacerd. coopt. etc. ad Neronem Claudium pertinet, non ad Drusum Germ. qui Tiberii frater fuit. *Vid. Mediobarbum pag. 88.*

tur SACERD. COOPT. IN OMNI COL
 SVpra NVMER. S. C. Eodem modo et
 aliae dignitates saepe vel ex SCto, vel solis
 Principum codicillis datae sunt. Testis est *vetus*
Inscr. apud Gruter. p. CCC.

LATERANO. ET. RVFINO. COS.

SVPER. NVMERVM.

COOPTATVS. EX. S. C.

M. AVRELIVS. ANTONINVS.

CAES. DESTINATVS.

Vti ergo hic consul SCto; sic et sacerdotes facti
 sunt codicillis, vnde et codicillares dicti, de qui-
 bus Lamprid. *Alex. Sen. XLIX. Add. l. 43. C.*
Theod. de decurion. l. 12. C. de dignit.

LXIX. Quo-
 modo creati
 magistratus?

LXIX. Ad magistratus denique quod attinet,
 eos quoque suo arbitrio creabant Principes, ea
 que dignitate non solum Romanos, sed et ex-
 teros, ornabant; qualis procul dubio fuit ille
 Herodes, Atticus, bis Consul, de quo copiosius
 agit Ez. Spanh. *Orb. Rom. II, 20. p. 341.* Talis
 etiam Soaemus, Rex Armeniae, qui a Vologae-
 so pulsus Romam confugerat, mutatoque no-
 mine dictus M. Aurelius Soaemus, Consulque
 ordinarius fuit anno V. C. DCCCCXV. cum
 L. Papirio Aeliano. Phot. *Biblioth. Cod. XCIV.*
Reines. Comm. ad Inscr. p. 219. Mitto Dionem
 Cassium, Polemonem, aliosque consules pere-
 grinos. Inprimis vero post constitutionem illam
 Antonini Caracallae adeo promiscue ad sum-
 mos honores euecti sunt Romani, Itali, et ex-
 teri, vt ne barbaris quidem ac peregrinis, qui
 orbem Romanum iam ab aliquo tempore com-
 pleuerant,

pleuerant, via ad honores interclusa videretur. Vnde vti Roma βαρβάρων οικητήριον *barbarorum domicilium* dicitur Zosimo IV, 59. ita non mirum est, ibi consulares fasces aliasque dignitates demum et cum barbaris et peregrinis esse comunicatas. Nazar. in *Panegy. Constant. Aug.* dicto: *Sensisti Roma tandem te arcem omnium gentium et terrarum esse reginam, cum ex omnibus prouinciis optimates viros curiae tuae pignoraueris, vt Senatus dignitas non nomine quam re, esset illustrior, cum ex totius orbis flore constaret.* Aristides de Roma p. 372. *Ξένος δ' ἔδειξ, ὅστις ἀρχῆς ἢ πίστεως ἄξιός ἀνὴρ.* *Peregrinus habetur nemo, qui vir sit dignus magistratu aut fide.* Denique Rutilius Numatian. *Itiner. I. v. 13.*

*Religiosa patet peregrinae curia laudi,
Nec putat externos, quos decet esse suos.*

Ordinis imperia collegarumque fruuntur:

Et partem Genii, quem venerantur, habent.

Vid. Spanhem. *Orb Rom. II, 20. p. 344 sequ.*

LXX. Vltimum esto *IVS SACRORVM*, quod et ipsum iuribus ciuitatis Romanae adnumerandum est. Sacra Romanorum omnia aut publica erant, aut priuata. Publica, censente Festo voce publica p. 385. erant ea, quae publico sumtu pro populo fiebant: priuata, quae pro singulis hominibus et familiis. Tam necessarium enim videbatur, sacra publica, sumtibus publicis peragi, vt, Theodosio M. negante, se impensas in sacrificia Romanorum superstitionissima facturum, responderet Senatus, *μη̄ κατὰ θεσμὸν πράττεται τὰ τελέμενα, μη̄ δημοσίῃ τῷ*

LXX. Ius sacrorum, tum publicorum.

δαπανήματος ὄντος, non rite fieri sacrificia, nisi publico fierent sumtu. Zosim. *Hist. IV*, 59. Publicum totius urbis focum Vestales sanctissime obseruabant: publicos curiarum focos triginta cum suis curialibus curiones, pagorum ipsi singulorum pagorum sacerdotes. Priuatim suos quisque Lares familiares domi colebat. Quin et sacerdotes familias aluisse, qui sacris istis priuatis praeessent, satis apparet ex marmore apud Reines. *Inscr. Class. V*, 53. in quo memoratur L. PALITICENVS. L. F. PHILIPPICVS. SACERDOS. SERG. FAM. Dii neque noui neque exteri adscisci poterant a Romanis, nisi publica auctoritate, quemadmodum Aesculapium ex Epidauro, Cybelen e Phrygia publico decreto accitos, et quasi ciuitate donatos esse constat. Petr. Faber. *Semestr. III*, 1. Ampl. Bynkersh. *de Relig. peregr. Diss. II*. p. 246, sequ. Hinc si quis priuato arbitrio peregrina sacra induxerat: Senatus ea publica auctoritate damnabat. Quale quid refert Liu. *IV*, 30. *XXV*, 1. *XXXIX*, 16. Valer. Max. *I*, 3. Integrum Sctum Marcianum, Bacchanalibus oppositum, edidit Raph. Fabrett. *Inscr. cap. VI*. p. ccccxxvii. et luculento commentario illustrauit laudatus Bynkersh. *ibid.* At sub Imperatoribus omnis exterarum gentium superstitio Romam confluit, veluti Sacra Isides, Anubidis (e), Mithrae, Dei Elagabali, taurobolia, criobolia, aegobolia, et innume-

(e) Serapis, quem ante alios Deos coluit Aegyptus, uti Tarcitus ait *Hist. V*, 84. Romae quoque in Circo Flaminio, nona Urbis regione, templum accepit a Constantino Victore.

numera alia, de quibus iam ab aliis actum. Ab his omnibus abhorruerant Romani tempore liberae reip. et sacra patria adeo sibi propria seruauerant, vt vel ideo municipes non viderentur optimo iure ciues esse, quia non iisdem ac ii, qui Romam incolebant, Diis sacrisque vterentur (f). Sigon de ant. iure ciu. Rom. I, 8. p. 116.

LXXI. Sed erant praeter haec sacra publica LXXI. Tum
quaedam gentium propria, vel, vt Liuius V, 52. priuatorum.
vocantur, *gentilitia*, a quibuslibet familiis ex vsu domesticae celebritatis obseruanda, vt ait Macrobius *Saturn. I, 16*. Ea adeo vnius gentis erant, vt nemo illorum esset particeps, nisi qui vel natura, vel pontificum auctoritate, in patrisfamilias manu ac potestate esset, quales erant uxores, quae in manum conuenerant, liberique, tum naturales, tum adoptiui. Colebantur vero domi Penates, iisque etiam anniuersaria sacra ab vniuersa gente fiebant, ne feruente quidem bello intermittenda, vt patet ex Liu. V, 52. Quale in gente Fabia erat sacrificium statum, in monte Quirinali quotannis peragendum, de quo Liu.

(f) Ea tamen sacra municipalia ne tunc quidem deserebant municipes, quando Romam commigrauerant, Festus *municipalia* p. 324. *Municipalia sacra dicta sunt ea, quae initio habebant ante ciuitatem Romanam acceptam, quae obseruare eos voluerunt pontifices, et eo more facere, quo assueuissent antiquitus.* Vnde de se et Arpino municipio suo loquens Cicero de *Leg. II, 2*. *Hic gens, hic sacra, hic maiorum multa vestigia.* Quemadmodum ergo municipes Romam commigrantes seruabant sacra municipalia: ita et coloniae retinebant sacra populi Romani, ceu erudite probat Henr. Noisius. *Cenotaph. Pisan.* *Diss. I. Cap. 5. p. 72.*

Liu. V, 46. Dionys. Halic. *Ant. Rom.* IX. p. 577. Simile gentis Claudiae folleone memorat Dionys. Hal. XI, 696. gentium Aemiliae, Iuliae, Corneliae, Macrobius *Saturn.* I, 16. gentis Seruiliae Plinius *Hist. Nat.* XXXIV, 13. Atque inde intelligitur, quid sibi velit Cicero *de Harusp. Resp.* XXVII. quando in posteros transferri ait *parentum nomen, sacra, memoriam, gentem.*

LXXII. Ciuitatum duarum vel plurimum cuius nemo esse poterat.

LXXII. Haec sunt illa iura Quiritium ciuicumque Romanorum, quae omnes, qui optimo iure ciues erant, consequerantur. Illud vnum addendum videtur, fuisse quaedam iurisprudentiae Romanorum publicae principia, aliis ciuitatibus incognita. Tale erat illud, I. quod vetere iure (g) nemo posset simul Romae, alteriusque ciuitatis ciuis esse. Cicero *pro Corn. Balbo* XXVIII. *Duarum ciuitatem ciuis esse nostro iure ciuili nemo potest: non esse huius ciuitatis ciuis, qui se alii ciuitati dicauit, potest.* Et in oratione *pro A. Caecina* XXXVI. *Nam cum ex nostro iure duarum ciuitatum nemo esse possit, tum amittitur haec ciuitas denique, cum is, qui profugit receptus est in exilium, hoc est, aliam ciuitatem.* Hoc secus fuisse in Graecia, vbi multarum iidem homines ciuitatum esse potuerint, idem obseruauit Cicero *pro Archia* V. Idque cum ex allis exemplis patet, quae colligit Ez.

Span-

(g) Aliud iure nouo. Nam saepe quibusdam ciuibus Romanis concedebant Imperatores, vt alterius quoque ciuitatis ius haberent. Sic Dionis Chrysofomi auus ab Imperatore ἄμα τῆς Ῥωμαίων πολιτείας, καὶ τῆς Ἀπαμείων ἔτυχεν, simul Romanam et Apamensem ciuitatem obtinuerat, Dio Chrysof. *Orat.* XI. I. p. 500.

Spanhem. *Orb. Rom. I, 5. p. 25.* tum maxime ex marmore illo apud. Reines. *Inscript. p. 100vii.*

C. CALPVRNIUS. ASCLEPIADES.

PRVSA. AD. OLYMPVM. MEDICVS.

PARENTIBVS. ET. SIBI. ET. FRATRIB.

CIVITATES. VII. A. DIVO. TRAIANO.

IMPETRAVIT.

At Romae hoc vt dixi, nemini licebat, siquidem ciuitatem is amittebat statim, qui alteri se ciuitatis adscribi passus erat. Hinc de T. Pomponio Attico Cornel. Nepos *in vita eius III. Athenis autem sic se gerebat, vt communis infimis, par principibus videretur. Quo factum est, vt huic omnes honores, quos possent, publice haberent, ciuemque facere studerent. Quo beneficio ille vti noluit (b): quod nonnulli ita interpretantur, amitti ciuitatem Romanam, alia adscita.* Atque hinc intelligitur, qui factum sit, vt ii, quibus aqua et igni fuerat interdictum, tum demum ciuitatem Romanam amitterent, cum in eam ciuitatem essent recepti, quo vertendi, id est, mutandi soli causa venissent. Cicer. *pro Domino LXXVIII.* Qua de re diximus supra *Lib. I. Tit. XVI. §. X.*

LXXIII. Accedit et alterum iuris publici principium, II. quod ciuitatem nemo amittere posset, nisi ipse esset auctor factus; Cic. *pro Domino LXXVIII.* de quo iure eodem loco diximus,

LXXIII. Ciuitatem inuitus nemo amittebat.

(b) Hinc de solo domicilio Athenis constituto intelligendus est Cicero, quoties hunc T. Pomponium *ciuem Atticum* appellat, quod facit *Epist. ad Attic. I, 16. II, 1. vbi Demosthenem Attici ciuem* vocat.

mus, et ex Ger. Noodt addidimus, fictionem semper intercessisse, si quando vel poenae loco, vel ob aliam causam (*i*), quibusdam ius ciuitatis adimeretur. Hinc ad artes Sullae tyrannicas pertinet, quod municipiis quibusdam ciuitatem, lege centuriatis comitiis lata, eripuit. Cic. *pro Domo LXXIX*. Sallust. *Fragm. Hist. I*. Sed quod semel tentauerat Sulla, saepius deinde factitabant Imperatores et quocumque principatum Romae adfectabant. Sic Antonium agros, ciuitatem, immunitates, aliosque id genus honores priuatis et regibus, ademisse, tradit Dio Cass. *Hist. XLV. p. 282*. Augustus quoque, confectis bellis, libertatem ac ius ciuitatis aliis dedit, aliis ademit, teste eodem Dione *Hist. LIV. p. 538*. Et Claudius ciuitatis iure priuauit legatum, Lycium origine, quia Latine interrogatus, quod quaesitum esset, haud intellexerat. Dio Cass. *Hist. LX. p. 676*.

CAP. II.

DE IVRE LATII.

LXXIV. *Va-*
ria Latino-
rum nomi-
na.

LXXIV. Sufficere haec dicta arbitramur de iuribus ciuium Romanorum. Proximum est, vt de IVRE LATII differamus, quod proxime accessisse ad ciuitatis Romanae praerogatiuam, iam supra diximus. Idque vel inde patet, quod

(*i*) Tribus ex causis amitti videbatur ciuitas, *exilio*, illo scilicet, quo bona veniebant et aqua et igni interdicebatur, *postliminio*, et *reiectione ciuitatis*. Cic. *pro Balbo XXVIII, XXIX*. Pomp. *l. 3. §. 3. D. de capt. est postlim.*

quod Dionys. Hal. VIII. p. 540. eos μετέχοντας τῆς ἰσοπολιτείας *participes iuris*, quod civitatem quasi aequat, eleganter appellat. Multa vero Latinorum fuere nomina. Dicti enim sunt *socii (k)*, *socii Latini*, *socii nominis*, *Latini*, *socii nomenque Latinum*, *socii ab nomine Latino*, *socii ac Latium*, vti productis ex Liuvio, Sallustio, Valerio Maximo, testimoniis ostendit Car. Sigon. *de ant. iure Ital. I. p. 473.*

LXXV. Latini ergo vel socii Latini nominis, temporibus antiquissimis erant *Latii incolae*, *populi Romani foederati*, *Iure Latii donati*, vt eos definit Sigon. *de iure Ital. I, 2. p. 476.* *Latii incolae* dicuntur, vt a reliquis Italis; *populi Rom. foederati*, vt a Latii incolis, qui tamen Latii iure haud fruebantur, fecernerentur.

LXXV. Qui et quales fuerint?

LXXVI. LATIVM olim duplex erat, VETVS et NOVVM. Vetus a Tiberi ad Circeios; novum a Circeiis ad Lirim et Sinuessam vsque productum est. Paulo latius vtriusque Latii terminos profert Seruius ad Virg. *Aeneid. I, v. 6.* *Latium duplex est, unum a Tiberi ad Fundos, aliud inde vsque ad Vulturum fluuium.* Sed errorem huius Grammatici iam alii ostenderunt. Latium ergo vetus Tiberi, Aniene, Vfonte, fluuiis,

LXXVI. Foedera cum populis Latii antiquissima,

(k) Saepe tamen confunduntur nomina, vt et Italici iuris homines sociorum et Latinorum, et Latini Italicorum nomine veniant. Quod itidem recte monuit Car. Sigon. *l. c. p. 474.* Id cum non attenderent recentiores quidam scriptores, ceteroquin eruditissimi: mirum in modum totam hanc differentiam Latinorum ac Italicorum peruerterunt. Exemplo esse potest Harduin. *Nor. et Emendat. ad Plin. p. 389. Tom. I.*

uiis, marique Tyrrheno concludebatur, illud-
 que infederant *Albani, Rutuli, et Aequi*. No-
 uum, quod ab Vfonte fluuio ad Lirim protendi-
 tur, Oſcis, Auſonibus, Volſcis, praebuit fedes.
 Plin. *Hiſt. Nat. III, 5*. Strabo *Geogr. V, p. 231*.
 Ex his primi foedus cum Romanis Albani iam
 ipſius Romuli tempore fecerant, quo cautum
 fuerat, vt ne bellum inter ſe gererent ſociae ciui-
 tates, alioquin, quae bellum intuliſſet prior,
 alterius iudicium ac mulctam ſubiret. Dionyſ.
 Hal. III, p. 138. Addit Strabo *Geogr. IV, p. 165*.
 tam arctam fuiſſe inter hos populos neceſſitudi-
 nem, vt, cum proprium vterque regem haberet,
 connubia tamen, et ſacra, et cetera iura ciuilia,
 communia haberent. Victis poſtea a Tullo Ho-
 ſtilio Albanis, ex foedere impetratum eſt, vt
 iuuentutem in armis haberent, vtendam a Rege
 Romanorum cum reſ poſtularet. Liu. I, 26. Di-
 rura paullo poſt Alba, legatos Romani miſerunt
 ad triginta vrbes, quae in Albanorum fuerant
 ditio, poſtularuntque, vt et ipſi dicto eſſent
 audientes. Abnuentibus hiſ, nouum exarſit bel-
 lum, quo in quintum annum populationibus
 magis, quam iuſtis praeliis, extracto, pax de-
 mum facta, foedusque renouatum eſt. Dionyſ.
 Hal. III. p. 175. Rege hoc morte intercepto,
 plerique Latini ſoluta eſſe Regis obitu foedera
 dicebant. Vnde maiore conatu domiti a Tar-
 quinio Priſco, eas pacis conditiones accepe-
 runt, vt agros ſuos ac leges haberent, ac ſocii
 populi Romani dicerentur illi quidem ſed ad re-
 gis tamen Romani mandata armati praesto eſ-
 ſent.

sent. Dionys. Hal. III. p. 191. firmavit id foedus Tarquinius Superbus, Liu. I, 52. qui, ut tanto sanctiore vinculo sibi conglutinet hos socios, primus ferias Latinas, Romanis cum Latii populis communes, instituit. Dionys. Hal. IV. p. 250.

LXXVII. Exactis regibus novum statim bellum coortum est cum Latinis, qui a Romanis denuo desciverant. Cum his tamen, ab A. Postumio Dictatore victis ad lacum Regillum, denuo foedus percussum A. V. C. CCLX. Sp. Cassio Vicellino et Postumo Cominio Aurunculo II. Coss. iis legibus, *ut inter Romanas Latinasue civitates omnes aeterna pax esset, neque ipsae inter se bellarent, neque aliunde hostes inducerent, neque hostibus tutos transitus praebarent, sed bello oppressis opem pro virili ferrent, spoliarum ac praedae partem aequalem haberent: priuatarum litium iudicia illi, quibus mandata cognitio fuerit, intra decem dies peragerent: hisque legibus nihil addi denique possit, nisi si Romanis, Latinisque ita placuisset.* Hanc enim foederis formulam (1) nobis servavit Dionys. Hal. VI. p. 15. quo cum iungendi sunt Liu. II, 22. et Cic. *pro Corn. Balbo XXI.* Et hoc est foedus illud Latinorum, quod ceteris firmitus mansit. Quamvis enim subinde rebellarint Latini, veluti

LXXVII. Ea deinde facilius repetita.

(1) Pluribus tamen aliis capitibus illud constituisse vel ex Festo apparet, qui *voce nancitor.* p. 327. etiam haec foederis verba allegat: PECVNIAM QVI NANCITVR, HABETO, ET SI QVID PIGNORIS NANCISCITVR, SIBI HABETO.

veluti A. V. C. CCCLXVI. et CCCIV: saepe tamen victi, saepe reducti ad officium, postremo illius foederis leges, quod cum Latinis omnibus Sp. Cassio et Postumo Cominio Coss. initum fuerat, recuperarunt (*m*), vt patet ex Cic. *pro Corn. Balbo XXIII.*

LXXVIII.
Foedus cum
Volsceis et
Aequis.

LXXVIII. His antiqui Latii populis accessere deinde Volsci et Aequi, *Latinorum*, iudice Floro *Hist. Rom I, II. peruicacissimi, et quotidiani prope Romanorum hostes.* Volsceis, si Dionys. Hal. III. p. 181. credimus, Ancus; sin Lit. I, 53. Tarquinius Superbus primus bellum intulit, qui et Aequos adgressus est. Postea ab A. V. C. CCLVIII. variis ac pene anniuersariis praeliis attriti, demum A. V. C. CCLXXXIV. Antium, maritimum oppidum, amiserunt, annoque insequente iis legibus impetrarunt pacem, vt legibus suis vtentes, priuatis stipendiis pro Romanis iussi militarent. Dionys. Hal. IX. p. 616. Ast statim ad arma redierunt Aequi et Volsci. Vnde aliquoties fusi fugatique, quin et sub iugum aliquando missi sunt, donec A. A. C. CCCCXLIX. a P. Sempronio Sopho consule pene deleti et ad internecionem caesi sunt. Tamen et hi postremo propter cognationem in latii iura adsciti sunt, vt patet ex Cic. *pro Balbo XIII.* quamuis, quo id tempore factum sit, nondum mihi liqueat

LXXIX.

(*m*) Postremo enim bello a Q. Publicio Philone Coss. ad internecionem caesi, plerisque iuribus fuerant spoliati, ex eoque tempore etiam concilium Latinorum ad lucem Ferentinae conuocari desierat, ceu ex Cincianis commentariis obseruat Fest. *voce praetor. p. 376.*

LXXIX. Idem dicendum de Hernicis, quos primus Tarquinius Superbus societate deuinxerat, Latinarumque feriarum fecerat participes. Dionys. IV. pag. 152. Dein A. V. C. CCLXVIII. bello petiti a Sp. Cassio, tertium Consule, cum victi pacem petiissent, easdem conditiones, quas Latini, quin ciuitatem sine suffragio impetrarunt. Quo fit, vt saepe a Latinis seiungantur, neque adeo eos in Latinorum corpore fuisse, ex Liuiio et Dionysio euincit Car. Sigon. de ant. iur. Ital. I, 6. p. 107. Postea anno CCCXCI. nouum cum Hernicis bellum exarsit: eoque finito, tertium, cuius omnes huius gentis ciuitates erant participes, praeter Alatrinates, Ferentinates et Verulanos. Liu. III, 42. Tribus illis, quia ciuitati Romani *ἀπονομίαν* praeferebant, suae leges redditae, A. V. C. CCCXLVII. Anagninis, et qui arma Romanis intulerant, *ciuitas sine suffragii latrone data, concilia connubiaque adempta, et magistratibus, praeterquam sacrorum curatione, interdicitum.* Liu. IX, 43. Sed Hernicos istos *ἀπονομίαν* postremo iura Latii habuisse, vel inde patet, quod Ferentinates Latinis adiungit Liuius XXXIV, 41.

LXXIX. Idem cum Hernicis.

LXXX. Latium nouum quando dici coeperit, quandoque Oscis et Ausonibus ius Latii datum sit, non magis certum est. Sigonius existimat, his populis, ad internecionem deletis, Liu. IX, 25. in hanc regionem Latinorum gentem esse immissam, atque inde Latium nouum appellatum: id quod ipse inter Tarentinum Punicumque bellum factum coniicit. Sed

LXXX. Cum incolis Latii noui.

quemadmodum id nullo testimonio comprobari potest: ita certissimum est, nouum hoc Latium iura Latii veteris esse consecutum, siquidem Appianus *de Bello ciuil. I. p. 374.* Latinos, quos ab Italis seiungit, ad Lirim vsque in populi Romani fide mansisse scribit.

LXXXI. Latini demum ciuitate donati.

LXXXI. Et hae sunt illae gentes, quibus ius Latii antiquissimis temporibus datum est. Hoc iure contenti fuerunt vsque ad bellum illud sociale vel Marsicum, quo confecto A. V. C. DCLXIII. lege Iulia, et proxime insequente lege Plotia omnes focii ac Latini nominis, immo et Itali ciuitate Romana donati sunt, ceu supra *num. IX.* obseruauimus.

LXXXII. Ius Latii deinde aliis populis et ciuitatibus datum.

LXXXII. At quamuis Latini in ciuitatis Romanae iura transiissent: non ipsum tamen ideo exspirabat ius Latii, quippe quod ab eo tempore cum multis ciuitatibus, tum et coloniis, extra Italiam, concessum legimus. Sic Nemaufensibus ius Latii datum esse, patet ex Strabone *IV. p. 157.* Nouocomensibus idem ius dederat vel Iul. Caesar, vt tradit Appian. *Bell. ciuil. II. p. 443.* vel Pompeius Strabo, vt mauult Ex. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I. Cap. II. p. 62.* Is enim Pompeius omnibus Gallis Transpadanis ius Latii concesserat teste Ascon. Paedian. *in Cicer. aduers. Pison. p. 2062.* Eodem exemplo Nero nationes Alpium maritimarum: vniuersam Hispaniam Vespasianus; multas alias ciuitates Hadrianus in ius Latii transtulerunt. Tacit. *Annal. XV. 31.* Plin. *Hist. Nat. III, 3.* Spartian. *Hadr. XXI.* De coloniis Latinis paullo post erit dicendi locus.

LXXXIII.

LXXXIII. Nouum Latinorum genus reper-
tum sub Tiberio, lata lege Iunia Norbana, qua
cautum, vt modis minus sollennibus manumissi
non iura ciuitatis Romanae, sed Latii tantum,
consequerentur. Vnde hi libertini dicti LATI-
NI IUNIANI, vt distinguerentur a *Latinis co-*
lonariis (n) quibus ceteroquin, quod ad ius ciui-
le attinet, adsimilabantur. *l. vn. C. de Lat. libert.*
toll. Fragm. Iureconf. vct. Pithecanum apud Cl.
Schulting. *Iurispr. vet. anteiust. p. 805.* Sed
quemadmodum Latinos colonarios vna cum
ingenuis omnibus ciuitate Romana donauerat
Antoninus Caracalla, celeberrima illa ac saepe
a nobis citata constitutione: ita Iunianam etiam
libertinorum Latinitatem sustulit Instinianus *d.*
l. vn. C. de Lat. libert. toll.

LXXXIII. Iu-
tini Iuniani
libertinae
conditionis.

LXXXIV. Iam vt ad iura Latii perueniamus:
ea, licet proxime ad ciuitatem Romanam acce-
derent, non eadem tamen fuerunt ac iura ciui-
um Romanorum. Quod adeo verum est, vt Boe-
thius *in Top. Cic. II.* scribat, eos mediam pati
capitis deminutionem, qui ciues Romani in La-
tinas colonias mitti se paterentur. Operae ita-
que pretium fuerit, quid inter ciues Romanos
Latinosque, quod tam ad ius priuatum, quam
ad publicum attinet, interfuerit, paullo accu-
ratiùs disquirere.

LXXXIV. La-
tini fuere ci-
uibus dete-
rioros.

Z 3

LXXXV.

(n) Perspicue itaque fallitur V C, Claudius Salmastius,
dum Latinas colonias e libertinis constituisse, existimat.
de modo vsur. XIX p. 878. seq. Alii profecto erant La-
tini *lib. iuni vel Iuniani*, alii Latini *colonarii*, quippe
ingenui, et honorum in suis coloniis capaces. Vid.
Ezech. Spanh. Orb. Rom. I, 8 p. 47.

LXXXV. Non
gaudebant li-
bertate iuris
Quiritium.

LXXXV. Vidimus supra, qualis fuerit, ciuium Romanorum LIBERTAS Latini et ipsi quidem gaudebant libertate, sed iuris gentium, non illa iuris Quiritium, quam supra descripsimus. Salmum quod Lex Porcia sanxerat de ciuium libertate a verberibus, non aequae valuit in Latinis. Cum enim Nouocomenses, iure Latii donati a Q. Pompeio Strabone, paullo post a Caesare ciuitatis iura essent consecuti: M. Marcellus Consul Nouocomensem quendam, in Caesaris contumeliam, virgis caedi iussit, tanquam peregrinum, vt scribit Appianus *de Bello ciu. II. p. 443.* et quidem Latinum. Ad Latinitatem enim quod attinet, status controuersiam Nouocomensibus mouere haud potuisset Marcellus, quippe quam dudum ante Caesarem fuerant a Pompeio Strabone consecuti. Ascon. Paedian. *in Pisonian. p. 2062.* Simile quid obseruat Diodor. Sic *in Excerpt. Pefirescian. p. 273.* vbi de Clodio; τὸς μὲν πολιτικὰς τοῖς πατέροις ἐθεσιν ἐκόλαζεν ἀπαραιτήτως, τὸς δὲ συμμαχὰς βασιδαῖς ἐμασίγῃς. *In Romanos quidem more maiorum animaduertit citra spem veniae: socios autem virgis cecidit.* Et Sallust, *de Bell. Iugurth. Cap. LXIX.* referens, Turpillium, praefectum, Vaccae oppido impositum, a Metello verberatum, capitis poenam soluisse, ne cui id mirum videatur, statim subiungit: *Nam is ciuis ex Latio erat.* Ex quo sane patet, non aequae ad Latinos, ac ad ciues, pertinuisse libertatem illam, quae ex lege Porcia descendebat (o),

LXXXVI.

(o) Erroris me hic arguit V. C. Christ. Gottl. Schwarzus in
crudita

LXXXVI. Ad CONNŪBII ius quod attinet, illud Latini populi ne inter se quidem promiscue habebant ex foedere antiquo, nedum cum ciuibus Romanis. Prius discimus ex Liu. VIII, 14. IX, 43. ex quibus locis patet, nemini Latinorum et Hernicorum licuisse extra fines regionis suae uxores ducere: posterius vel inde colligimus: quod ne iis quidem, qui sine suffragii iure ciuitate fuerant donati, cum ciuibus Romanis ius esset connubii. Campani sane, qui pridem ciuitatem sine suffragii iatione fuerant consecuti, postea demum impetrauerunt, *vt sibi ciues Romanas ducere uxores liceret, et, si qui prius duxissent, vt habere eas, et ante eam diem nati vt iusti sibi liberi heredesque essent.* Liu. XXXVIII, 36. Quanto minus ergo Latinis hoc ius connubiorum fuisse, credas? Et certe clarissime Ulpianus: *Fragm. V, 4. Connubium habent ciues Romani cum ciuibus Romanis: cum LATINIS autem et peregrinis ita, si concessum sit.* Sic et ipsum ius sponsaliorum nuptiarumque aliud fuisse Latinis, aliud ciuibus Romanis, apparet ex Gell. *Noct. Att. IV, 4.* vbi ex Cn. Sulpicio docet, sponsum Latinum agere potuisse

LXXXVI.
Nec iure
connubii
cum ciui-
bus.

Z 4

ex

erudita de Iure Italiae Differtatione p. 16. existimans etiam Latinis et Italis hanc libertatem competiisse, idque probat ex Gell. *Noct. Att. X, 3.* vbi Gracchum in oratione quadam conquestum ait, *M. Marium et quosdam ex municipiis Italicis honestos viros virgis per iniuriam caesos a magistratibus populi Rom.* Sed Gellius manifesto loquitur de municipiis Italiae, adeoque de vrbibus, non Latini iuris, sed ciuitatem Romanam consecutis, qualia post legem Iuliam erant omnes, ante legem Iuliam quam plurimae.

ex sponſu in id, quantum intererat, eam vxorem non datam: cum contra ciuibus Romanis, vt ſupra diximus, infinita eſſet repudiorum licentia *l. i. C. de ſponſal.*

LXXXVII.

An habuerint ius patrimonium, legitimi domini, teſtamenti ſacriſionis.

LXXXVII. Quale fuerit apud Latinos ius PATRIAE POTESTATIS, in tanto veterum ſilentio non conſtat. Id ſaltem certum videtur, *nullos fuiſſe homines*, (adeoque nec Latinos,) *qui talem habuerint in liberos poteſtatem, qualem Romani habebant.* §. 2. *Inſt. de patr. pot.* Nec omitendum videtur, paullo plus in Latio poteſtatis fuiſſe matri, quam Romae. Id enim non obſcure patet ex controuerſia Ardeeniſi apud Liu. IV, 9. Latini Iuniani habebant ius MANCIPATIONIS, Vlp. *Fragm. XIX, 4.* adeoque etiam coloniarii Latini, quibus aequati illi erant lege Iunia Norbana. *Vetus Fragg. Iurec. apud Pitb. n. VIII.* An vero etiam veteres Latini eodem iure uſi ſint, nondum conſtat. Porro TESTAMENTVM non faciebant Latini: ſaltem iure Romano Vlp. *XX, 14.* (nam alioquin et extra Romam Italos iam inde ab antiquiſſimis temporibus teſtamenta condidiſſe, ſatis conſtat Liu. I, 3. I, 34.) Iidem Latini nec ex ciuis Romani teſtamento quidquam capiebant, niſi intra dies cretionis ciuitatis Romanae iura impetraſſent. Vlpian. *XXII, 3.* Haec ſunt, quae veteres nos docent: plura cum muta hic ſint antiqua monumenta, addere non licebit.

LXXXVIII.

Suis utebantur legibus, niſi fundi facti.

LXXXVIII. Suis ergo, ceu ex his patet, legibus utebantur Latini, nec iuris Quiritium fiebant

bant participes (p). Licebat tamen iis, si vel-
 lent, leges Romanorum in suas ciuitates recipe-
 re, vel, vt veteres loquuntur, poterant populi
 FVNDI fieri. Qua de re Cicero *pro Balbo VIII.*
Sed totum hoc, iudices in ea fuit positum semper
ratione atque sententia, vt, cum iussisset populus
Romanus aliquid, si id adsciuisent socii populi
ac Latini, et si ea lex, quam nos haberemus,
eadem in populo aliquo, tanquam in fundo rese-
disset, vt tum lege eadem populus is teneretur,
 non VT DE NOSTRO IURE ALIQUID
 MINVERETVR, *sed vt illi populi aut iure eo,*
quod a nobis esset constitutum, aut aliquo com-
modo et beneficio vterentur. Tulit apud maio-
res nostros legem C. Furius de testamentis, tulit
Q. Voconius de mulierum hereditatibus: innu-
merabiles aliae leges de iure ciuili sunt latae,
quas Latini voluerunt, adsciuerunt. Quicumque
 ergo populi leges Romanas adscisciebant, et iis
 subscribebant, illisque in ciuitatibus suis uteban-
 tur, ii FVNDI dici solebant, non a statu quo-
 dam, vel conditione, quemadmodum dici solent
 populi *foederati*, vel *liberi*, sed a facto, quod
 scilicet legibus populi Rom. subscripsissent.
Fundus enim auctor est, vel subscriptor. Gell.
Noct. Att. XIX, 8. Haec ego dixi non vt huius
 Z 5 sen-

(†) Quaeri solet, an omnes, quibus ius suffragii datum,
 legibus sui spoliati, et, vt *populi fundi* fierent coacti
 sint? Affermat Sigon. *de antiquo iure Ital. II, 7.* Sed quid
 dicemus de *Putcolis*, quod *municipium cum illustre* fue-
 rit, teste Cicero *pro Coel. XI.* suo tamen iure liberta-
 teque vti dicitur eidem *Agrar. II, 32.* *Com. Schwartz.*
de iure Ital. §. V. p. 14. seq.

quibus res, in se clarissima, obscurari fere magis, quam illustrari videtur. Pleniora bonae frugis sunt, quae ad illam pro Balbo orationem commentatus est V. C. Io. Georg. Graevius.

LXXXIX. Quemadmodum ergo iure priuato diuerso admodum vsi sunt Quirites et Latini: ita, quod ad ius publicum attinet, paullo propius ab illorum praerogatiuis abfuerunt. Consistebant ciuitatis iura in censu, militia, tributis, suffragiis, honoribus, et sacris. Latinos Romae CENSOS esse, nusquam lego, nisi furtim aliquando in tabulas censuales irreperent, quod deinde lege Claudia, Papia, et Licinia Mutia vetitum esse, supra obseruauimus §. LII. At ex Liu. XLI, 13. constat, Latinos in ciuitatibus suis esse censos. Verosimile itaque est, in Latii ciuitatibus non minus ac Romae censum fuisse actum a magistratibus, tabulasque censuales deinde Romam missas. Id enim etiam in coloniis fieri solitum, nemo ignorat.

LXXXIX.
Erat Latini
ius census.

XC. Porro et MILITIAE iure, sed paullo adstrictiore, gaudebant Latini. Primo enim ne pro se quidem tuendis arma expedire poterant, iniussu populi Romani, vt testatur Liu. III, 19. Deinde militabant quidem cum Romanis, verum non vt legionarii, sed tanquam socii, vt accurate ex Polybio docet Lips. *de milit. Rom. I, 6. p. 48.* Vnde minus rem acu tetigit Car. Sigon. *de ant. iur. Ital. I, 4. p. 494.* qui Latinos inter auxilia ponit, quae Varro *de Lingu. Lat. IV, 16. p. 16.* ex alienigenis; Festus *p. 256.* ex sociis exterarum nationum constituisse, ait. Tum demura

XC. Vt et
ius militiae
inter socios.

demum ergo hi esse coeperunt focii et auxiliares, cum Latini et Itali ciuitate donati, legionariae militiae praerogatiuam consequerentur. Id porro addendum, fociis et Latini nominis semper triplicem equitum, aliquando et peditum numerum imperasse Romanos. Sic apud Liu. III, 22. duae partes sociorum in exercitu, tertia ciuium erat. Idem XXI, 17. refert, quatuor et viginti peditum Romanorum millia fuisse scripta mille et octingentos equites: sociorum quadraginta quatuor peditum, et quatuor equitum. Alia exempla sunt apud Liu. XXXVI, 12. XXXV, 2. et alibi passim. Vnde non iniuria queruntur apud Velleium Paterc. *Hist. II, 15. per omnes annos, atque omnia bella, duplici numero se militum equitumque fungi, neque in eius ciuitatis, ius recipi, quae per eos in id ipsum peruenisset fastigium, per quod homines eiusdem et gentis et sanguinis, ut externos alienosque fastidire possent.* Denique obseruandum, Latinos, quemadmodum legionis ius haud habebant, ita nec eodem modo, quo milites Romanos fuisse castigatos. Nam et virgis caedebantur, quas cum a Latinorum militum corpore lege auctoritate Senatus lata, remouere tentaret, M. Liuius Drusus, Tribunus plebis: eam legem nunquam obseruarunt Imperatores, qui remoto virgarum metu, in officio se continere exercitum posse negabant. C. Sigon. *de antiquo iure Ital. I, 4. pag. 496.* Exemplum Turpillii est apud Sallust. *de Bello Iugurth. LXIX. Iussus a Metello causam dicere, postquam parum se*

se purgat, condemnatus, verberatusque, capitis poenas soluit. Nam is ciuis ex Latio erat.

XCI. De TRIBVTIS Latinorum nihil re-
perio, nisi quod duriora ea in re fuisse videtur
Latinorum quam ciuium, conditio. Quamuis
enim eos ab exteris non magis, quam ciues
suos, tributis vectigalibusque onerari Romani
paterentur, atque hinc in Ambracensium foe-
dere cauissent, *ut Ambracenses portoria, qui
vellent, caperent, medo eorum ciues Rom. et
Latini socii immunes essent: Liu. XXXVIII, 44.*
ipsi tamen Romani a Latinis tributa et vectiga-
lia exigebant, adeo vt eos *stipendiarios* appel-
let Liuius VIII, 8. et apud Appian. *de Bell. ciu.*
*I. p. 353. de fociis dicatur, eos militando et
tributa conferendo grauatos esse.* Vnde non
temere colligas, tolerabiliorem quidem hac in
re, quam Italorum et prouincialium, durio-
rem tamen, quam ciuium, fuisse Latinorum
conditionem.

XCI. Latini
an tributarii?

XCII. Illud vero praestantissimum erat ius
quorundam Latinorum, quod iure SVFFRAGII
gauderent ex foedere, quo eos obstrinxerat
Cassius. Sane Hernicos et Latinos ad ferenda
suffragia fuisse euocatos, apparet ex Liuiio XXV,
3. et Dionys. Halic. VIII. pag. 540. Attamen
ne in eo quidem aequo cum ciuibus iure gau-
debant. Nam primo non erant certae tribui
adscripti, atque inde sortiri solebant, vbi fer-
rent suffragia. Qua de re Liuius XXV, 3. *Te-
stibus datis, tribuni populum submouerunt; sitel-
laque allata est, vt sortirentur, vbi Latini suf-
fragium*

XCII. An ius
habuerint
suffragii?

fragium ferrent. Deinde hoc ius suffragiorum erat veluti precarium. Quotiescunque enim liberet, edicere poterant consules, vt Latini vrbe exirent. Fecit id sane Virginius Consul, Cassii collega, apud Dion. Halic. VIII. p. 540. Fecit et C. Fannius, qui Latinos, suffragii causa in vrbem accitos, ex Scto excedere iussit. Cicer. *Brut. Cap. XXVI.* Nec plura exempla tamen succurrunt. Vnde Cic. *pro P. Sextio XIII. Nihil acerbius socii Latini ferre soliti sunt, quam id, quod perraro accidit, a consulibus iuberi ex vrbe exire.*

XCIII. Idem
ius petendi
honores.

XCIII. Gaudebant etiam iure aliquo HONORVM, sed non optimo, quali ciues Romani. In eo tamen prouincialibus erant feliciores, quod non Romanis praetoribus, proconsulibusque parerent, sed suis magistratibus. Vnde de Nemauso, iure Latii donata, Strabo *Geogr. IV, p. 87.* scribit: *Ea de causa populus ille Romanis praetoribus non paruit.* Melior quoque in eo erat illorum conditio, quam Italorum, quod, magistratibus in patria gestis, ius ciuitatis Romanae consequerentur, qua de re supra diximus *num. VII.* Ast honores in vrbe petere haud poterant, ante ciuitatem legè Iulia datam. Hinc cum bello Punico II. Sp. Caruilius suassisset, vt ex singulis populis Latinorum binis senatoribus, si patres censuissent, ciuitas, adeoque etiam ius capessendorum magistratuum daretur: eius rei, vel alienae, mentio suppressa est. Liu. XXIII, 22. Nec felicius processere Latinorum consilia, cum alterum consulem ex sua gente c. eandum vrgerent. Liu. VIII, 4. Vnde de magistratibus patriis,

triis, non vrbanis, intelligendus est Asconius Paedianus, quando de Gallis Transpadanis Latii iure donatis a Q. Pompeio Strabone, ait: *habuisse eos ius, quod ceterae Latinae coloniae idest, vt PETENDI MAGISTRATVS GRATIA, ciuitatem Romanam adipiscerentur.* Ascon. *proem. in Pisonian. p. 2062.* Dicere enim procul dubio voluit, *vt gesti magistratus gratia ciuitatem Romanam adipiscerentur.* Illud enim ius Latinis fuisse, supra num. VII. demonstratum est.

XCIV. Denique quod ad ius SACRORVM XCIV. Et ius Sacrorum. attinet, ciuibus Romanis et publica sacra, et propria, fuerunt. At communia quoque nonnulla erant ciuibus cum Latinis, et talia erant Sacra Dianae, quae exemplo ciuitatum Asiae, auctore Seru. Tullio, Romae in fano, communibus sumtibus exstructo, faciebant cum Romanis Latini. Liu. I, 15. Tales quoque feriae Latinae, quas instituerat Tarquinius Superbus. Singulis enim annis conueniebant quadraginta septem Latii populi in monte excelso, Albae imminente, sacra facientes Ioui Latiali, epulisque et ludis vacantes. Constitutum quoque erat, quid quisque populus praeberet: hic agnos, ille caseos, iste lactis modum, et quam portionem recipere deberet. Communis victima taurus erat, de quo cuiuslibet populo portio sua fuerat constituta. Et huic sacrificio praeerant Romani. Dionys. Halic. *Antiqu. Rom. I. p. 250.* Initio quidem ex instituto Tarquinii vnico die haec sacra peragebantur: ast, pulsus regibus, additus a populo alter: accessit dein tertius

tius post foedus cum Latinis a Sp. Cassio ictum: quartus ob plebis, quae secesserat, reditem adiectus. Acceperunt quoque sacrificia et ludi, quibus Senatus aediles praefecerat. Dionys. *Ant. Rom. IV. p. 415.* Immo et viscerationes, de quibus in actis diurnis apud Reines. IV, 5. FRID. KAL. APRIL. FERIAE. LATINAE. CELEBRATAE. ET. SACRIFICATVM. IN. MONTE. ALBANO. ET. DATA. VISCE-RATIO. Viscerationes autem erant distributiones carnis, panis, olei, vini, crustuli, mulsi et similibus, viritim factae, de quibus Reines. *in Comm. ad Inscr. p. 146.* Tanti vero hae feriae erant Romanis, ut consules in prouincias paludati proficisci non possent, nisi indictis prius hisce feriis. Liu. XXI. *vlt.* XXII, 1. Instaurandae quoque erant a Pontificibus, si vel vlla ceremonia neglecta, aut quidquam praeter ius factum esset. Cuius rei exempla sunt apud Liu. XXXII, 1. XXXVII, 3. XL, 45. XLI, 16. Interea, dum magistratus Romani feriis illis interessent, Praefecti feriarum Latinarum (r) vsque ad eorum reditum imperium in vrbe tenebant Iul. Capitolin. *Antonin. IV.* Tacit. *Annal. VI, 11.* Ex quibus locis etiam patet, ferias istas Latinas,
post

(r) Sunt qui hos non praefectos feriarum Latinarum, sed praefectos vrbi feriarum Latinarum causa, dictos putant, veluti Casaub. *ad Iul. Capitol. Marc. Anton. IV.* Ampl. Bynkersh. *in praetermiss. ad L. 2. D. de orig. iur. p. 54.* Et id quidem verum omnino est: sed exstant tamen marmora apud Smetium p. XLI, 5. et p. LXIX, 1. Grut. p. CCCXIII, 9. et CCCLVI, 1. in quibus vocantur PRAEF. FER. LATIN.

post ciuitatem quoque Latinis datam, immo adhuc sub Imperatoribus fuisse celebratas. Cum Lanuuiis in specie Romani communia habebant templum, sacra, lucum, *Iunonis Sispitae Lanuuiinae*, Liu. VIII, 14. de qua nos plura diximus in *Comm. ad L. Iul. et Pap. Cap. I, 4. p. 57.* Praeter haec sacra cum Romanis communia singuli ferre Latini populi et patria numina colebant, qualia erant *Feronia* apud Terracinos, Plin. *Hist. II, 55.* Sil. Ital. *Lib. XIII. p. 83. seq. Iupiter Anxur, Iupiter Lanuuius*, Liu. XXXII, 9. *Anguia* vel *Anguitia* Marforum et Marruuiorum, Seru. *ad Virgil. Aen. Lib. VIII.* et alia.

XCV. Caeterum an principia illa iuris publici, quae §. LXXII. explicauimus, apud Latinos quoque habuerint locum, merito dubites. Sane enim, cum Romani duarum ciuitatum ciues esse non possent: licebat tamen iis, relicta ciuitate Romana, in aliam se recipere, aliusque ius ciuitatis adiungere. Sic, si nolisset T. Pomponius Atticus ciuis Romanus manere, liberum ipsi omnino fuisset, ciuitatis Athenientis iura adsciscere. At Latini, si furtim irreperant in tabulas censuales Romanorum, vindicari a magistratibus suis poterant et reuocari, non secus, ac si essent glebae adscripti. Sic M. Crassus iudicio repetitus est a Mamertinis, procul dubio tum adhuc Latinae conditionis. Cicero *pro Balbo XXIII. M. Perperna* a Sabellis. Val. Max. III, 4. 5. Vid. *Comment. nostr. ad L. Iul. et Pap. Popp. I, 1. 2.* Et

XCV. Latini, si furtim in censum irreperissent repeti poterant a magistratibus.

haec fufficiant de Latii iure. Dicendum iam porro de iure Italico.

CAP. III.

DE IVRE ITALICO.

XCVI. Italia
quam late
patuerit?

XCVI. Italia Romanis dicebatur, quicquid praeter Latium inter vtrumque mare ad Rubiconem vsque fluuium procurrit. Reliquum enim terrae tractum vsque ad Alpes Galli, Ligures, Veneti, Carni, occupauerant. Ceterum Italiam inter se diuiferant populi quamplurimi, et maxime Hetrusci, Lucani, Brutii, Epizephyrii, Locri, Calabri, Messapii, Sallentini, Apuli, Hirpini, Ferentani, Picentes, Senones, Umbri, Sabini, Marfi, Vestini, Marrucini, Peligni et Samnites, qui diuersis bellis perdomiti, foedere non vno in societatem a populo Romano accepti sunt. Bella cum tot populis gesta accurate recenset Car. Sigonius *de antiquo iure Ital.* I, 8. *seq.* Sed quibus annis singula icta sint foedera, quibus quique conditionibus populi in societatem recepti sint, in tanto veterum silentio obscurum est. Illud certum, et a V. C. Christ. Gottl. Schwarzio *in Diss. de iure Ital.* recte obseruatum est, distinguendas esse varias iuris Italici periodos. Post prima enim illa et antiquissima foedera plures Italici populi ad Hannibalem defecerant, quorum alii vltro ad officium redierunt, alii armis recepti sunt. Hinc anno V. C. IOLP. Sulpicius Galba Dictator Italiam peragravit, et cognitis singularum ciuitatum causis,

aliis,

aliis, et in his nominatim Brutiis, Picentinis et Lucanis durius iugum imposuit, aliis pristina iura restituit. Gell. *Noct. Att. X, 3*. Postea anno V. C. IOCLXIV. Itali iura ciuitatis impetrarunt legibus Iulia et Plotia. Vid. supra §. IX. Ex eo Sulla id ius iis haud parum imminuit, quia Itali partes aduersas secuti fuerant. Quamuis hanc legem non adeo diu valuisse, testetur Cicero *pro Domo XXX*. Varia hinc porro Italis indulgit Augustus, *excogitato nouo genere suffragiorum, quae de magistratibus urbicis decuriones colonici in sua quisque colonia ferrent, et sub diem comitiorum obsignata Romam mitterent*. Suet. *Aug. XXXVI*. Idem Imperator etiam militiae necessitatem remisit Italis. Herodian. *Hist. II, 11*. Hadrianus per omnem Italiam quatuor CONSVLARES iudices constituerat. Spartian. *Hadr. XXII*. Hinc CONSVLARES CAMPANIAE sunt ap. Grut. *p. CCCXLIV, 2. p. CCCCLXXI, 8*. ΑΝΘΡΩΠΙΩΤΟΣ ΚΑΜΠΑΝΙΑΣ apud eundem *p. MXC, 20*. qui et PROCOS. vocatur in marmore Reines. *Class. VI, 4*. Consularem per Tusciam et Flaminiam fuisse patrem suum, narrat Rutil. Numat. *Itiner. I. v. 575. 593*. Horum in locum IVRIDICOS suffecit Marcus Antoninus. Iul. Capitolin. *Marc. XI*. Sequenti tempore Italia aliquando subfuit CORRECTORIBVS et PRAEFECTO PRAETORIO V. C. Euer. Otto *de Aedil. munic. XII*. Denique post Constantinum M. diuiso saepe imperio, Consulares Italiae iterum memorantur, ab Ammiano, Symmacho et

Cassiodoro, quos aliquando et MODERATORVM, RECTORVM et PRAESVLVM nominibus venire, obseruat Thom. Reines. *Comm. ad Inscr. p. 397.* Et ab eo tempore immunitas Italis pene adempta, et tributa iis grauiissima indicta sunt. Schwarz. *l. c. §. XII. p. 36.* qui etiam obseruauit, vestigia iuris Italici tantum non omnia sustulisse Iustinianum, id quod verum esse, vel ex *l. vn. C. de vsucap. transf. l. 1. C. de annal. exc. Ital. et princip. Inst. quibus alienare licet vel non*, satis apparet.

XCVII. Ius
Italicum.

XCVII. Non multo certius videtur, qua in re ipsum ius Italicum fuerit positum. Multa Itali cum sociis Latini nominis habuere communia. Non magis gauisi sunt iure Quiritium, quam Latini; ast vsi tamen sunt iuribus nexus et mancipationum, annalis exceptionis, iure capiendi, aliisque quibusdam beneficiis, si recte coniecit Henr. Noris *de Epoch. Syro Maced. IV. p. 428.* Saltim in his omnibus eos melioris fuisse conditionis, quam Latinos, non temere crediderim. Eadem vtrisque fuit census, eadem tributorum et vectigalium ratio, nisi quod Itali paullo durius habitii videntur. A Neapolitanis certe, Rheginis et Tarentinis Romani stipendium et naues ex foedere exegerunt. Immo ex Ciceronis *Verrin. III, 11.* patet, partem Italiae hand minimam vectigalem fuisse (s).

Porro

(s) Ast remissum postea esse Italis tributum, diximus *supra num. LIX.* Hinc postremis reip. temporibus ius Italicum praecipue in immunitate a censu capitis et soli consistit. Vid. *l. 8. §. 7. D. de cens.*

Porro Itali non minus quam Latini militiae iure obstricti fuerunt Romanis, tantaque subinde miserunt auxilia, vt L. Aemilio Papo, C. Attilio Regulo Coss. nunciato Gallico tumultu, equitum LXXX. millia, peditumque DCCM. armasse eos, tradat Plinius *Hist. Nat. III, 20.* Denique in eo quoque par fuit Latinorum Itolorumque conditio, quod vtrique n n Romanis proconsulibus aut praetoribus, sed suis magistratibus (τ) parerent. Ast in hoc inferiores fuere Latinis, quod non gauderent iure suffragii, ad quod tum demum adspirarunt, cum lege Iulia primum, ac deinde Plotia, ciuitate Romana essent donati. Qua de re supra *num. IX.* egimus. Porro nec ea praerogatiua gauisi sunt Itali, vt, qui vel stirpem ex se domi reliquissent, vel magistratus gessissent in patria, ciues Romani fierent. Postremo neque communia sacra habuerunt Itali, adeoque his rebus omnibus Latinis fuerunt deteriores. Car. Sigon. *de antiquo iure Ital. I, 22.* Speciatim quaedam de Itolorum iuribus diximus *Lib. I. Tit. XXV.*

Aa 3 §. I. seq.

(τ) Attamen etiam hac in re melior aliquanto fuit Latinorum conditio. Cum enim Latini nunquam subessent Romanis magistratibus: Italia in grauioribus bellis extra ordinem nonnunquam Proconsulibus decreta est. Atque ita intelligendus Appianus *de Bell. Ciuil. I. p. 374.* ἦσαν γὰρ, ὡς ἔοικε, τότε καὶ τῆς Ἰταλίας ἀρχόντες ἀνθύπατοι κατὰ μέρη. Apparet enim, tunc quoque regiones Italiae distributas esse praeconsulibus: Extra ordinem scilicet, si seditionis esset periculum. Sic belli Marsici tempore Picenis cum imperio praefuit Q. Seruilius, legatumque is hahuit Fonteium, ceu ex eodem discimus Appiano. *l. c.*

§. 1. seq. Lib. II. Tit. I. §. XV. Lib. II. Tit. VI.
§. II. Lib. II. Tit. VIII. §. IX.

XCVIII. Italia ciuitate donata, multis exteris datum ius Italicum.

XCVIII. Quemadmodum vero, communicata cum Latinis ciuitate, non ideo statim exspirauit ius Latii: ita et ius Italicum, etiam ex eo tempore, quo Itali ciuitate donati sunt, non deluit, sed ad multas alias ciuitates prouinciales porrectum est. Sic Foroaugustanis in Hispania ius Italiae datum, scribit Plin. *Hist. Nat.* III, 3. Alias iuris Italici colonias recensent Vlpianus, Celsus, Caius, Paullus iureconsulti in *l. 1. l. 6. l. 7. l. 8. D. de censib.* de quibus nos infra agemus accuratius. Ceterum vel ideo hoc obseruandum est, ut intelligamus, quid in iure nostro sit SOLVM ITALICVM, cuius hinc inde fit mentio, veluti *pr. Inst. de usucap.* et apud Vlpian. *Fragm. XIX, 1.* Non enim in sola Italia id quaerendum est, sed et in prouinciis omnibus, et ciuitatibus ac coloniis illis, quibus datum fuerat ius Italicum, qui agri etiam *censui censendo* dicuntur. Cic. *pro Flacco XXXII.* Censui enim censendo dicebantur agri, qui venire emique poterant iure ciuili. Fest. *hac voce.* Iure ciuili vel Quiritium veniebant tantum res mancipi. In rerum autem mancipi numero erant tantum praedia soli Italici. Vid. Io. Ge. Graeu. *ad Cic. ibid.* et V. C. Schulting. *Annot. ad Vlpian. p. 619.*

CAP. IV.

DE IVRE PROVINCIIARVM.

XCIX. Quid prouincia?

XCIX. Durissimae in orbe Romano conditionis erant prouinciae, quo nomine appellatas con-

constat omnes illas regiones quas vel armis deuictas, vel alio modo redactas in potestatem, magistratibus suis administrandas subiiciebant Romani. Festus *voce prouinciae p. 384.* Prouinciae appellabantur, quod populus Romanus eas prouicit, id est, ante uicit. Isidor. Orig. XIV, 5. Prouinciae ex causa uocabulum acceperunt. Principatus namque gentium, quae ad alios Reges pertinebant, cum in ius suum Romani uincendo redigerent, procul positas regiones prouincias appellarunt.

C. Leges, quas a victore populo eiusmodi regiones accipiebant, PROVINCIAE FORMA vel FORMVLA dicabantur. Cuius rei haec obseruata est ratio. Senatus, acceptis ab Imperatore de superatis hostibus, et regione in potestatem populi Rom. redacta, literis, (solebant enim, qui res laetas nunciabant Roman nuncios cum hastis laureatis, literisque lauro inuolutis, mittere, Gronou. *Diatr. ad Statium Cap. XLVI. p. 310.* vel sub Imperatoribus ipsas pugnarum uictoriarumque picturas in urbem perferendas dare. Herodian. *Hist. III, 9. VII, 2.*) imprimis consulebat, quas leges uictis dari placeret. Facto Sc. Imperatorem, quid uisum sit Senatu, admonebant, simulque decem legatos Senatores mittebant, quorum de sententia Imperator de hostili regione statueret. Tum Imperator, adhibitis in consilium legatis, uictis certas leges praescripsit, et ciuitates, bene de populo Romano meritas, suis legibus uti iussit, reliquum terrae tractum legibus magistratibus-

C. Quomodo regio redacta in prouinciae formam?

que spoliavit, et hic tunc dicebatur in provincia formam redactus. Quidquid vero hunc in modum de consilii sententia statuerat Imperator, id in concione, facto antea per praecorem silentio, publice pronuntiari mandabat: eoque facto, Romam, relicto aliquo praefecto provinciae, decedebat. Hunc in modum Asiam redactam in formam provinciae, constat ex Strabone. Alia exempla existant apud Liv. XXXIII, 18. Appian. *in Libyc.* p. 84. et alibi passim. Sed desit hic mos, ex quo Principes omnia pacis bellique negotia suo arbitrio gerere coeperunt.

CI. Prouinciae suis legibus non utebantur; sed datis a victore.

CI. Quamuis vero non vna eademque esset omnium provinciarum conditio: illud tamen commune erat omnibus, quod nec suis legibus (u) magistratibusque uterentur, et populo Romano penderent vectigalia. Non utebantur inquam, suis legibus, sed iis, quibus Romani eos uti iubebant, quaeque trium plerumque generum erant. *Primo* enim ipse victor de decem legatorum sententia certas leges dabat provincialibus, quas deinde in iure dicundo observari a magistratibus oportebat: *deinde* leges novas aliquando ferebant Romani, quibus et provinciales obsequerentur, qualem supra esse vidimus legem Iuliam et Titiam: *postremo*, ipsi, qui

(u) Attamen patriam religionem plerisque relinquebant, ceu exemplo Aegyptiorum patet, de quibus Tertull. *Apol.* XXXIV. et Iudaeorum de quibus Philo, *legat. ad Caesarem Imp.* p. 864. Coitiones tamen religionis causa institutas saepe prohibitas fuisse, si e republica videretur, docet Ampl. Bynkersh. *de rel. peregr. Diff.* II. p. 250.

qui cum imperio praeerant prouinciis, edicta proponerant, quibus modum, quem in iure dicundo essent obseruaturi, denuntiabant. Nulla regio in prouinciae formam redigebatur, cui non certas leges daret victor de sententia legatorum. Siculis quales datae fuerint leges, ostendit Cicero *Verrin. II, 13.* *Siculi hoc iure sunt, ut quod eius cum ciue agat, domi certet suis legibus: quod Siculus cum Siculo non eiusdem ciuitatis, ut de eo Praetor iudices ex P. Rupiliū decreto, quod is DE DECEM LEGATORVM SENTENTIA statuit, quam legem Siculi Rupiliam vocant, sortiatur. Quod priuatus a populo petit, aut populus a priuato, senatus ex aliqua ciuitate, qui iudicet, datur, cum alternae ciuitates reiectae sunt. Quid ciuis Romanus a Siculo petit, Siculus iudex datur; quod Siculus a ciue Romano, ciuis Romanus datur. Ceterarum rerum selecti iudices ex ciuium Romanorum conuentu proponi solent. Inter aratares et decumanes lege frumentaria, quam Hieronicam appellant, iudicia fiunt. Eiusmodi quoque leges, Macedonibus a L. Paulo de consilii sententia datas, recenset Liu. XLV, 29. Achaeis praescriptas Pausan. VII. p. 427. sequ.*

CII. Accedebant his deinde leges quaedam a Romanis latae, quas in prouinciis obseruari oportebat. Sic cum lex Atilia de dando tutore tantum in vrbe valeret: lege Iulia et Titia eadem, uti paullo ante diximus, etiam ad prouincias porrecta est. *princip. Inst. de Atilian. tut.* Cum ex lege Iulia de maritandis ordini-

CII. Vt et aliis, quas S. P. Q. R. iis dabat.

bus tutor dandus esset ei mulieri virginique, quam ex hac ipsa lege nubere oportebat, ad dotem dandam, dicendam, promittendamue; factum paullo post est SCt. quo cautum, vt etiam in prouincia similiter a Praesidibus ex eadem causa tutores darentur. Vlpian. *Fragm. XI, 1.* Similia exempla suppeditabant *l. 19. D. de ritu. nupt.* (quam vberius exposuimus in *Comm. ad L. Iul. et Pap. Lib. I. Cap. V. p. 64. et Lib. II. Cap. XXI. p. 334. seq.*) et *l. 5. pr. D. de manu miss.* Huc pertinent tot rescripta Principum ad prouinciarum Praesides, quibus vel noua iura dant prouinciis, vel dubia et ambigua decidunt, ceu ex Pandectis nostris ac vtroque Codice factis apparet. *l. 14. D. de off. praes. l. 14. ad SCt. Turpillian. l. 1. D. de abigeis l. 12. D. de custod. reor.*

CIII. Nec
non edictis
Procos.

CIII. At praecipuo ius in prouinciis proficiscebatur ex edictis proconsulum, et reliquorum magistratum, quae simul ac in prouincias ituri erant, componere, ac dein publice proponere solebant. Hoc edictum tribus plerumque partibus constabat. Nam primo multa ex antecessorum edictis transferebant in sua, eaque pars edictum *tralatitium* vocabatur: deinde multa noua addebant ipsi, quae ad administrationem prouinciae, sumtus, et rationes ciuitatum, pactiones cum publicanis, vsuras, syngraphas hereditatem, possessiones, aliaque huius generis pertinebant: postremo etiam pleraque transferebantur ex edictis vrbis, quaecunq; scilicet de iure dicundo, seu de vsitatis priuatorum causis, et controuersis agebant.

bant, modo concinna essent conditioni prouincialium. Vnde *edictum tralatitium* et ea pars vocatur apud Ciceron. *ad Att. V, 21*. Discimus haec omnia ex Cicer. *Epist. ad Famil. III, 8*. qui Proconsul in Ciliciam iturus: *Romae*, inquit *composui edictum, nihil addidi, nisi quod publicani me rogarunt, cum Samum ad me venissent, ut de tuo edicto totidem verbis transferrem in meum.* (Habes ergo partem edicti tralatitiam) *Diligentissime scriptum caput est, quod pertinet ad minuendos sumtus ciuitatum, quo in capite sunt quaedam noua, salutaria ciuitatibus, quibus ego magnopere delector.* (En alteram edicti partem in qua noua quaedam addiderat Cicero.) In tertia parte, quae fuerint scripta, ipse quoque ostendit *Epist. ad Attic. VI, 1*. vbi et de reliquis capitibus agit distinctius: *Breue autem edictum est, propter hanc meam διαίεσιν, quod duobus generibus edicendum putauit: quorum vnum est prouinciale, in quo est de rationibus ciuitatum, de aere alieno, de usura, de syngraphis: in eodem omnia de publicanis: alterum, quod sine edicto satis commode transigi non potest, de hereditatum possessionibus, de bonis possidendis, magistris faciundis, vendendis, quae ex edicto et postulari et fieri solent. Tertium de reliquo iure dicundo ἀγραφοῦ reliqui. Dixi, me de eo genere mea decreta ad edicta urbana accommodatorum.* Ex quibus patet, quod supra iam obseruauimus, simillima quidem inter se fuisse edicta urbana et prouincialia: sed tamen non statim

statim idem obtinuisse in prouincia, quod Romae fuerat vel lege, vel moribus, receptum. Vid. Ger. Noodt *Obseru. II, 5. p. 444.*

CIV. Sub imperatoribus multa hac in re mutata.

CIV. Sed in his non vna contigit mutatio, ex quo ad principes deuoluta est respublica. Primo enim, quod iam supra obseruauimus, etiam prouinciale edictum concinnatum est perpetuum, cum antea non modo singulorum prouinciarum edicta inter se discrepant, aliudque esset edictum *Cilicium*, aliud *Siciliense*, aliud *Asiaticum*, etc. sed et successores antecessorum edicta, praetorum urbanorum exemplo, saepissime mutarent. Vid. Ezech. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. II. Cap. 8. p. 181. seq.* Deinde, communicata cum vniuerso orbe Romano ciuitate, leges etiam Romanae prouinciis omnibus traditae sunt, eademque iura Romae fuerunt, ac in prouinciis. Hinc de suo aeuo Gregorius Thaumaturg. in *Paneg. Origen. p. 47.* *Οι θαυμασοι ημων των σοφων νομοι, ος των τα παντων των υπο ρωμαίων αρχην ανθρωπων κατευθύνεται πράγματα. Mirifice sapientum nostrorum leges, quibus omnium nunc qui Romano imperio parent, hominum res reguntur.* Rutil. Numatian. *Itin. I. v. 63.* ad Roman:

*Fecisti patriam diuersis gentibus vnam,
Profuit iniustis, te dominante, capi.*

*Dumque offers victis proprii consortia iuris,
Vrbem fecisti, quod prius orbis erat.*

Plura eiusmodi testimonia collegerunt Iuretus ad Symmach. *Epist. V, 44.* Ex. Spanhem. *Orb. Rom.*

Rom. Exerc. II. Cap. 7. p. 169. seq. qui etiam erudite obseruat, post ea quoque tempora multis ciuitatibus *αὐτονομίαν* relictam fuisse ab Imperatoribus.

CV. Alterum, quod commune fuit, omnibus prouinciis, in eo positum est, quod illae non suis, vt focii et Latini nominis, sed Romanis magistratibus, parerent. Duo vero in singulas prouincias magistratus mitti solebant, quorum alter generali nomine *Praefes* dicitur. *l. 1. et 11. D. de offic. praef.* alter *Quaestor*. appellatur. Praesidium officio initio functi sunt Praetores. Hinc cum initio duo in vrbe Praetores essent, quorum alter ciuibus ius dicebat, alter peregrinis: Sicilia in prouinciae formam redacta, tertius: cum deinde Sardinia accederet, quartus: cumque et Hispaniarum duae prouinciae essent constitutae, quintus et sextus additi sunt, qui inter se prouincias fortiri solebant. Liuius XXVII, 36. et XXXIV, 55. Postea coeperunt et consulibus, si quando grauius immineret bellum, prouinciae decerni, vnde aliae prouinciae *praetoriae* erant, aliae *consulares*, Liu. VIII, 22. XLV, 17. ex quibus locis patet, Coss. tunc vel inter se comparasse prouincias, vel fortitos esse. Conf. Liu. XXXIV, 35. Solebant tamen aliquando prouinciae nec comparari, nec forte, sed iudicio senatus populiue, decerni consulibus, ceu docent exempla apud Liu. XXXVII, 1. XXX, 27. XXXV, 20. Nonnunquam vtrisque prorogari solebat.

CV. Prouinciae parebant vel Praetoribus vel Conf. vel Propriet. vel Procos.

bat imperium; et tunc *Propraetores* vel *Proconsules* dicebantur (x), quorum illi sex licitoribus, totidemque securibus, hi duodecim utebantur. Qua de re Appianus *Syriac. p. 95.* Ἐφ' ἅπαντας περιέπεμπον στρατηγὸς ἐπὶ τῇ στρατιᾷ ἕξ αὐτοὶ καλῶσιν ἕξαπελέκας ὅτι τῶν ὑπάτων δώδεκα πελέκῃσι, καὶ δώδεκα ῥάβδοις, ὡσπερ οἱ πάλαι βασιλεῖς, χρωμένων, το ἡμισυ τῆς ἀξιώσεως ἐστὶ τοῖς δὲ τοῖς στρατηγοῖς καὶ τὰ ἡμισία παραύσημα. *Ad omnes miserunt propraetores cum senis securibus: quia consules duodenis securibus totidemque fascibus, ut olim Reges, utuntur. Praetores autem, ut insignia consulum dimidiata, ita dignitatis quoque ac potestatis habent dimidium.* Ad Plutarch. *vit. Pauli. p. 256.*

CVI. Noua magistratum prouincialium nomina sub Imperatoribus.

CVI. Postquam prouincias cum Senatu diuisit Augustus, alia sensim in usu esse coeperunt nomina. Nam quos Senatus mittebat Praesides, ii *procoff.* veteri vocabulo appellati: quos

(x) Ita seise reshabuit, temporibus antiquissimis: primusque *Coff.* cui ita prorogatum imperium, est Q. Publius Philo. Liu. VIII, 26. Idem postea saepius factum esse docent exempla apud Liu. XXIX, 13. XXXV, 1. et alibi. Deinde et ii *procoff.* dici coeperunt et praetores, qui nullis antea gestis magistratibus, ad bellum gerendum missi sunt in prouinciam. Qualis *procoff.* fuit P. Cornelius Scipio Liu. XXVI, 19. *Propraetor.* C. Octavius Cic. *Philipp. XI*, 19. Suet. *Octau. X.* Postea inualuit, ut quotannis, antequam noui *Coff.* et Praetores designarentur, prouinciae duae consulibus, et reliquae Praetoribus futuris decernerentur, quas illi designati vel fortirentur, vel inter se compararent ut finito magistratu in eas proficiscerentur. Sigon. *de ant. iur. prou. II*, 1. p. 125.

quos Imperatores, ii variis deinde nominibus nuncupati, *Legati Augg. pro consule*, vel *pro praetore*, *Praefecti Augustales*, *Legati Caesarum*, *Praesides*, *Procuratores Caesarum*, *Consulares*, *Correctores*, *Iuridici*, quales aliquando in Italia et Alexandriae, Sex. Rufo *Romani iudices*, Straboni *Libro XIII. Διακοδοταί* dicti, quin in minores quasdam prouincias *Procuratores Caesarum* iuere, vel *Rationales*, et *Catholici*, de quibus praeter ea, quae diximus in *Pand. P. I. §. 231.* legi merentur *Dio. Cass. LIII. p. 504. seq.* Guido Panciroll. *notit. Imp. Orient. CLV.* Iac. Guther. *de Offic. Dom. Aug. I, 5. seq.* Aliis etiam sub Imperatoribus vti coeperunt insignibus. *Consulares fasces: praesides praeterea vexilla habuere, quae vultum principis, praeferebant. l. 1. C. Theod. de consul. et praesid. et in Iac. Gothofr.*

CVII. Imperium praesidibus initio lege cuiusmodi dabantur: Cicer. *de lege Agrar. II, 12.* prouincias ipsas decernebat Senatus, cuius etiam erat, statuere, quas consulares, quas praetorias esse vellet, quamuis plerumque eam teneret rationem, vt eas, in quibus tumultuari, aut quas ab hostibus vicinis tentari intelligeret, Consulibus; quietas vero et pacificas Praetoribus decerneret, qui deinde eas inter se vel fortiebantur, vel comparabant. *Sigon. l. c. II, 1. p. 125.* Id ius deinde veluti postliminio recepit Senatus, lege Sempronia de prouinciis decernendis, lata a C. Sempronio

CVII. Quis
eiusmodi
magistratus
constitue-
rit?

nio Graccho, Q. Caecilio et T. Quinctio Coss. anno V. C. DCXXX. Cic. *pro domo sua Cap. IX. de prouinc. consul. c. 11. Agrar. II, 12.* cum L. Calpurnius Piso Trib. plebis paullo ante anno DCIV. noua quaedam lege sua inuexisset. Extremis reip. temporibus, et labente ueteri disciplina, multa contra morem maiorum excogitarunt Sulla, Marius, Pompeius, Crassus, Caesar, Antonius, quae accurate factis refert Sigon. *l. c.* donec Augustus, ut dixi, prouincias cum Senatu populoque Romano partiretur (9). Dio Cass. *l. c.*

CVIII. Quo modo ornati?

CVIII. Ituris in prouincias Praesidibus mandata dabat Senatus, quantum pecuniae, quantum exercitum habiturus sit, quod stipendium eum dare, quantum viaticum capere oporteret; et hoc SCt. praesides, ipsaeque prouinciae, ORNARI dicebantur. De quo ritu plura tradunt Is. Casaubonus et Torrent. *ad Suet. Caes. XVII.* Sigon. *de ant. iure prouinc. II, 1. p. 142. seq.*

CIX. Quo comitatu vli sint?

CIX. In comitatu Praesidum erant legati, tribuni militum, centuriones, praefecti, decuriones, militarium operum rationumque auditores:

(9) Hinc discrimen inter prouincias *populares* vel *publicas* et *Caesarum*. Sed saepe harum prouinciarum facta est permutatio. Publicas plerasque ad se rapuit Claudius, quas deinde Senatus sub imperii initio restituit Nero. Tacit. *Ann. XIII, 4.* Sub Traiano etiam Bithynia cum alijs a Senatu ad Imperatores translata est. H. Noris *Cenotaph. Eisan. p. 207.* Postremo omnes prouincias ad se rapuere Principes, nihilque Senatus reliquum fuit, vltimis imperii temporibus.

ditores: praeterea vero scribae, accensi, praecones, lictores, interpretes, tabellarii, aruspices, cubicularii, medici, et, quae quotidianae vitae prope socia fuit, iuuenum cohors, quae cohors praetoria, et quasi praetoria dicta est, in quem numerum etiam contubernales referendi. Sigon. *l. c. Cap. II. p. 149.* Legatos Praesidi aut Senatus dabat, aut huius permiffu adfiscicebat Praeses, aut plebs, lata lege, extra ordinem designabat. Cic. *Vatin. XV. Nep. Attic. VI.* Et hi sunt τῶν ἡγεμόνων πεμπόμενοι, de quibus *1. Petr. II, 14.* Numerus eorum non vnus idemque semper fuit. Q. Cicero tres secum legatos duxit in Asiam. Marco fratri in Ciliciam eunti quatuor; Q. Pompeio quindecim adfuerunt. Quamuis vero et ipsi legati lictoribus et fascibus vterentur: Lii. XIX, 9. non tamen nisi mandatam iurisdictionem habebant, quae quanta esse potuerit, ex *tit. de officio eius, cui mand. iurisdictione constat*, et egregie, suo more, disquirit Ger. Noodt *de Jurisd. II, 7. p. 161.* Vnde Caesar *de Bell. Ciu. III, 51.* *Aliae sunt legati partes, aliae imperatoris: alter omnia agere ad praescriptum: alter libere ad summam rerum consulere debet.* Idem *de Bello Ciu. II, 17. officium legati fiduciarum dicit operam obtinere.* Reliquorum, qui in comitatu praesidum fuere, veluti tribunorum, centuriorum, praefectorum, scribarum, medicorum, accensorum, haruspicum, praeconum. (Vid. Lii. XLII, 49. Cic. *Verrin. II, 10.*) et huius generis aliorum ministrorum,

quaenam fuerint officia, ex ipsa veteris rei militaris ac iudiciorum ratione facile colligitur. De solis contubernalibus addendum, fuisse ita appellatos adolescentes, qui percipiendae rei militaris et prouinciae cognoscendae causa praesides in prouinciam erant secuti. Cic. *pro Coel. XXX.* et *pro Planc. XI.* Ex toto vero illo prouinciali comitatu, libera adhuc republica, exulabant feminae, quae ab Augusti demum temporibus (z) duci coepisse in prouincias, palam est. Hinc M. Seneca *Controu. Lib. IV.* laudat Flaminium, quod exiturus in prouinciam, uxorem a porta dimiserit. Ast postquam Augustus quibusdam, quamuis grauate, id concesserat, sensim obsoleuit illa maiorum disciplina. Hinc et frustra fuit sub Tiberio Caecina, qui morem veterem revocandum suabebat. Tacit. *Annal. III, 33.* *Inter quae Seuerus Caecina censuit, ne quem magistratum, cui prouincia obuenuisset, uxor committeretur.* Et paucis interiectis: *Haud enim frustra placitum olim, in feminae in socios aut gentes externas traherentur. Inesse mulierum comitatu, quae pacem luxu,*

(z) De ipso quidem Augusto Sueton. *Octav. XXIV.* *Disciplinam seuerissime rexit, ne Legatorum quidem cuiquam, nisi grauate bibernisque demum mensibus, permisit uxorem interuifere.* Tiberium quoque simile quid sanxisse, patet ex *l. 14. D. offic. procos.* Sed non diu haec antiquae disciplinae mansit custodia, ex quo ipse Augustus Liuiam; Germanicus Agrippinam in prouincias duxerat. Cautum tamen fuerat SCTum anno V. C. ICCCCLXXII. Cotta et Messala *Coll.* ut si uxor aliquid deliquerit in comitatu Praesidis ab ipso marito, ratio et uindicta exigeretur. *l. 4. §. 2. D. de offic. procos.*

luxu, bellum formidine morentur. Sed, vt dixi, nihil profecit Caecina, Valerio Messalino et Druso ei grauius occlamantibus. Hinc saepe vxores cum magistratibus ex eo tempore in prouinciis haesisse legimus, veluti vxorem Pilati, *Matth. XXVII, 19.* Drussillam Felicis, *Act. XXIX, 24.* vxorem Plinii, ceu ex eius *Epistolarum Libro X, 121.* discimus. Nondum tamen res ordinaria: nec promiscua omnibus licentia. Id enim si fuisset: non fanciuisset Alexander Seuerus, *vt Praesidibus, qui vxores non haberent, singulas concubinas, quod sine his esse non possent, in prouincias ducere liceret.* Lamprid. *Vit. Alex. Cap. XLII.*

CX. Profecturi in prouincias Praesides, nuncupatis in Capitolio pro republica votis, atque inde demum paludamento lictoribus, reliquisque adsumtis imperii insignibus, ad portam vrbis ibant, et si quidem nonnulla superessent negotia, extra urbem aliquandiu morabantur, cum intra urbem cum imperio esse haud possent: sin vero omnia parata essent, salutantibus amicis, et officii causa aliquantum prosequentibus, iter in prouinciam ingrediebantur. *Liu. XLII, 49. XLV, 39. Cic. Verr. V, 13.* Vbi attigerant prouinciam: certio rem de aduentu suo faciebant decessorem, vt cum eo congregientes de statu prouinciae cognoscerent. Quo facto intra triginta dies illo discedendum erat, id quod lege Cornelia, a L. Cornelio Sulla lata, fuisse statutum, patet ex *Cic. Epist. ad Fam. III, 6.* Immo et antequam

CX. Quo-
modo pro-
fecti sint in
prouinciam?

prouinciam ingrediebantur, edicto de aduentu suo monebant prouinciales, continente commendationem aliquam sui, et maxime deprecante, ne publice vel priuatim sibi occurreretur, siquidem id melius in sua quisque patria facere posset. *l. 4. §. 3. 4. D. de offic. procos. vbi et alia, a Procos. in prouinciae ingressu obseruanda, habentur.*

CXI. Officia
praesidum.

CXI. Cum vero duo essent Praesidum munera, quorum alterum **IVRISDICTIONE**, alterum continebatur **IMPERIO**: solebant illi ita partiri annum, vt aestatem fere rei militari, hiemem iuri dicundo impenderent. Cic. *Epist. ad Att. V, 14.* Et ita quidem libera adhuc rep. se res omnino habebat. Augustus autem cum populo partitus prouincias, suos quidem Praesides mittebat ita, vt et legionibus praeesent, Dio Cass. *LIII. p. 504.* non autem vllam partem imperii militaris concedebat Proconsulibus a Senatu in prouinciam missis, nisi quod aliquando extra ordinem legiones ducere iuberentur. Lips. *Excess. ad Tacit. Ann. I. litt. M.* Vtrique tamen ius summa auctoritate dicebant. Causae, quae in litem deducuntur, vel publicae sunt, vel priuatae. Priuatarum causarum cognitio vel domestica erat, vel popularis. Domestica intra praetorium et in cubiculo querelis prouincialium audiendis, ministrante cubiculario, explicabatur: popularis in basilica ac pro tribunali, scribis, accensis, praeconibus, lictoribus apparentibus. Cic. *ad Q. Fratr. I, 1.* *Constare inter omnes video, facillimos esse aditus ad*
te,

te, patere aures tuas querelis omnium, nullius inopiam ac solitudinem, non modo illo populari accessu ac tribunali, sed ne domo quidem tua ac cubiculo esse exclusam. Vt autem hanc potestatem eo commodius exercerent praesides: simul ac venerant in prouinciam, conuentum vel forum in certum diem certumque locum indicebant prouincialibus. Et eiusmodi conuentus deinde vel plures vno loco, vel singulos singulis locis agebant, ita, vt intra annum omnem prouinciam percurrerent. Sigon *de antiquo iure prou.* II, 5. p. 184. Ius eodem ordine dicebant, quo Romae Praetores, adeoque omnia obseruabant, quae infra *Libro IV.* de Romanorum iudiciis dicemus. Id modo addimus, quemadmodum Romae Praetori in consilio erant *Decemviri silitibus iudicandis*: ita a praesidibus eorum loco adhibitos fuisse viginti Recuperatores, ciues Romanos. Vlpian. *Fragm.* I, 13. Theoph. §. 4. *Inst. qui et ex quib. caus. manum. non licet.* Commissae Praesidibus erant etiam quaestiones de criminibus, in quibus eandem denuo rationem tenebant Praesides, quam in vrbe Praefecti Praetorio. Habebant enim ius gladii. *l. 6. pr. l. 11. D. de off. procos. l. 6. §. 8. l. 13. seq. l. 21. D. de off. praesid.* Neque tamen iis erat ius deportandi in insulam, *l. 2. §. 1. D. de poen. l. 6. §. 1. D. de interd. et releg.* neque liberam mortis facultatem concedendi, *l. 8. §. 1. D. de poen.* neque ius publicandi bona post constitutionem Theodosii et Valentiniani, *l. vn. C. Th. ne sen. iuss. princ. cert.*

iud. lic. confisc. Cuius rei ratio non alia fuisse videtur, quam quod hae poenae fere personis honestioribus, et indignitate constitutis irrogari solerent, vbi in plebeios gladio animaduvertebatur. *l. 27. §. 1. 2. de poen.* Vid. Vlr. Hub. *Digress. III, 7.* Praeterea etiam rei frumentariae omnisque in vniuersum prouinciae curatio penes Praesides erat, ceu prolixè docet Sigon. *II, 5. et 6. pag. 207. seq.*

CXII. Quaestores prouinciales.

CXII. Praeter Praesidem, in vnaquaque prouincia etiam QVAESTOR erat, alter magistratus, qui potestatem non a Praeside, sed ab ipso populo accipere solebat. Vnde et ipse licitoribus ac scribis vsus est. Cic. *pro Planc. XLI.* Lecti enim a populo Quaestores sortiebantur prouincias, eorumque duo vrbanas, reliqui prouinciales Quaesturas obtinebant. Cicero *Verr. I, 13. Epist. ad Q. Fratr. I, 1.* Mortuo in prouincia Quaestore, alii interim hoc munus demandabat Praeses, qui *Proquaestor* appellabatur. Cic. *Verrin. III, 15.* Instituerant autem veteres Romani, vt inter Praesidem et Quaestorem eadem intercederet necessitudo, quae inter parentem et filium. Cic. *Diuinat. in Verr. XIV. pro Plancio XI.*

CXIII. Eorum officium.

CXIII. Ceterum hi Quaestores curabant pecuniam publicam, quae aut ex aerario depromta, in vsus prouinciae expendenda, aut in prouincia exacta, esset in aerarium referenda. Illa pecunia *attributa*, haec *vectigalis* dicebatur. Vtramque in tabulas referebant Quaestores, et deinde vbi prouinciis decederent, rationes accepti

cepti expensisque reddebant, et residua inferebant aerario. Nonnunquam Quaestoribus Praesides etiam partem iurisdictionis imperique demandabant, cuius rei exemplum est apud Caesarem *de Bello Gall. VI, 6. Caesar, partitis copiis cum C. Fabio legato, et M. Crasso Quaestore, hostes adiit tripartito.* Add. Cicero *Verrin. I, 13.*

CXIV. Haec de magistratibus prouinciarum: proximum est vt de tertio, quod commune habuerunt prouinciae, agamus, de tributis puta et vectigalibus, quibus quam maxime prouinciae permebantur. Romani enim, cum bello aliquem populum vicissent, duabus maxime rationibus cum eo agebant. Aut enim victoriae praemium annuum ei stipendium vel tributum imperabant, vnde *census capitis*: aut victos exuebant agris, eosque vel in publicum reip. patrimonium redigebant, vel colonos ex vrbe eo deducebant, vel eos victis reddebant, et ex eorum prouentu aliquam partem reipublicae tribui iubebant: qui *census soli* dicebatur. Cic. *Verrin. III, 6. V, 5.* Petr. Burmann. *de Vectig. Pop. Rom. I.* Prioris generis populi tributarii vel *stipendiarii* vocabantur: posteriores *vectigales*, quamuis non tam anxie semper discrimen inter tributum et vectigal fuerit ab auctoribus obseruatum. Cuiac. *Obs. VII, 4.* Stipendiaria prouincia fuit Gallia comata, de qua Sueton. *Iul. XV. Omnem Galliam, quae a saltu Pyrenaeo Alpibusque et monte Gebenna, fluminibusque Rheno et Rhodano continetur, patet-*

CXIV. Tributa, quae exigebantur a prouinciabilibus.

que circuitu ad his tricies centum millia passuum, praeter socias ac bene meritas ciuitates, in prouinciae formam redegit, eique quadringentis in singulos annos *stipendii nomine imposuit.*

CXV. Vt et
vectigalia et
speciatim
Decumae.

CXV. Aliae prouinciae erant vectigales, eaeque ex agris suis *decumas*, ex pascuis *scripturam* et ex portibus, qui mercibus inuehendis et euehendis patebant, *portorium*, pendebant, de quibus iam supra diximus *num. LIII. seq.* Sic *decumas* dabant Sicilia, Cicer. *Verr. III, 6.* Sardinia, Liu. *XLII, 1.* Africa, Gruter. *Inscript. p. IOXII.* Asia, Cicer. *Epist. ad Attic. V, 13.* Syria, Cic. *Agrar. II, 19.* Aegyptus, Plin. *Paneg. XXX.* Nonnunquam loco *decimae*, si minus fertilis esset prouincia, *vicecima* exigebatur, veluti ab Hispanis. Liu. *XLIII, 2.* Saepe etiam, si quando publica necessitas et angustia temporum id exigent, prouinciis alterae imperabantur *decumae* ultra debitas, quo casu tamen pecunia pro illis soluebatur aratoribus Cic. *Verrin. III, 31.* vnde etiam *frumentum emtum*, item *decumanum* vel *imperatum* dicebatur. Inter quae quid intersit, docet laudatus Burmann. *de vectigal. II.* Exempla huius rei plura occurrunt apud Liu. *XXXVI, 2. XXXVII, 2. et 50. XLII, 31.* Cum vero, libera adhuc republica, hae *decumae* non in pecunia, sed in frumento a singulis soluerentur aratoribus: postea sub Imperatoribus confectus est *canon frumentarius* dictus, quo, quid quaeuis prouincia quotannis praestare deberet, erat comprehensum, cuius meminuit Spartian. *Seuer. VIII.*

Lant-

Lamprid. *Elagab.* XXXVII. conf. Iac. Gothofred *ad Tit. C. Theod. de can. Frum. V. R.* Ceterum frumentum hoc, siue per decumas, siue secundum canonem, exactum, tum Romae, tum in prouinciis, in publicis condebatur horreis, vnde postea per curatores annonae populo et militibus distribuebatur. Buleng. *de Vect. Pop. Rom.* VIII. Casaub. *ad Lamprid. Alex. Sen.* XXXIX. Lips. *Elect. I, 8.* Iac. Gothofr. *ad tit. C. Theod. de re milit. et ad tit. de erogat. mil.* Talia erant horrea *Galbiana*, Grut. *p. LXXV, 1.* Reines. *Inscr. class. VI, 126.* itemque *Seiana*, *Pupiana*, et similia, de quibus erudite differit Reines. *Var. Lect. III, 12. p. 545. seq.* Non solum vero frumenti, sed et vini oleique, praestabantur decumae, quae et ipsae Romam ad populi vsus mittebantur, vt docet Burmann. *de Vectig. Pop. Rom. II. et III.*

CXVI. Non minus pingue vectigal ex pa- CXVI. Scri-
 scuis prouincialibus redibat et saltibus. Tales ptura.
 enim non solum in Italia erant, sed et in prouinciis. Vnde *magistrorum scripturae in Asia et Sicilia* meminit Cicero *ad Att. V, 15. Verrin. V, 70.* Scriptura vero dicebatur hoc vectigal, quia pastores oportebat apud publicanum numerum pecudum, quas in pascua publica immittere vellent, profiteri: quem publicanus in tabulis suis adnotabat, et scribebat, ex qua scriptura postea ratio inter pastorem et publicanum conficiebatur. Festus *voce Scripturarius p. 429.* Sed hoc genus vectigalium sub Imperatoribus aliam induisse faciem, et praeter pensio-

nes ex pascuis dominicis, etiam certum numerum pecudum ex gregibus praestandum fuisse a prouincialibus, ex Cassiodor. *Var. XI, 39. l. 3. C. Theod. de suar. pecuar. Vopisc. Prob. XV.* demonstrat V. C. Burmannus *de Vectig. pop. Rom. IV.*

CXVII. Portoria.

CXVII. Soluebant prouinciae etiam portoria. De Sicilia id certum est ex Cic. *Verr. II, p. 72. seq.* de Asia ex eiusdem *Agrar. II, 29.* de Britannia ex Tacit. *Vit. Agric. XXXI.* Nec tantum de mercibus in portum deuehendis dabatur portorium, verum etiam pro itineribus. Sueton. *Vitell. XIV.* maxime pro cadauere, quod non nisi permissu maximi Pontificis vel principis transferri in alium locum poterat *l. 37. D. de relig. et sumt. fun.* Sustulisse ea vectigalia dicitur Pertinax apud Herodian. *Hist. II, 4.* Sed restituta eadem esse oportet a sequentibus Imperatoribus, siquidem adhuc illorum mentionem facit Vlpianus *l. 21. D. d. donat. inter. vir. et vxor.* Vectigal tamen pro cadauere transferendo sublatum est constitutione, quae est in *l. ult. C. de relig.* quam ex Graecis restituit Iac. Cuiac. *Obs. XI, 21.* Plura de portoriis dabit V. C. Petr. Burm. *de Vectig. Pop. Rom. XI.*

CXVIII. Alia vectigalium genera,

CXVIII. Praeter haec et alia erant vectigalia, quae in quibusdam prouinciis exigebantur. Ex ferrariis argentariisque, immo et aurifodinis vectigalia magna dare cogebantur Hispani Liu. *XXXIV, 21.* Strab. *Geogr. III.* Africam e marmoribus soluisse vectigalia constat ex *l. 1. C. Theod. de metall.* Macedonia etiam, Illyricum,

cum, Thracia, Britannia, Sardinia ex metallis vectigaliā pendebant. Petr. Burmann. *de Vectig. VI.* Potestas enim indagandi metalla etiam priuatis erat, antequam illis eam ademerat Tiberius. Sueton. *Tiber. XLIX. Plurimis etiam ciuitatibus et priuatis veteres immunitates, et ius metallorum, ac vectigalia adempta.* Restituerunt deinde iisdem hoc beneficium sequentes principes, sed ea lege, vt certum inde *canonem metallicum* soluerent, de quo agit *l. 4. C. Theod. de Metallar. et ib.* Iac. Gothofredus. Eiusdem generis fuit ex cotibus prouentus in Creta insula, de quo Plin. *Hist. Nat. XXXVI, 22. l. 15. D. de public. et vectigal.* Meurs. *Cret. Lib. I. Cap. XII. p. 48. Lib. II. Cap. IX. p. 116.* Vectigalis picariarum mentio fit in *l. 17. §. 1. D. de V. S.* A vectigali etiam liberae non fuerunt salinae, quales in Macedonia aliisque prouinciis fuisse, patet ex Liu. *XLV, 29.* Plin. *Hist. Nat. XXXI, 7. I. Maccab. X, 29. l. 4. §. 7. D. de censib.* De eo quoque vectigali pluribus agit Petr. Burmann. *de Vectigal. P. R. VI.*

CAP. V.

DE MVNICIPIIS, COLONIIS, PRAEFECTVRIS, CIVITATIBVS FOEDERATIS.

CXIX. Quid interfuerit inter iura ciuitatis, Latii, Italiae, et prouinciarum, satis adhuc videtur a nobis explicatum. At non omnes in Latio

CXIX. Cur hic agatur de municipiis, coloniis etc.

Latio ciuitates iure Latii, nec omnes in Italia iure Italico, aut in prouinciis iure prouinciarum vsae sunt; sed aliae MVNICIPIORVM, aliae COLONIARVM, aliae PRAEFECTVRARVM, aliae aliis nominibus sunt insignitae, de quibus singulis paullo distinctius agendum.

CXX. Quid municipia?

CXX. MVNICIPES erant *ciues Romani*, in *municipiis legibus suis et suo iure utentes*, *muneris tantum cum populo Romano participes*, a quo *munere capessendo appellati videntur*, nullis aliis necessitatibus, neque vlla lege, quam in quam *populus eorum fundus factus esset*. Gell. Noct. Attic. XVI, 13. Erant ergo I. *ciues Romani*, adeoque multis iuribus ac priuilegiis, quae solis ciuibus Romanis propria erant, gaudebant (a), sed non tamen erant *ciues ingenui*, vt Romae habitantes vocat Cicero in *Bruto cap. LXXV*. neque iure optimo ciuitatis gaudebant, nisi Romae constituissent domicilium. II. *Suis legibus et suo iure utebantur*, id est, propriis suis legibus atque institutis, quae leges municipales dicuntur, l. 3. §. 4. D. *quod vi aut clam*. l. 3. §. 5. D. *de sepulcr. viol.* regebantur, neque cogebantur Romanas leges recipere, nisi id sua sponte vellent, quo casu *fundi facti* eiusmodi populi dicebantur. Cic. *pro Balbo XX*. Non ergo ius suum vel *ἀπονομίαν* amittebant municipes, iure suffragii donati, ceu existimat Sigonius, *de ant. iure Ital.* II, 7. sed tantum foedus, id

(a) Hinc et lupam cum puerulis solent in numis signare. Vaillant. *de Numism. aen. Imp. in Municip. et Colon.* T. II. p. 113.

id est, noua amplius foederati Pop. Rom. erant, sed ciues. Et ita intelligendus locus Ciceronis *pro Baibo Cap. VIII. In quo magna contentio Heraclienſium et Neapolitanorum fuit, cum magna pars in iis ciuitatibus FOEDERIS SVI (b) libertatem ciuitati anteferret.* III. Muneris cum populo Romano erant participes. Idque praecipue intelligendum de muneribus militaribus. *l. 18. D. de. Verb. ſign.* Gaudebant enim municipia iure legionis, adeoque participes erant munerum militarium, vnde et dici videntur municipes.

CXXI. Municipia eiusmodi initio non niſi intra Italiam olim reperiiebantur, eoque nomine ante leges Iuliam et Plotiam celebrantur Caerites, Tuſculani, Lanuuini, Arcini, Nomentani, Pedani, Fundani, Formiani, Campani, Equites, Cumani, Sueſſulani, Acerrani, Priuernates, Anagnini, Arpinates, Trebulani, Sabinini, aliique plures, de quibus Onuphr. Panuin. *de Rep. Rom. III, p. 354.* Car. Sigon. *de Ant. iure Ital. II, 9.* Poſtea vbi extra Italiam arma victricia extulere Romani, etiam in prouinciis ciuitas non vna municipiorum iuribus dona-

CXXI. Ea vel Italica vel Prouincialia?

(b) Ita editiones Cicerones priores, et ad veterum librorum fidem adornatae. Aſt Paull. Manutius et poſtea Iſm. Bullialdus *de populis fundis p. 1. 936. Tom. II. Theſ. Ant. Rom. Graec.* legerunt *iuris ſui libertatem pro foederis ſui libertatem*, quae lectio etiam editori Pariſienſi Orationum Ciceronis, quae in uſum Delphini prodierunt, placuit. Sed antiquam lectionem erudite defendunt. H. Valeſ. in eodem *Theſ. Ant. Rom. Tomo. II. p. 1947.*

donata est. Sic in Baetica Plinius *Hist. Nat. III, 2. seq.* numerat municipia VIII. in citeriore Hispania XIII. in Sardinia II. in Lusitania vnum. Eodem pertinent tot numi, in quibus ciuitates prouinciales, ciuitate donatae *ἀυτονομίαν* suam celebrant (c), de quibus Henr. Noris. *de Epoch. Syro Maced. III. p. 352.*

CXXII. Tri-
plex muni-
cipiorum
genus.

CXXII. Sed non vna tamen erat municipiorum conditio. Tria eorum genera distinguit Festus voce *Municipium p. 324.* quem locum a multis laudatum, a paucis intellectum, primus accurate exposuit Ez. Spanhemius *Orb. Rom. Exerc. I. Cap. 12. §. 70.* Primo ergo, ex Festi sententia, *municipium id genus hominum dicitur, qui cum Romam venissent, neque ciues Romani essent, participes tamen fuerunt omnium rerum, ad munus fungendum vna cum Romanis ciuibus, praeterquam de suffragio ferendo, aut magistratu capiendo.* Hi ergo, dum in patria man-

(c) In numis aeneis Imperatorum, a municipiis et coloniis caulis, quos collegit Io. Foy Vaillantius, occurrunt municipia varia veluti *Aelium Coillutanum* in Numidia *T. I. p. 169. 198. 210. T. II. p. 31. 64. 79. Bilibis* in Hispania *T. I. p. 12. 95. 100. Calagurris* in eadem *T. I. p. 21. 70. Cascantum* in eadem. *T. I. p. 71. Cluua* in eadem. *T. I. p. 72. Ergauica* in eadem *T. I. p. 35. 76. 103. Graccuris* in eadem. *T. I. p. 79. Ilerda* itidem Hispanica. *T. I. p. 36. Illergauonia* ibidem *T. I. p. 77. Italica* ibidem. *T. I. p. 37. 51. 78. 92. 95. Osa* ibidem *T. I. p. 28. 78. 95. 103. Oserda* ibidem *T. I. p. 80. Stobiense* in Macedonia *T. I. p. 132. 135. 143. 149. T. II. p. 15. 22. 43. 59.* quod tamen tempore Vlpiani iuris Italici fuit. *l. 8. §. 8. D. de censib. Tar-raco* in Hispania Tarraconensi, *T. I. p. 47. 53. 83. Vtica Iulia* *T. I. p. 86.*

manferunt, peregrini habiti: Romam commigrantes iura ciuitatis, sed non optimo iure consecuti sunt, exclusi quippe a suffragii latione et petitione honorum. *Deinde et id hominum genus dicebantur municipes, quorum ciuitas vniuersa in ciuitatem Romanam venit.* Et hi quidem veri ciues Romani erant, ipsaque iura suffragiorum ac honorum habebant. Vnde et certae tribui Galeriae adscriptos fuisse docet Noris. *Cenotaph. Pisan. Diss. I, 1.* Tertium denique municipum genus ab eodem Festo memoratur, *qui ad ciuitatem Romanam ita venerunt, ut municipes essent suae cuiusque ciuitatis et coloniae:* vel, ut paullo ante dixerat, *qui ea conditione ciues Romani fuissent, ut semper rempublicam a populo Romano separatam haberent.* Atque hic in populi Romani leges et iura fundi non erant facti, nec se iisdem obstrinxerant. Et in his tertii generis municipiis ciues non gaudebant iure honorum et suffragiorum. Vnde nec tribui erant adscripti, nec participes sacrorum curialium habebantur, sed sua illis erant sacra municipalia, ne quibus Festus *l. c.*

CXXIII. Illud adhuc obseruandum, in municipiis plerisque eam fuisse institutam reipublicae formam, quae imaginem quandam speciemque reip. Romanae referet. Quemadmodum Romae senatus: ita in municipiis decurionum erat collegium (*d*), quod **AMPLISSIMUM**

CXXIII. Res publicae municipiorum.

(*d*) Hi ita dicti videntur Vellero *Res. August. V. p. 74.* a decuriis, in quas fuerint descripti. Habebant hi suum

SIMVM ORDINEM, apud Cic. *pro Coelio XI.* NOBILLISSIMORVM ORDINEM, in lapide apud Gruter. *p. CCCXXI, 7.* ORDINEM SPLENDIDISSIMVM in alio *p. CCLXXV, 2.* VIROS PERFECTISSIMOS ET RRINCI- PALES et ORDINEM SPLENDIDISSI- MVM *p. CCCLXIII, 2.* ORDINEM SAN- CTISSIMVM *p. CCCXCIII, 5.* ac denique CONSCRIPTOS *p. CCCCLVI, 1.* vocari animaduertimus. Quemadmodum porro Ro- mae erant bini consules: ita in municipiis Du- umuiri, qui summo loco ciuitatibus praeerant, et ad consulem exemplum pro fascibus bacillis utebantur. Lips. *Elect. I, 23.* Sed nonnunquam tamen et fascium vsum affectabant. Cicero *Agrar. II, 34.* de L. Confidio et S. Saltio Ca- puae duumuiris: *Artebant lictores, non cum bacillis,* (seu alias in municipiis fieri solebat,) *sed, ut hic praetoribus antecunt, cum fascibus duobus.* Quin aliquando hi duumuiri consu- lum affectabant nomen. Quamuis enim id negent Velfer. *Rer. Augustan. V, 272.* et Reinelf. *Var.*

suum censum, non secus ac Romani senatores, qui erat centum millium. Plin. *Epist. I, 19.* Quemadmo- dum etiam Romae iis, qui non fuerant magistratus, nec triumphauerant, ornamenta aliquando consula- ria, praetoria, triumphalia dari solebant: Ita et in marmoribus municipiorum frequenter mentio fit or- namentorum Duumuiralium, Aedilitiorum, Quatuor- uiralium, Decurionalium, veluti apud Spon. *Mi- scell. Erud. Ant. p. CLXIV.* EXORNATO OR- NAMENTIS DECVRIONALIBVS. Inter ornamen- tu haec erat praetexta, decurionibus permessa. Liu. XXXIV, 7.

Var. III, 16. Capuanos tamen magistratus suos vocasse *coff.* obseruat Cic. *pro Pis.* XI. Alia exempla sese offerunt apud Plin. *Hist. Nat.* VII, 43. Phil. a Turre *de colon. Foro iul. pag. CCCLX.* Gruter. *Inscr. p. CCCLI, 5.* Henr. Norif. *Cenotaph. Pis. Diff. I, 3.* Fabret. *Inscript. X, 439.* Sic et Graece $\epsilon\pi\alpha\tau\omicron\iota$ et $\delta\iota\sigma\epsilon\pi\alpha\tau\omicron\iota$ duumviri dicti. Olear. *ad Philostrat. vit. Herod. p. 546.* Conf. Euerard. Otton. *Diff. de consul. extra Romam. Cap. II.* In municipiis porro erant Dictatores, (Cic. *pro Milon. X.*) Aediles (Suet. *de clar. Rhet. VI.*) Quaestores, Censores, qui et *quinquermales* dicebantur. Cic. *Verr. II 52.* Liu. XXIX, 15. Gruter. p. CCCLXVI, 2. CCCXXXII, 5. immo et praetores Liu. *Epitom. LXXIII.* Plin. *Hist. Nat. XVII, 11.* Spon. p. CLXXXII. Quatuorviri, Decemprimi, et alii, de quibus Car. Sigon. *de antiquo iure Ital. II, 8.* et omnium accuratissime Henr. Norif. *Cenotaph. Pisan. Diff. I, 3.* Porro quemadmodum Romae leges ferebantur: ita et in municipiis, idque eadem fere ratione utrobique factum esse, patet ex loco Cic. *de Leg. III, 16.* *Et auns quidem noster singulari virtute in hoc municipio, quoad vixit, restitit M. Gratidio, cuius in matrimonio sororem, auiam nostram, habebat, parenti legem tabellariam.* Denique et Flamines suos habebant, non secus ac Romani, quorum meminit Cicero *pro Milon. X.* et publica vectigalia, quibus sumtus in republica necessarii sustinebantur: *l. 17. §. 1. D. Verb. sign.* ut adeo in omnibus videantur municipes se ad Romanae

nae reip. formam, quantum fieri poterat, composuisse.

CXXIV. Coloniae quid? et cur deductae?

CXXIV. Haec de municipiis: pergendum ad COLONIAS. Ita vocabantur oppida, in quae populus Romanus ciues suos ad incolendum deduxerat, vel, vt Gellius *Noct. Att. XVI, I 3.* ait, *ciuitates, ex ciuitate Romana quodammodo propagatae.* Solebant enim Romani ex Romuli instituto non seruitute mulctare oppida bello capta, sed saepe in ea colonos ex vrbe deducere, qui locis istis loco praesidii essent. Dionys. Halic. VII, 439. Appian. *de Bello ciuili. I. p. 604.* Et profecto vtilissimum erat hoc institutum, tum ad coërcendos veteres populos, tum ad reprimendas hostium iucursiones. Praeterea hoc pacto vrbae faex et sentina exhauriebatur, multisque seditionibus subtrahebatur fomentum. Immo et luculentum hoc erat medium praemiis afficiendi veteranos, iisque certos agros, e quibus alerentur, adsignandi. Car. Sigon. *de antiquo iure Ital. II, 2. pag. 625. (e).*

CXXV. Modus deductionis colonias,

CXXV. Coloniae deductionem praecedebant leges agrariae, quibus et ager, quem diuidi vellet populus, definiiebatur, et quibus hominibus, quam multis, per quos, et quomodo esset diuidendus, praescripi solebat. De quibus legibus agrariis accuratissime suo more egit Car. Sigon. *l. c.* Lata eiusmodi lege, deducebatur

(e) Species quoque Coloniae fuit *ver sacrum*, quo omnia proximo vere nata Diis sacrabantur, puerosque adeo et puellas in adultam aetatem velabant et extrinsecus deinde agebant. Festus voce *Mamertini*.

batur colonia modo per *triumuiros*, Liu. IV, 11. VIII, 16. modo per *decemuiros*. Cicér. *Agrar. II, 35*. quamuis et *quinqueuirorum*, *septemuirorum*, *vigintuiurorum* coloniae deducendae hinc inde fiat mentio: quos omnes decurionibus, auguribus, pontificibus, apparitoribus, scribis, librariis, praeconibus, architectis, mulis, tabernaculis, suppellectile, ianitoribus, stipatoribus corporis magnifice ornatos, potestatem in certos annos accepisse, non obscure indicat Cicero *Agrar. II, 12. 13. 35*. Hi ergo ita constituti ornatique nouos colonos in agros, lege definitos, sub vexillo, quasi exercitum quendam, educebant. Cic. *Phil. II, 40*. Appian. *de Bell. ciu. III. p. 552. seq.* Plutarch. *Gracch. p. 839. Tom. I*. Vbi ad destinatum peruenierant locum, nouam urbem et agrum (f) aratro circumscribebant, eo more, quem paullo post sequentis libri titulo primo explicabimus, singulisque colonis agri partem adsignabant. Liu. IV, 47. XXXVII, 57. Omnia vero fiebant auspicato, et factis sacrificiis, additaque lustratione, ut ex Cicero. *Philipp. II, 40. Agrar. II, 12*. aparet, ex quo etiam constat, nefas fuisse, coloniam iterum eo deducere, quo antea deducta fuerat.

C c 2

CXXVI.

(f) De urbe res certa est ex locis Varronis, Plutarchi, aliorumque, paullo post *Lib. I. Tit. II. n. 6*. adferendis. Agros quoque vomere circumscriptos, patet ex loco Cicero. *Philipp. II, 40. Caesilinum coloniam eduxisti, quo erat paucis annis ante deducta, ut vexillum tolleres, et aratrum circumduceres, cuius quidem vomere portam Capuae pene perstinxisti, ut florentis coloniae territorium minueretur.*

CXXVI. Coloniae quod triplices?

CXXVI. Ceterum, ut municipia, ita coloniae non erant unius generis. Aliae erant CIVIVM ROMANORVM, aliae LATINI, aliae ITALICI iuris. Aliae porro TOGATAE vel plebeiae, aliae MILITARES dicebantur. Et has signis quibusdam in numis discerni, obseruant eruditi. Coloniae enim plebeiae aratro; militares signo militari plerumque denotantur. Quae aratrum et signa iungunt, indicant, primam deductionem e ciuibus, supplementum e veteranis militibus fuisse, ut notat Raph. Fabret. *ad column. Traian. p. 10. seq.* Addunt alii alia signa, veluti Strauch. *de Beryt. Cap. II, 11.* quod coloniae Italici iuris praetulerint in numis virum ritu Gabino cinctum, et bouem agentem. Add. Io. Harduinus *Antirrhet. p. 136.* quod Italici et Latini iuris coloniae, (quas pro iisdem habet) nullis signis in numis distinguantur. Sed haec omnia plerumque falsa esse, iam alii docuerunt. Vid. Ez. Spanhem. *de Vsu et Praest. numism. Tom. II. p. 602. et Orb. Rom. Exerc. II. Cap. 19. p. 332.* Nos ea, quae certiora sunt, consectantes de coloniarum generibus singulis distincte agemus.

CXXVII. Quid coloniae ciuium Romanorum.

CXXVII. Coloniae CIVIVM ROMANORVM erant, quas potiore iure, quam Latii, deducebant Romani. Discrimen hoc tangit Liu. XXXIX, 56. ubi de colonia Aquileiam deducenda agit. *Illud agitabant, inquit, uti colonia Aquileiam deduceretur, nec satis constabat, an CIVIVM ROMANORVM deduci placeret: postremo LATINAM potius COLONIAM*

NIAM *deducendam, patres censuerunt*. Vtrum istae ciuium Romanorum coloniae omnia ciuitatis Romanae iura retinuerint, an eadem amiserint, adhuc disputant eruditi. Car. Sigonius *de ant. iure Ital. III, 3.* iis tantum iura Quiritium tribuit, veluti libertatis, gentilitatis, conubii, patriae potestatis, legitimi domini, nexus, vfucapionis, et si qua sunt huius generis alia: adimit vero ipsis iura ciuitatis publica, veluti census, tributorum, vectigalium suffragii, honorum et similia. At Manutius *de ciuitate Romana* eos ius quoque ferendi suffragii magistratuumque Romae gerendorum retinuisse contendit, cuius sententiam etiam ex numis adstruxisse sibi videtur Io. Harduin. *Antirrhet. p. 136.* Et certe ciues saepe vocantur eiusmodi coloni apud Liu. VIII, 14. VI, 21. Ipsi quoque Latini, qui nomina in coloniam Romanam dederant, ciues Romani dicuntur facti. Liu. XXXIV, 24. Romae porro censi leguntur huius generis coloni apud Liuium XXIX, 37. Unde non absurde colligas, omnia iura ciuitatis Romanae retinuisse ciues colonos. Sed potior tamen hac in re esse Sigonii sententiam, luculenter ostendit Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. II. Cap. 19. p. 329. seq.* Nihil enim clarius est loco Dionis XLIII, p. 233. vbi Caesarem, ait aliis immunitatem, aliis agros, *πολιτείαν δὲ τισὶ, καὶ ἄλλοις ἀπόκοις τῶν ῥωμαίων νομίξασθαι*: *aliis ciuitatem, aliis autem vt ius haberent coloniarum Romanarum, dedisse*: vbi ius ciuitatis Romanae a iure coloniarum ciuium

Romanorum manifesto feiungitur. Vt adeo admodum verosimile sit, colonias illas ciuium Romanorum iura suffragii, gerendorumque Romae magistratuum omnino amittisse.

CXXVIII.
Quid colo-
niae Latinae?

CXXVIII. Durior longe conditio erat coloniarum LATINARVM, quippe quae ne iura quidem Quiritium habebant. Quod adeo verum est, vt ciues Romani, qui nomina in huiusmodi coloniam dederant, capitis deminutionem mediani paterentur. Cicero *pro A. Caecina XXXIII.* *Certe quaeri hoc solere, me non praeterit, (vt ex me ea, quae tibi in mentem non veniunt, audias,) quemadmodum, si ciuitas adimi non posset, in colonias Latinas saepe ciues nostri profecti sint? Aut sua voluntate aut legis mulcta profecti sunt: quam mulctam si sufferre voluissent, tum manere in ciuitate potuissent.* Add. *pro Doma XXX.* Boeth. in *Topic.* Ciceron. II. p. 780. Quod vero Salmasius cum aliis viris doctis autumat, colonias Latinas ex meris libertinis constituisse, illud dudum est a viris doctis exploratum. Plura de coloniis Latinis dabunt Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. I. Cap. 8. p. 46. seq.* Sigon. *de antiquo iure Ital. II, 2. p. 661.*

CXXIX. Quid
coloniae iu-
ris Italici et
prouincia-
les?

CXXIX. Coloniarum ITALICI IURIS iam supra meminimus. Eae procul dubio deterioris adhuc erant conditionis, quam Latinae, paullo melioris tamen, quam prouinciales. Discrimen inter vtrasque maxime in immunitate a tributis constitit, seu immunitate a censu capitis et soli. Donat. *ad Suet. Aug. XL.* Gothofr.

ad

ad Cod. Theodos. Tom. V. p. 222. 223. Quamquam enim et prouinciales coloniae nonnunquam immunes erant a tributis, vt constat exemplo coloniae Caesariensis primae Flauiae *l. ult. §. 7. D. de Censib.* et Plin. *Hist. Nat. III, 3. et 11.* colonias et ciuitates immunes ab iis, quae iuris erant Italici distinguit: tamen ex *l. ult. §. 5. D. de cens.* satis patet, non in leuatione census sed immunitate a censu capitis et soli, illud ius constituisse. Forma vero censionis quae fuerit, et cur ea fuerit instituta, satis apparet ex *l. 4. D. de censib.* cui addendus Iac. Guther. *de offic. Dom. Aug. III, 9. p. 591.*

CXXX. Coloniae MILITARES ex militibus veteranis: quemadmodum PLEBEIAE ex ciuibus, vel, vt posteriore aeuo dicebantur, ex *paganis* vel *priuatis*, (nam et hi militibus opponi solebant, *l. 19. C. de pact. l. 2. C. Theod. et l. 1. C. Iustin. de fals. mon. l. 5. C. ad L. Iul. maiest.*) ducebantur. Illae ideo inuentae, vt veterani milites, stipendiorum diuturnitate fessis, praemium aliquando laborum caperent. Auctor huius instituti L. Sulla, quem deinde Iulius Caesar, Augustus, alique sunt imitati. De coloniis, militaribus a Sulla et Caesare deductis, testatur Appian. *de Bello Ciu. III. p. 552. Epit. Liu. LXXXIX.* de aliis ab Augusto missis Hyginus *de Castramet.* et, qui hic diligentissime omnia exsecutus est, Sigon. *de antiquo iure Ital. III, 4. p. 776. seq.* Ceterum in eiusmodi colonias integrae legiones cum centurionibus ac Tribunis suis deducebantur. Hyginus: *Mul-*

CXXX. Quid
coloniae
militares?

ti. legionibus contigit bellum feliciter transigere, et ad laboriosam agriculturæ requiem primo tirocinii gradu peruenire. Nam cum signis et aquila et primis ordinibus ac Tribunis deducebantur. Sed ab usu recessit hic mos tempore Neronis, de quo Tacit. Annal. XIV, 28. Non enim ut olim, uniuersæ legiones deducebantur cum Tribunis et centurionibus, et sui cuiusque ordinis militibus, ut consensu et caritate remp. efficerent: sed ignoti inter se, diuersis manipulis, sine rectore, sine affectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repente in unum collecti, numerus magis, quam colonia.

CXXXI. Resp.
coloniarum.

CXXXI. Ad rempublicam coloniarum quod attinet. in eo potissimum inter colonias et municipia erat discrimen, quod hæc suis legibus atque institutis; illae dato a Romanis iure utebantur. Gell. Noct. Att. XVI, 13. *Coloniarum alia necessitudo est, (quam municipiorum) non enim veniunt extrinsecus in ciuitatem, nec suis radicibus nituntur, sed ex ciuitatibus quasi propagatae sunt, et iura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii, habent. Iis ergo legibus vivebant coloni, quas dederant Romani, et in primis decemuiri, vel triumuiri coloniarum deducendarum. Quare merito apud eundem Gellium miratur Hadrianus Imp. Italicenses, et quaedam item alia municipia antiqua, cum suis moribus legibusque uti possent, in ius coloniarum mutari gestiuisent. Ceterum iisdem pene, quibus municipia, etiam coloniae gaudebant magistratibus. Publicum habebant decu-*

decurionum consilium, nihilque in lapidibus frequentius est siglis DEC. COL. quemadmodum in iisdem marmoribus etiam SENATORES COLONIARVM occurrunt apud Reines. *Inscript. pag. CXXXII.* Erant et in coloniis Duumviri, Aediles, Quaestores, Censores. Erant sacerdotes, augures, pontifices. Cicer. *Agrar. II, 35.* Vt adeo non abs re Gellius *l. c.* colonias quasi effigies paruas, et simulacra maiestatis populi Romani appellet. Addatur Car. Sigon. *de ant. iure Ital. II, 4. p. 666. seq.*

CXXXII. Proximae sunt PRAEFECTURAE, quarum longe durior, quam coloniarum, erat conditio. Vnde et eae demum ciuitates in praefecturae formam redigebantur, quae iniquae ingrataeque erga populum Romanum fuerant, fidemque semel atque iterum fefellerant. Vti vel ex earum origine apud Liu. I, 38. iuncto loco Dionys. *Hal. III. p. 187.* apparet. Parum vero a prouinciarum forma differebat forma praefectarum. Quemadmodum enim in illam quotannis praesides: ita in praefecturas praefecti mittebantur, qui tamen eatenus a praesidibus differebant, quod illi a populo, vel a Senatu, libera adhuc republica, deligerentur: hi partim a populo partim a praetore. Fest. *voce praefecturae p. 374.* Praefecturae ergo neque iure ciuitatis, neque Latii, neque Italico gaudebant, sed priuatum eorum ius omne ab edictis praefectorum; publicum a Senatu Romano proficiscebatur, qui iis pro lubitu tributa, vectigalia, militiam imperabat. Fuere tamen

CXXXII.
Quid praefecturae?

praefecturae aliae aliis liberiores. Quemadmodum enim Capua in praefecturae formam redacta, nullum in vrbe remanebat corpus ciuitatis, nullus Senatus, nec plebis concilium, nec magistratus, teste Liuius: XXVI, 16. ita in aliis praefecturis, Festo auctore, fuit *quaedam respublica, quamuis magistratus suos non haberent*. Sane fuit in reliquis praefecturis Senatus simulacrum, qui conuentus dici solebat, qualentiam etiam postea, patrono Cicerone, Capuani impetrarunt. Cic. *pro Sext. IV.* fuit ordo equestris, fuere. qui publicam rem curarent, Aediles et Quaestores. Sed his omnibus praeerant, qui iuris dicundi causa Roma mittebantur, praefecti. quos Festus (dummodo non in mendo cubat locus) *Sexuiros et Quatuoruiros*; Horatius vero *Serm. I, 5. v. 35.* *Praetores*, appellat, vbi de Praefectura Fundana:

*Fundos, Ausidio Lusco praetore, libenter
Linquimus, insani ridentes praemia scribae,
Praetextam, et latum clauum, prunaeque
catillum.*

Praefecturas huiusmodi, in quas Populi suffragiis Praefecti mittebantur, Festus recenset Capuam, Cumas, Casilinum, Vulturnum, Linternum, Puteolos, Acerras, Suessulam, Atellam, Calatiam: Contra Praetor praefectos, teste eodem, mittebat Fundos, Formias, Caeren, Venetum, Allicas, Priuernum, Anagninam, Frusinonem, Reaten, Saturniam, Nursiam, Arpinum: quanquam pleraeque postremis temporibus ad coloniarum vel municipiorum conditionem perue-

peruenerunt. Vid. Car. Sigon. *de ant. iure Ital.* II, 10. *seq.*

CXXXIII. Reliquae ciuitates, quae neque municipia, neque coloniae, neque praefecturae, erant, ciuitates FOEDERATAE dicebantur. Erant enim liberae, nisi quod ex foedere quaedam debebant Romanis. Talis ciuitas foederata erat Capua; antequam in praefectura formam redigeretur, item Tarentum, Tibur, Praeneste, Neapolis, quae licet foedere obstrictae Romanis, adeo tamen rempublicam suam habebant, vt et ii, quibus aqua et igni interdictum, ciuitatem Romanam amisisse viderentur, simul ac in eiusmodi ciuitatem fuissent recepti. Forma reip. varia erat siquidem aliae dictatoribus et consulibus, aliae alijs magistratibus parebant, ceu luculenter idem ostendit Sigon. *l. c.* II, 14.

CXXXIII.
Ciuitates
foederatae?

CAP. VI.

DE STATV PEREGRINORVM.

CXXXIV. Omnes, qui non erant ciues, veteribus Romanis PEREGRINI dicebantur, siue Latini essent, siue Italici iuris; siue in provincia, siue in praefectura aliqua morarentur. Schilter. *Dissert. de iure peregrin. n. IX.* Hinc et in Latini iuris hominibus τῆς ξενίας σύμβολα, *signa peregrinitatis* reperit Appian. *de Bell. ciu.* II. p. 443. Et legem Mensiam, dum peregrinorum meminit, etiam ad Latinos pertinere, con-

CXXXIV.
Qui peregrini dicti?

tra

tra M. Vertran. Maurum demonstrauius in *Comment. ad L. Iul. et Pap. II, 9. p. 226.* Neque tamen negauerim, Latinos, quippe ciuibus Romanis propiores, aliquando aperegrinis feiungi, veluti apud Vlpian. *Fragm. V, 4. XIX, 4.* Postea vbi Antoninus Caracalla ciuitatem cum omnibus, qui in orbe Romano viuebant, ingenuis communicauerat: soli libertini Latinae et dedititiae conditionis peregrini habiti sunt, ceteri omnes Romani dicti. Inde est, quod dedititios peregrinis accenset Vlpianus *Fragm. XX, 14.* De reliquis omnibus Romani orbis incolis ait Augustin. in *Psal. LVIII. Part. 1. sub fin.* *Quisnam non cognoscit, gentes subiectas imperio Romano? quae quidem erant, quando omnes Romani facti sunt, et omnes Romani dicuntur.* Quod adeo verum est, vt et vniuersum Romanum imperium *Romania* appellatum sit, vt pluribus veterum testimoniis demonstrant Casaubon. ad Lamprid. *Alex. Seu. V. Iustell. ad Can. Eccl. vniu. IV. p. 95. Tom. I. Ez. Spanhem. Orb. Rom. Exerc. II. Cap. 6. p. 167.* Ex quo vero Iustinianus etiam libertinos ciuitatis Romanae fecit participes: exoleuit pene peregrinorum nomen, totiusque orbis incolae in *Romanos et Barbaros* diuisi sunt, quos solos vna cum seruis in *ea vnica totius mundi ciuitate peregrinari*, dicit Sidonius *Epist. I, 6.* Quemadmodum ergo omnes Romani Imperii prouinciae *Romaniae* vocabulo veniebant: ita reliquae terrae dicebantur *ἡ βάρβαρος*, vel *barbaricum*, eadem forma, qua

qua veteres dicere solebant *hosticum*, *pacatum*, *Vindelicum*, *Noricum*, *Celticum*, *Geticum*, ceu praeclare docuit Io. Fridr. Gronou. *Obs. II*, 3. p. 233.

CXXXV. Libera adhuc republica paullo durior erat peregrinorum conditio. Versari quidem in vrbe poterant, sed ita, vt seiuncta a ciuibus esset in peregrinos iurisdictio. Praeter vrbanum enim Praetorem alius quoque erat, peregrinus dictus, qui iuri inter peregrinos et ciues dicundo praeerat. *l. 2. §. 28. D. de origiur.* Creatus primum est A. V. C. Icx. vt auctor est Flor. *Epit. Liu. XIX.* Inter vrbanum vero et peregrinum Praetorem cum aliae, tum hae quoque erant differentiae, quod ille hoc erat honoratior, quod apud illum lege agi poterat, apud hunc non poterat, vt erudite ostendit Franc. Hotoman. *de Magistr. Rom. p. 121.* Eundem edictum in albo proponere consueuisse, quod negat idem Hotomanus, supra suo loco a nobis demonstratum est.

CXXXVI. Deinde in vrbe quidem habitabant peregrini: sed veluti praecario. Vnde saepe magistratum arbitrio vrbe expulsi sunt. Sic iam anno V. C. Iccxxvii. peregrinos omnes vrbe excedere iusserat M. Iunius Pennus, Tribunus plebis, cuius legis mentio fit apud Ciceron. *de Offic. III, ii. in Brut. XXVIII.* et Fest. *voce republ. p. 407.* Similem legem A. V. C. Ioclxviii. L. Cotta et L. Torquato Coss. tulit, non Aemilius quidam Pa-
pus

CXXXV.
Peregrinis
in vrbe
praeter sin-
gularis ius
dicebat.

CXXXVI.
Saepe ex
vrbe expel-
lebantur.

pus (g), nec, vt Ant. Augustino visum, Papius quidam, sed C. Papius Cæsus, qui omnes peregrinos, exceptis iis, qui Italianam incolabant, et Glaucippo nescio quo, vrbe exesse iussit Dio Cass. XXXVII. p. 33. Cic. de O. Sc. III, ii. Agrar. I, 4. pro Archia V. (b), Idem deinde factitarunt Imperatores, quoties arctior annona incolarum numerum imminui suaderet. Augustum magna aliquando sterilitate ac difficili remedio venalicias et lanistarum familias, peregrinosque, omnes, exceptis medicis et praeceptoribus, partemque seruitiorum vrbe expulisse, auctor est Sueton. Aug. XLII. Idem suo tempore factum, conqueritur Ambros. de Offic. III, 7. Sed posterius hoc exemplum de barbaris, Romae commorantibus, videtur intelligendum. Nati enim in orbe Romano tantum abest, vt Roma exularint, vt maximam plebis Romanae partem constituerent sub imperatoribus, maxime ex quo tempore omnes qui in orbe Romano vinebant, ciues esse iusserat Antoninus Caracalla. Iam sub Domitiano ea de colliuie conqueritur Iuuenal. Sat. III. v. 58.

Quae

- (g) Ita existimauerat nescio quis, quem erudite refellit Car. Sigon. de Nomin. Rom. pag. 1420. edit. Gothofr.
- (b) Monumentum huius legis Pappiae egregium extat in numis L. Pappii Celli, C. illius Pappii legislatoris agnati, in quibus tabella conspicitur, cum literis PAPI, quam de lege hac Pappia interpretantur Ez. Spanh. de Vsu. et Praest. Numism. VI. p. 180. Fulu. Vrtin. de Famil. Rom. p. 196. Adde, quae de hac lege diximus plenius in Comm. ad L. Iul. et Pap. Popp. l. 1. 3.

*Quae nunc diuitibus gens acceptissima nostris,
Et quos praecipue fugiari, proberabo fateri,
Nec pudor obstabit: non possum ferre, Quirites,
Graecam urbem, quamuis quota portio faecis
Achaei?*

*Iam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam, et mores, et cum tibicine chordas
Obliquas, nec non getilia tympana secum
Vexit; et ad circum iussas prostare puellas.*

Et Herodianus *Hist.* I, 12. referens, pestilentiam sub Commodo Romanum orbem deuastasse, eam potissimum addit in ciuitatem Romanam saeuisse, πολυάνθρωπόν τε ἔσθην, καὶ τὰς πανταχόθεν ὑποδεχομένην, quae et per se populo abundarit, et aduenas toto orbe confluentes exceperit. Idem *Lib.* VII. cap. 7. populi Romani indolem, qualis sub Maximino Imperatore fuerit, describitur: καὶ πάντες μὲν, inquit, ὄχλοι κῆφοι πρὸς τὰ καινοτομέμενα, ὁ δὲ ῥωμαίων δῆμος ἐν πλήθει μεγίστῳ καὶ ποικίλῳ συγκλύδων τε ἀνθρώπων πολὺ καὶ ῥαδίον ἔχει τὸ τῆς γνώμης εὐκίνητον. *Nam etsi ubique vulgus semper ad res nouas leuissimum: tamen Romana plebs in primis, quae ex magna variaque etiam peregrinorum multitudine constat, longe ceteris mobilior est.* Et sane tot Romae Syri, Phoenices, Aegyptii, Afri, Graeci, Asiatici non modo inter plebeios erant, sed et summis fulgebant honoribus, vt nihil ferre Romani sanguinis Romae superesse videretur, et urbem incolis priuaturus fuisset, qui iussisset vrbe excedere peregrinos.

CXXXVII.
Iure Quiritium et civitatis carebant peregrini.

CXXXVII. Quod ad iura peregrinorum attingit: paucis omnia complectemur, si eos tum iuribus Quiritium, tum iure publico civitatis, plane caruisse dixerimus. Non ergo liberi erant iure Quiritium ita, ut flagris virgisque caedi non possent. Neque erat ipsis ius conubii cum civibus, Ulpian. *Fragm. V, 4.* (quamvis esset ius matrimonii, quod vocabulum iuris gentium esse docuimus in *Elem. Iur. Civ. §. CL.*) neque ius patriae potestatis, *l. 3. D. de his qui sunt sui vel alieni iur.* neque iura patronatus *l. 10. §. 2. D. de in ius voc. Plin. Epist. X, 12.* neque testamenti factio (*i*), aut ius ex testamento quidquam capiendi. *l. 1. pr. D. ad L. Falc. Ulpian. Fragn. XX, 14. l. 1. C. de her. inst. l. 6. §. 2. D. eod.* Immo nec testibus eis esse licebat in testamento civis. *l. 30. C. Theod. de haeret.* Denique nec ius habebant legitimi dominii, nexus, mancipii, (quamvis recte ab iis iniri et explicari possent contractus et negotia iuris gentium), (quibus etiam acceptilatio, non quidem ratione originis, sed ratione usus accensetur. *l. 8. §. 4. D. de acceptilat.*) nec ius usufructus, de quo iam in XII. Tabulis fuerat cautum: ADVERSVS HOSTEM AETERNA AVCTORITAS ESTO. Vid. infra
Lib.

(*i*) Hinc mortuo peregrino, bona aut tanquam vacantia in fiscum cogeantur, aut privato acquirantur, si peregrinus se ad aliquem veluti patronum applicuisset, eique in clientelam dedisset. Tunc enim, illo mortuo, patronus IVRE APPLICANTIONIS in istius peregrini bona succedebat. Cic. *de Orat. I, 39.*

Lib. II. Tit. VI. Cum ergo ius Quiritium nullo modo haberent: facile patet, eos multo minus gauisos iuribus census, legionis, tributorum, suffragii, petendorum honorum, aliisque huius generis.

CXXXVIII. Sed quamuis haec omnia recte se habebant: non vniam tamen admittunt exceptionem. Primo enim, vt supra diximus, haud paullo melior erat conditio Latinorum et Italorum, qui tamen et ipsi peregrinis ante legem Iuliam accensebantur. Deinde multis peregrinis concedebantur quaedam iura Quiritium, vel beneficio populi, vel clementia Principum. Sic iam supra obseruauimus, datum esse quibusdam peregrinis ius connubii, patriae potestatis, testamenti factionis. Et hoc est celebre illud ius, vtendi toga, cuius mentio fit *l. 32. D. de iure fisci*. Accedit tertio, quod licet iure Quiritium testari haud possent peregrini, liceret tamen eis *aduersus ciuitatis suae leges testari* (k), vt ait Ulpianus *Fragm. XX, 14*. Vbi *aduersus* idem esse ac *secundum*, iam pridem obseruarunt eruditi. Quarto, multa etiam

CXXXVIII.
Exceptiones
quaedam
huius regulae.

(k) Hinc et ii, quibus aqua et igni interdictum fuerat, quamuis ad peregrinitatem essent redacti, testari tamen poterant, secundum leges videlicet ciuitatis, in quam fuerant recepti, et sub Tiberio adhuc exemplum eiusmodi testamenti memoratur apud Tacit. *Annal. IV, 43*. Sed hic ipse Principes eiusmodi exulum testamenta primus prohibuit, teste Dione *Cass. Hist. LVII. p. 618*.

etiam in fraudem legum commodumque peregrinorum fuerant inuenta. Sic tamen nihil ex testamento capere posset peregrinus: recte tamen et iure aliquamdiu capiebat per fideicommissum. §. 1. *Inst. de fideicommiss. hered.* quamuis postea omnia fideicommissa in fraudem legum relicta, irrita esse iusserit S^Ctum Plancianum, l. 59. §. 1. *D. ad L. Falc. Vlp. Fragm. XXV, 17.* quod sub tempora Vespasiani, M. Plancio Varo Cos. ad Senatum referente, conditum esse, coniecimus in *Comm. ad L. Iul. et Pap. Popp. II, 6. p. 192. seq.* Denique multa sensim sub Imperatoribus mutata sunt, quae antiqui Romani in peregrinorum odium constituerant. Sic cum *castra olim eos, quos ad labores et pericula accipiebant, fastidiosè legerent; ut ait Seneca Epist. XLIV.* postea etiam prouincialibus, ac denique ipsis barbaris, locus non solum inter auxilia et focios, sed et in ipsa legione, concessus est, ut iam supra est a nobis obseruatum.

CXXXIX.
Peregrinis
non erat ius
togae.

CXXXIX. Cum ego tanta esset inter ciues et peregrinos differentia; haud sane mirandum est, etiam externis quibusdam signis secretos illos voluisse Romanos. Ciues incedebant togati, qui togae amictus tam proprius iis erat, ut et *togati* pro Romanis, quemadmodum *palliatii* pro Graecis, dicantur. Sicuti ergo dedecori hoc erat Romanis, si palliatii incederent: Cic. *pro C. Rabino cap. IX.* ita peregrinis togae vsu legibus fuerat interdictum, Sueton. *Claud. XXV.* Plin. *Epist. IV, 11. VII, 3.*
adeo-

adeoque speciali concessione opus erat peregrinis, qui togati incedere vellent. *l. 32. de D. iure fisci (l)*. Erat vero toga amictus exterior, laneus, semicircularis, tunicae superiniectus, apertus (*m*), et ad talos vsque defluens, quem pluribus describunt A. Ruben. *de Re Vest. I, 6. p. 39.* Io. Bapt. Donius *de vtraque penula. Car. Sigon. de Iudic. III, 18.* Ceterum quamuis communis hic esset ciuium habitus: ordines tamen insignibus quibusdam distinguebantur. Magistratus enim toga praetexta; senatores lato clauo; equites angusto clauo (*n*) vti solebant. Enimuero exoleuit sensim ipsos inter Romanos togae vsus (*o*), magisque placere tunicae et birri, vt magno eruditionis apparatu ostendit Claud. Salmaf. *Annot. ad Tertullian. de Pallio. p. 79.*

D d 2

CXL.

(*l*) Glossae ergo figmentum est, in ea lege *togans* accipi pro munere aduocati. Vid. Schilter. *diff. de iure peregrin. n. XXVII.*

(*m*) Octau. Ferrarius *de re vestiar.* probare conatus est, togam Romanorum clausam fuisse. At omnes statucae veteres repugnant, quod solide demonstrauit Rubenius, quem Antiquarii plerique sequuntur.

(*n*) Latus clausus Senatorum et angustus Equitum purpurea linea aut virga fuit oblonga clauo longi instar tunicis aifuta, adeoque non clauo caput rotundum referens, quae Octauii Ferrarii opinio fuit; quem Rubenius quoque recte confutat.

(*o*) De Augusto Sueton. *Aug. XL. Etiam habitum cultumque pristinum reducere studuit At visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus et clamitans: En ait,*


Romanos rerum dominos, gentemque togatam!

Vnde patet, iam ipsis Augusti temporibus togae vsu exolefcere coepisse.

CXL. Nec
Praenomina
habebant.

CXL. Sic et nominibus discernebantur ciues et peregrini: siquidem illi etiam praenominibus, hi solis nominibus utebantur, neque prius praenomina accipiebant, quam essent in ciuitatem adsciti. Cic. *Epist. ad Famil. XIII, 36.* *Cum Demercio Mega mihi vetustum hospitium est: familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella, rogatu meo, ciuitatem a Caesare impetrauit: qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur.* Ex quo loco etiam apparet, ipsa gentilia etiam nomina, ut et cognomina eorum adsciuisse peregrinos, a quibus vel quorum ope fuerant ciuitate donati, vel alio adfecti beneficio. Id quod etiam ex praecedente epistola discimus, ubi de Philoxeno, qui postea C. Auianus dictus est: *Nomen autem Auiani inquit consecutus est, quod homine nullo plus est usus, quam Flacco Auiano, meo, quemadmodum te scire arbitror, familiarissimo.* Sed ne nimium excrescat haec appendix: hic quidem ei colophonem imponere visum est.





LIBRI II. TIT. I.

DE

RERVM DIVISIONE, ET ACQVIRENDO
IP SARVM DOMINIO.

Cum superiore libro de iure personarum exposuerit Iustinianus: hoc secundo, Caius secutus ducem, DE REBUS agit. Quare, rerum diuisiones paullo accuratius ac distinctius ex antiquitatibus Romanis proponere, atque hinc inde illustrare iuuabit. Ceterum res et pecunia quomodo differant in iure nostro, ex *l. 5. pr. D. de verb. sign. fatis* notum est.

I. Summa rerum diuisio, vt recte obseruat Caius, *l. 1. D. de diuis. rer. (a)* in duos articulos deducitur. Aliae enim erant DIVINI IURIS; aliae HVMANI. Illae iterum in SACRAS et RELIGIOSAS diuidebantur. SANCITAE enim quae addi solent, tantum *quodammodo diuini iuris* habebantur, vt *diligentius vrbs religione, quam moenibus, cingeretur.* Cicero de Nat. Deor. III, 40.

I. Prima rerum diuisio.

II. Res SACRAE dicebantur, quae publico ciuitatis instituto auctoritate Pontificum erant sollenniter consecratae. Fest. *voce sacer.*

II. Res sacrae.

D d 3

sacer.

(a) In Auiani compilatione, in qua ea lex aliter legitur, totum hoc Cui fragmentum interpolatum esse, vnicuique patet. Aleand. *Not. ad C. ii Inst. II, I. I.*

sacer. p. 417. quales erant arae, aedes, donaria (b), et quidquid fuerat Diis consecratum. Et quidem vni Deo publice consecratae aedos, *fana*; pluribus simul, tanquam *συμείωμοις* consecratae *delubra* dicebantur. II. Voss. *ad Pomp. Mel. II, 3. p. 147.* Publice, inquam, consecratae. Nam vel Senatus auctoritas, vel populi iussus, vel principis decretum accederet, oportebat. Priuata enim auctoritate nihil fiebat sacrum. Vid. Guthier. *de iure pontif. III, 12.* Templata sacra fiebant *inauguratione*, dum augures spatium sollemniter capiebant. Tacit. *Hist. IV, 83.* Id enim dicebatur *inaugurari* Cic. *pro Domo LIII.* Quaecunque vero loca non erant inaugurata, ea non *templa* dicebantur, sed *aedes sacrae*. Gell. *Noct. Att. XIV, 1.* Sequebatur II. *lustratio areae*, quae fiebat a militibus, quibus fausta erant nomina, felicibus ramis; quibus succedebant virgines Vestales cum pueris puellisque patrimis et matrimis, quae aqua e riuis, fontibus amnibusque hausta, vniuersam aream perluebant. Denique

(b) Aliae erant res *sacro commendatae*, vt vocat Cicero *de Leg. II, 9.* Hae enim non consecratae erant Diis, sed tantum securitatis causa in templis depositae. Cic. *de Leg. II, 16.* Sane in templis et delubris securitatis causa deponi solebant res pretiosissimae. In templo Saturni et Opis asseruabantur leges, Scta, pacta, foedera et pecuniae publicae. Seuerus Imp. pecunias suas et thesauros in templis reposuerat. Herodian. *Hist. IV, 4.* Quin immo in pacis templum, omnium opulentissimum et egregie munitum vniuersos ferme suas diuitias congregasse, refert idem auctor *Lib. I. Cap. XIV.* Vnde et templa custodiis militaribus cincta fuisse, obseruat Lips. *Not. ad Tacit. Annal. Lib. I. p. 17.*

rique et magistratus aderant, qui, praeunte Pontifice suouae taurilibus lustrabant spatium, et super caespitem reddebant exta, ac denique precati Deos, ut suas sedes diuina ope attoilerent, fundamenta sollemniter iaciebant, iniecto ingente saxo. Tacit. *Hist. IV, 83*. Lapis eiusmodi dicebatur *auspicalis*, qualis describitur apud Grut. *Inscr. p. XXXIX, 5*. Absoluta aede, etiam III. *dedicatione* opus erat, peragenda a magistratu maiore, qui praeunte Pontifice sollemniter carmen recitabat (c), postea manu tenens (d), Liu. II, 8. Cicero *pro domo XLVII*. Valer. Max. V, 10. Grut. *Inscript. p. XXIII, 12*. Formulas, ut solet, magno studio collegit Barn. Briffon. *de Formul. I. p. 124*. Ut vel unam exempli causa proferamus, Ioui Feretrio templum his verbis dedicauit Romulus: IVPITER FERETRI, HAEC TIBI VICTOR ROMVLVS REX ARMA FERRO, TEMPLVMQVE IIS REGIONIBVS, QVAS MODO ANIMO METATVS SVM, DEDICO,

D d 4

SE-

(c) Ab his sollemnibus verbis templa etiam FANA dicta sunt, Feit. *voce fanum. p. 287*. *Fanum a fano dictum, sive a fando, eo quod, rum Pontifex dedicat, certa verba FATVR*. Ita et Varro *de Lingua Lat. V, 7. p. 38*. Argutiora enim sunt illa II. Voithii *ad Pompon. Mel. p. 147*. *fanum* derivantis a Graeco *ναός, ναός*, unde transpositione Aeolica factum *fanus* vel *fanum*. Plutarchus *in Poplic. p. 104*. Sollemne istud carmen vocat *νενομισμένας ἐπὶ τῇ καθίστάσει Φωνὰς legitima dedicationis verba*.

(d) Unde et *manu consecrationes fieri* dicebantur. Cicero *de Leg. II, 11*. Et Ouid. *Fast. I. v. 403*.

Sacra vocant augusta patres: augusta vocantur

Templa sacerdotum rite dicata manu.

SEDEM OPIMIS SPOLIIS, QVAE, REGIBVS DVCIBVSQVE HOSTIVM CAESIS, ME AVCTOREM SEQVENTES POSTERI FERENT. Liu. I, 10. Solebant denique dedicationi IV. *leges* quaedam adici, quales hinc inde in vetustis marmoribus leguntur, recensitae ab eodem Briffon. *Form. l. p. 125.* Accedebant demum epulae et sportularum distributiones, vel publico nomine, vel a priuatis factae, quarum meminit marmor apud Reines. *Class. I, 99.* Quibus omnibus rite peractis, ita occupasse locum credebatur religio, vt nunquam esse posset in dominio priuati, etiamsi aedes essent dirutae aut vetustate collapsae. Plin. *Epist. X. 76. l. 6. §. 3. D. b. t. l. 73. D. de contrab. emt.* Vnde Macrobio *Saturn. III, 3.* sacra Deorum haberi, id est, in Deorum dominio esse, ait. Sacrae tamen res esse desinebant exauguratione, quae fiebat per euocationem sacrorum *l. 9. D. b. t.* quo de ritu videndi Macrobi. *Saturn. III, 8.* Iac. Raeuard. *coniectan. II, 17.* Briffon. *de Form. I. p. 54. 63. 64.* Captae quoque ab hostibus res sacrae esse desinebant, liberatae tamen, quasi postliminii iure pristinam recuperabant sanctimoniam. *l. 36. D. de relig. et sumt. fun.* Vnde facile patet, cur Romani hostes DIVINA HVMANAQVE omnia dedere iuberent. Liu. I, 38.

III. Res religiosae.

III. RELIGIOSAE res non minus, ac sacrae, iuris Pontificii erant, vt patet ex fragmento Ciceronis apud Nonium Marcell. II, 805. *p. 582.* Vnde etiam *sanctae* aliquando dicuntur, tanquam sanctione a Pontificibus munitae.

tae. Gell. *Noct. Att. IV, 9.* Statim vero locus fiebat religiosus, si quis mortuum in locum suum intulisset. *l. 6. §. 4. D. b. t.* siue id liberi hominis esset cadauer, siue serui. *l. 2. D. de relig. et sumt. fun.* Vnde et diui fratres cenotaphium religiosum esse negant, *l. 7. D. de rer. diuis.* quamuis aliud visum fuerit Marciano in *l. 6. §. ult. D. eod.* vbi conferendus Ampl. Bynkersh. *Obs. I, 5.* Ante rescriptum illud cenotaphium religiosum habitum esse, vel ex illis Virgilii *Aen. III. v. 303.* patet:

--- Manesque vocabat

Hectoreum ad TVMVLVM, viridi quem
caespite INANEM

Et geminam, lacrymis causam, sacrauerat
aras.

Religiosa eiusmodi loca semper erant extra urbem (e), in agris, et maxime propter vias publicas. Vnde tam frequens *viatorum* mentio fit in antiquis monumentis.

IV. RELIGIOSA habebantur sepulcra, quia dedicata erant *Diis Manibus*. Haec qualia apud Romanos fuerint, paullo accuratius est explicandum. Vnusquisque sepulcrum sibi in suo aliquo fundo deligere solebat. Bene tamen de republica meritis locus publice dari, Reines. *Inscr. Class. VI, 32.* pauperibus et minus locupletibus indulgentia Pontificum attribui solebat.

IV. Qualia
Romae sepulcra fuerint?

D d 5

solebat.

(e) Non licebat enim per Leges XII. Tabularum mortuum intra urbem sepelire. Cicer. *de Leg. II, 23.* Quam legem firmarunt Hadrianus *l. 3. §. 5. D. de sepulcr. viol.* et Diocletianus et Maximianus, *Augg. l. 12. C. de religios.*

solebat. Idem. *Inscr. Class. XVII, 1*. Aliquando plebem sibi conciliaturi, praedium aliquod sepulcris pauperum destinabant, veluti Baebius Gemellius Saffinas, qui in monumento apud Reines. *Class. VII, 20. municipibus singulis incolisque loca sepulturae dat, circa suum praedium, extra qui sibi laqueo manus intulerint, et qui quaestum turpem professi sint*. Ditiores plerumque eo loco exstruebant pyramidem, columnam aliamue molem splendidam, e marmore plerumque solido, vnde et *Domus marmorea* pro sepulcro dicitur Tibuli. III, 2. Et quamuis, quantum sumtuum sepulcris impendi posset, Edicto Aedilium expressum esset teste Cicerone *Philipp. IX, 7. Epist. ad Attic. XII, 35. 36*. Reines. *Inscr. II, 73*. tanta tamen, gliscente luxu ea in re Romanorum magnificentia eluxit, vt eam non sine stupore in marmoribus et monumentis intueamur. In ipsis sepulcris specus subterranea dicebatur HYPOGAEVM vbi locus erat certo ollarum vel urnarum numero destinatus, qui OLLARIVM vocabatur, Grut. *Inscript. p. DCCCCXXXV, 9*. Reines. *Inscr. Class. XI, 100*. vel SCHOLA OLLARVM. Reines. *Class. XVI, 53*. Ius enim sepulcrorum erat diuersum. Alia plures; alia pauciores urnas habere poterant. In inscriptione Reinesiana *Class. XVI, 60*. sunt OLLAE SINGVLARES PERPETVAE V. In aliis monumentis numerantur XV. Id. *Inscr. Class. XVI, 53*. in aliis XXIV. Id. *Class. XIV, 145*. in aliis XXIX. Id. *Class. I, 240*. Loculi vero ad recipiendas has ollas cinerarias com-

comparati, COLVMBARIA vocantur in marmoribus, quorum multa attulit, ipsamque columbariorum formam oculis subiecit Fabrett. *Inscript. Cap. I. p. 10. seq.* vbi et Reinesium notat, *Class. VII. Inscript. 21.* columbarium columbarum latibulum interpretantem. Sed ita se res habebat, quamdiu corpora cremari solebant, id quod et post Antoninorum tempora factum esse, ex monumentis paene innumeris patet. Exolescente paullatim eo ritu, arcae loco ollarum constituebant in hypogaeis, vel marmoreas, vel ex lapide Tiburtino, Grut. *Inscr. p. MCVIII, 6.* vel fictiles. Id *Inscr. p. DCCCIII, 12.* vel ex Assio lapide, cuius ea vis erat, vt cadauera statim consumeret. Qui lapis cum frequentissime his vsibus inferuisset, factum est, vt arcae illae dictae sint *sarcophagi*, ceu iam vidit Cuiac. *Obs. XXI, 13.* Quemadmodum ergo in aliis monumentis legimus, ibi sita esse OSSA, Grut. *Inscr. p. DXXXVII, 7. p. DCCCLXII, 3.* vel CINERES: Id. p. DCXCVI, 5. ita in aliis verba occurrunt: CORPVS. INTEGRVM. CONDITVM. SARCOPHAGO. Id. p. DCLXXXVIII, 10. p. DCLXXXIX, 8. In eodem porro HYPOGAEO, vbi ossa, cineres, cadauera quiescebant, erant *lampadaria*, vel lychnuchi, quorum mentio fit apud Dion. Cass. *in Domitian. vit. p. 763.* et apud Reines, *Inscr. Class. I, 240.* et *Class. XI, 100.* eorumque cura, nisi ita comparata essent, vt perpetuo lucerent, demandari solebat libertis vel ferris. Supra hypogaeum
erant

erant caenacula. Grut. p. DCXL, 2. armaria, Grut. p. CCCLXXXIII, 4. arae, Grut. p. DCCVI, 13. p. DCCVIII, 4. p. DCCXXI, 8. p. DCCCVII, 12. immo et signa et simulacra deorum, et genii familiae, qualia describuntur in marmore apud Reines. *Inscr. I, 240.* Vnde facile patet, cur ibi et aeditui fuerint, qualis ille AEDITVVS SEPVL. SERG. FAMILIAE, qui AEDITVAVIT ANN. XII. Reines. *Inscr. Class. V, 53.* itemque cur itum, ambitum, aditum sepulcris suis stipulati sint veteres, ad coronandum, sacrificandum, vescendum, quales formulae sunt apud Grut. p. DLX, 5. p. DCCCLXIV, 2. p. DCLXII, 5. p. MLXXXI, 1. cur item et eam legem sepulcris additam reperiamus, vt si quis ibi furtum fecisset, perinde obligatus sit, ac si sacrilegium commisisset. Grut. p. MLXXVI, 10. itemque, vt qui ibi minxerit, aut cacauerit, Deos superos et inferos iratos habeat. Fabrett. *ibid. p. 110.* Denique vt hanc descriptionem sepulcrorum absoluamus, et extra ea quaedam fuisse, obseruamus, quae ad illa referebantur, veluti *bortos, aedificia, tabernas, macerias, scalaria*, et inprimis *vnstrina*, quamuis ea monumentis suis applicari, quidam vetuerint. Grut. *Inscript, p. DCLVI, 3. p. DCCLV, 4. p. MXLIV, 7. 8.*

V. Cur illa religiosa habita sint.

V. Iam ergo non est quod miremur, religiosa habita fuisse sepulcra quaelibet. Dedicata enim erant Diis Manibus vel Diis inferis. Discimus hoc ex ipsis monumentis, in quibus frequentissimae sunt formulae; D. M. vel D. M. S. id est DIS MANIBVS SACRVM vel DIS. INFE-

INFERIS. MANIBVS. SACRVM. Iac. Gu-
ther. *de iure Manium III, 1.* Immo et propter
eosdem Manes consecrata dicebantur sepulcra
Gruter. *Inscript. p. ICCCCLXVII, 5.*

HAEC. AEDIFICIA. PROPRIA.
COMPARATA. FACTA.
DICATAQ. SVNT. MONIMENTI.
SIVE. SEPVLCRVM. EST. ET.
OLLARVM. QVAE. IN. HIS. AEDIFICIIS.
INSVNT. ET. CONSACRATAE. SVNT.
RELIGIONISQVE. EARVM. CAUSA.

Consecrationis sepulcri mentio etiam fit apud
eundem Grut. *p. DCCCXII, 5.* et *p. DCCCVII,*
12. Nec raro monimenta LOCA SACRA ap-
pellantur, apud Grut. *p. DCCC, 9.* *p. DCCCXXXIV,*
4. *p. DCCCCLVI, 8.* Nec ipsum tantum spa-
cium, quo cadaver concludebatur, occupare
videbatur religio, sed et aliquam vicinae areae
partem, cuius ambitum non solum in moni-
mentis designabant, hoc modo IN. FR. P.
X. IN. AGR. P. XX. id est, *in frondem*
pedes X, in agrum pedes XX. Horat. *Serm. I, 8.*
v. 12. sed et maceris murisque includebant,
vt erudite docet Brisson. *Antiqu. Rom. III, 15.*
et 16. p. 36. seq. Exempla sunt apud Reines.
Inscr. Class. VIII, 75. XII, 37. 69. 70. Cete-
rum ob hanc religionem corpora semel illata
sepulcro tolli non poterant, nisi impetrata a
Pontificibus vel principe venia *l. 8. et 38. pr. D.*
l. 14. C. de religios. vel in prouinciis a Praeside
l. 1. C. de religios. Exemplum existat apud
Gruter. *Inscript. p. IOLXXVIII.* vbi RELI-
QVIAE

QVIÆ TRAIECTAE. dicuntur III. NON FEBR. EX PERNISS. COLLEGII. PONTIFICVM. PIACVLO. FACTO. Immo ne refici quidem monimentum poterat, sine permisso Pontificum, nisi id ita fieri posset, ne reliquae tangerentur. *l. 44. §. 1. D. de rei.* Id quod etiam ex marmore constat apud Gruter. p. IXXVIII, 4. Immo nec corpus in alia arca poterat collocari, nisi volente principe. Grut. p. DCVII, 1.

VI. An sepulcra vendi poterint.

VI. Multo minus ergo sepulcra erant in commercio vel dominio, *l. 12. §. 1. D. de religios.* quamuis ipsum ius inferendi mortuum in alium transferri quocumque titulo posset. *l. 14. C. de legat.* Si locus religiosus aedificiis iunctus erat, vendi non poterat cum aedificiis: ad aedificia seorsim vendi poterant, licet coniuncta essent loco religioso, id quod ex insigni sententia lata a Senecione Subpraefecto Classis Misenenensis, et a se in lucem protracta probat. Iac. Cuiac. *Obs. XVIII, 32.* Attamen id vix intelligendum putauerim de vineis, aedificiis, agris, quae nunquam sepulcris annecti solebant ad eorum tutelam. Cuius rei permulta exempla sunt apud Grut. *Inscr. p. DCCXVII, 7. p. DCCCII, 8. p. CCXXVII, 5. p. DCCLIII, 4. p. DCXXIII, 8. p. DCXXXVI, 12. p. CCCXCIX, 1.* et Reines. *Inscr. VI, 112.* Cum vero nihilominus ius inferendi quodammodo in commercio esset: facile intelligimus, cur cauerint veteres in monumentis suis, *ne sepulcrum mutaretur, neue veniret, neue donaretur, neue pignori obligaretur, neue de nomine exiret familiae, nec villo modo abalienaretur.* Grut.

Grut. *Inscr. p.* DCCLXII, 5. *p.* DCCCIX, 2. comminati etiam poenam, fisco inferendam, iis, qui fescus facturi essent. Grut. *p.* DCCCLXI, 13. Reines. *Inscr. Class. I, 43.* Selden. *de Synedr. Ebr. I, 5.* Aliquando tamen et diuisa sepulcra legitimus eoque pertinet formula: IN PARTE DIMIDIA SVA, apud Gruter. *Inscr. p.* DCCLXXII, 14. *p.* DCCLXXII, 1. *p.* DCCCCXLVI, 5. et Reines. *Inscr. Class. IX, 38. 39.*

VII. Ceterum sepulcra vel FAMILIARIA VII. Erant erant, vel HEREDITARIA. *l. 6. l. 7. D. de religiof. et sumt. fun.* quibus tamen nos addimus vel familiaria vel hereditaria, vel tertium genus eorum, quae NEUTRIVS IV- neutrius iuris erant. FAMILIARIA vniuersae familiae ris. patebant, non autem heredibus extraneis. Vnde formulae in vetustis marmoribus: HOC MONIMENTVM EXTRVM NON SEQVETVR, NISI DE NOMINE VTRORVMQVE. POST OBITVM NOSTRV M CORPVS EXTRANEVM INFERRE NE LICEAT. NE DE FAMILIA EXEAT, alique similes. Grut. *Inscript. p.* DXCIV, 2. *p.* DXXIII, 5. *p.* DCCCLXXXI, 9. Aliquando et libertis et libertabus simul ius inferendi indulgebatur, maxime si ad exstruendum tuendumque sepulcrum aliquid contulissent, cuius rei exempla sunt apud Grut. *Inscr. p.* DCCCCXLV, 10. *p.* DCCCLIV, 2. vel si in nomine patronorum permanissent, ceu cauetur apud eundem *Inscript. p.* DCXXXVIII, 4. Si qui tamen ex libertis libertabusque male de patronis meruerant: iis locum denegare solebant

bant in sepulcro familiae. Sic apud Grut. *Inscr.* p. DCCCXLIV, 4. aliquis monumentum posuit SIBI ET SVIS, LIBERTIS LIBERTABVSQVE POSTERISQVE EORVM, EXCEPTO HERMETE LIB. QVEM VERO PROPTER DELICTA SVA ADITVM, AMBITVM, VLLVME ACCESSVM HABERE IN HOC MONVMENTO, vetat. Alibi p. DCCCLXII, 5. excipitur SECVNDINA LIBERTA, IMPIA ADVERSVS CAECILIANVM FELICEM, PATRONVM SVVM. Alia et a familiaribus diuersa erant sepulcra HEREDITARIA, quae omnes heredes, etiam extraneos sequebantur. Id quod indicare solebant formulis: H. M. H. S. id est, HOC MONVMENTVM HEREDES SEQVITVR. Vel HVIVS MONVMENTI VEL SEPVLCRIVS AD HEREDES EIVS PERTINENT PROPORTIONIBVS, QVA QVIS TESTAMENTO EIVS SCRIPTVS EST. Grut. pag. DCCCLXVI, 7. p. DCCCLXXI, 8. Denique quaedam sepulcra NEVTRIVS IVRIS, et nec *familiaria*, nec hereditaria esse diximus. Modo enim sibi tantum conditorium parabant, modo sibi et coniugi, modo sibi et suis, qui in potestate futuri sint, Grut. *Inscript.* p. DCCCXCIII, 4. modo diserte cauebant, ne quos inferri liceret, nisi quorum nomina scripta sint, et quibus conditor eius sepulcri diserte cauerit. Gruter. pag. DCCCXC, 2.

VIII. Res
sanctae.

VIII. Diuini quodammodo iuris habebantur etiam *res* SANCTAE, quales erant muri,
non

non modo Romani, sed et omnes circa alia oppida: Fest. *voce religiosus*. l. 8. §. 2. D. b. t. et ex Caii sententia, etiam portae. Ait Plutarchus *Quaest. Rom. XXVI.* muros quidem, non vero portas, sanctos esse ait. Quam controuersiam facile et sine pulueris iactu, componas Sancta res dicitur *ve ob functionem*, qua res ita munita est, vt violari impune haud possit; Fest. *voce sanctum* p. 423. Marcianus l. 8. D. b. t. vbi etiam obseruat, dictum *sanctum* esse a sagminibus herbis, quas signum fuisse inuiolabilitatis inter omnes constat. Conf. Fest. *voce sagmina*. Et hoc sensu etiam portae erant sanctae, siquidem et haec violantibus capitale propositum erat supplicium: l. 2. et 3. D. *ne quid in loco sacro fiat*. Vel sancta dicuntur, quae per solennes quasdam cerimonias dedicabantur, et hoc sensu sola moenia ac pomeria non item portae, sancta habebantur, quia per has res etiam impurae ferri vehique solebant.

IX. Quoties aut vrbs noua exstruenda, aut colonia condenda erat, toties conditor vel triumuir coloniae deducendae, cinctu Cabino ornatus, aratro aptabat aeneum vomerem, iunctisque bobus, mare et femina, ipse circum lineamenta profundum ducebat sulcum. Sequebantur coloni, et excisas aratro glebas intro vertebant. Vbi portam esse volebant, vomere exento, atque aratro sublato, relinquebant spacium. Ducto sulco, cum boues illi, tum aliae victimae imolabantur Dis medioxumis, et tum demum exstruendis multis admouebantur manus. Plut. *Rom. Quaest.* xxiv. et *vit. Romuli* p. 23. Dior. *Hal.* I. p. 75. Hinc in

IX. Ritus in condendis vrribus et exstruendis moenibus adhibiti.

numis coloniarum fere semper conspiciuntur iuncti boues, acti a viro cinctu Gabino ornato (*f*). Vid Ezech. Spanh. *de usu et praeest. num. Dissert. IX. p. 777.* Vaillant. *de numis aeneis colon. Latini iuris. Paris. MDCXCV. fol.* Adhibebantur et alia quaedam boni ominis causa, ut Festus docet voce *Quadrata p. 389.* quae tamen, qualia fuerint hodie ignoramus. Iam vero ex his facile reddideris rationem, cur moenia, non autem portae, sancta visa sint. Eae enim auspiciato non signabantur aratro, quia per illas cadauera aliaque impura euehenda erant: et hinc quoque sacrae hoc quidem sensu non videbantur. Plutarch. *Quaest. Rom. XXVI.*

X. Dedicatio moenium.

X. Perfecta moenia etiam dedicari sollemniter solebant. Idque apparet ex inscriptione apud Gruter. p. cccxvi, 2. COLONIA. AVGVSTA. VERONA. NOVA. GALLIENIANA. VALERIANO II. ET. LVCILLO. COSS. MVRI. VERONENSIVM. FABRICATI. EX. DIE. III. NON. APRILIVM. DEDICATI. FRID. NON. DECEMBRIS. Facta ergo hac dedicatione sancta habebantur moenia, ac proinde nec refici poterant sine Principum, tanquam Pontificum Maximorum, auctoritate, nec quidquam iis superimponi. *l. 8. §. 2. l. 9. §. fin. D. b. 1.*

XI. Cur sanctitas tributa moenibus?

XI. Si vero paullo accuratius rem consideres, facile apparebit, non aliam ob causam hac sanctitatis

(*f*) Hinc vrbes dictae ab *vrbo*. *Vrbare* enim veteribus erat aratro definire: *Vrbum* vero dicebatur curuatura, quod ea in vrbe condenda adhiberi consueverat. Varro *de Lingua Lat. IV, 32. p. 24.* Pompon. *l. 239. §. 6. D. de verb. signif. Conf. Iac. Ræuard. Coniectan. 11, 7. p. 49.*

tatis opinione imbutos esse homines, nisi vt ciues pro moenibus, tanquam pro re sancta, Diisque dedicata tanto fortius pugnarent. Idque etiam obseruat M. Terentius Varro *apud Plutarch. Quæst. Rom. XXVII.*

XII. Res humani iuris vel in NVLLIVS, vel in PRIVATORVM quorundam erant PATRIMONIO. In nullius patrimonio erant res *communes, publicae (g), vniuersitatis*, et quae κατ' ἐξοχὴν nullius esse dicebatur, hereditas iacens.

XII. Res humani iuris quotuplices?

XIII. COMMVNES, veteribus dictæ etiam PVBLICAE habebantur, quarum dominium nemo ita poterat occupare, vt excluderet alios. Tales erant aër, aqua profluens, mare eiusque littora. Vnde Virgil. *Aeneid. VII. v. 229.*

XIII. Res communes, vel publicae.

- - - *Littusque rogamus*

Innocuum, et cunctis auramque vndamque patientem.

Et Prudent. *adu. Symmachum II. v. 798.*

*Nunc adsunt homini data munera legibus isdem,
Quis concessa semel: fons liquitur, annis inundat,
Veliuolum ratibus mare finditur, influit imber,
Aure volat tenuis, vegetatur mobilis aër.*

*Et res natura fit PVBLICA promptaque cunctis,
Dum seruant elementa suum famulantia cursum.*

E e 2

Idem

(g) Tribonianus *princ. Inst. b. t.* res communes a publicis seiungit; quidam veterum iureconsultorum communia et publica pro iisdem habebant, vt vel ex Marciano *l. 2. D. de rerum diuis.* patet, vbi res publicae omittuntur. Pari quoque sensu veteres res communes et publicas vocasse, luculenter ostendit Ger. Nood. *Probabil. I, 7. p. 10. seq.* Liceat itaque hic vbi Antiquitates tradimus, loqui cum veteribus sentire alias cum Iustiniano, cuius doctrinam alibi fusius atque accuratius exposuimus.

Idem existimandum de fluminibus, portibus, ripis, quae et ipsa eatenus communia vel publica habebantur, ut liceret in iis piscari, alligare naues, aliaque huiusmodi facere. Sed ea omnia de innocuo usu intelligenda, neque eo extendenda sunt, ut in mare flumina, portus, nullum fuisse principum vel reip. imperium existimemus. Alia omnia ostendit Iac. Gothofredus *Diff. de Imperio maris*, quae cum aliis eius opusculis iuridicis, politicis, historicis, criticis prodiit Geneu. MDLIV, 40. Nota illa Oppiani *Halieut. III. v. 4. seq.* ubi poeta ad Antoninum Caracallam:

-- Σοῖς μὲν γὰρ ὑπὸ σκήπτροισι θαλάσσα
Ἐιλεῖται καὶ Φῦλα ποσειδάωνος ἐναύλων.

-- *Tuis enim sub sceptris mare*

Voluitur, et greges Neptuni incolarum.

Idem de iure piscandi statuendum est. Tantum enim abest, ut illud semper commune fuerit, dominioque exemptum, ut potius, qui longo tempore in diuerticulo fluminis solus piscatus fuerat, posset alios ab eo iure excludere. *l. 7. D. de diuers. temp. praescr.*

XIV. Cur eiusmodi res iureconsulti vocarint publicas et communes.

XIV. Ceterum eas res communes et publicas dixeret veteres, ex sententia Stoicorum, quorum principia iureconsultis fere omnibus erant in deliciis. Stoicos enim veluti regnum quoddam generis humani, vel vniuersalem omnium Deorum hominumque rempublicam, statuisse, nemo ignorat, idque luculenter docent Cicero *de Finib. III, 19. seq.* M. Antonin. *εις εαυτον II, 16. III, 11. IV, 3. VI, 44. XII, 36.* Arrian. *Dissert. Epictet. I, 12. III, 24.* Senec. *de Benef. IV, 28.* Addan-

Addantur Thom. Gataker, *Adnat. ad M. Anton.* p. 75. Thom. Stanley. *Hist. Philos. Part. VII. p. 1. Cap. 13. p. 614.* Cum ergo etiam iureconsulti hanc philosophiam sequerentur, duplicemque adeo sibi conciperent rempublicam, maiorem vnam, quae erat omnium Deorum hominumque, alteram minorem, vniuscuiusque populi aut ciuitatis: consequens erat, vt et bona, siue publica, siue communia dupliciter acciperent, nonnullaque omni iure; alia tantum iure gentium communia appellarent, quae tamen in iure ciuili Romanorum essent in reipublicae dominio. Quae omnia tam praeclare explicantur ab humanissimo iureconsulto, Gerardo Noodio. *Prob. I, 8. p. 21. seq.* vt otium nobis fecisse videatur.

XV. RES VNIVERSITATIS erant, quarum dominium vniuersitas, vsum singuli ex vniuersitate habebant, vt stadia, theatra, balnea, curiae. *§. 6. Inst. b. t.* Vniuersitas vero vocabatur vnaquaeque ciuilis societas, excepta familia liberaque republica. Adeoque omnes *ἐταιρῆαι* et societas, omnes tribus, omnia corpora opificum, vniuersitates erant. Huber. *Praelect. ad Inst. II, 8.* Postquam vero in monarchiam degenerauerat respublica, inuisae fuerunt principibus, omnes sodalitates et *ἐταιρῆαι*, nec aliae ius vniuersitatis, arcae communis, et collegii habebant, quam quæ singulari Principium priuilegio erant munitae. Quare non raro in Inscriptionibus legimus: Q. E. S. C. L. *Quibus ex S. C. coire licet*, vel similia. Vid. Plin. *Epist. X, 93. et 94. tit. C. de colleg. et corpor.* Cuiacii *Observationem VII, 30. et*

XV. Res vniuersitatis.

Dissertationes nostras de Colleg. et Corp. Opif. Cap. I.

XVI. Res nullius.

XVI. NVLLIVS denique erant, quae nullum re ipsa agnoscunt dominum, quamuis sua natura in dominio esse possint. Tales sunt res hereditariae, antequam aliquis heres existit *l. 1. pr. D. de diuis. rer.* Per fictionem tamen quandam hereditas iacens defuncti personam repraesentare, eiusque in dominio esse, dicitur, *l. 31. §. 1. D. de her. inst. l. 61. pr. De de adquir. rer. dom.* Nonnunquam et personam heredis sperati sustinet. *l. 24. D. de donat. l. 26. D. de stipul. seru. i. i. §. 1. D. si is qui test. lib. I, 68. D. de fort.*

XVII. Res priuatae vel mancipi vel nec mancipi.

XVII. Quae in priuatorum dominio erant, dicebantur RES PRIVATAE. Festus voce *priuos* *p. 378. Priuos priuasque antiqui dicebant pro singulis: ob quam causam et priuata dicuntur, quae minus cuiusque sunt, hinc est priuilegium.* Add. Non. Marcell. *de Diff. Verb. II, 694.* Res illae priuatae apud veteres vel MANCIPI erant, vel NEC MANCIPI (b). Apud veteres dicitur Iustinianus enim hanc differentiam sustulit, cum tamen eius vestigia quaedam reliquerit in *l. 32. §. 1. D. de vsurp. et vsuc. in l. 68. D. de furt.* Vid. Merill. *Obs. VIII, 38. p. 132.* Res MANCIPI dicebantur

(b) In vniuerso corpore Iustiniano nulla fit huius distinctionis mentio, quod eam sustulisset Iustinianus. *l. vn. C. de iure Quirit. tollend. Hotom. Antitribonian. V. p. 113. seq.* Fundamentum eius procul dubio fuit rerum pretium. Res enim pretiosissimae antiquis videbantur fundi, serui, pecudes, non nisi cum sollemnitate quadam et sollemnitate alienandae. Bynkersh. *de reb. mancipi et nec manc. p. 109.*

cebantur, quae certo ritu inter solos ciues Romanos ita vendi alienarique poterant, vt emtor manu eas caperet, (vnde et ipse MANCEPS, et res MANCIPI vel MANCVPI appellabantur,) et venditor earum euictionem praestaret. NEC MANCIPI res erant, quae non poterant i'to ritu alienari: vnde et periculum rei penes emtorem erat. Plaut. *in Pers.* IV, 3. v. 55.

*Ac suo periculo is emat, qui eam mercabitur,
MANCVPIO neque promittet, neque quisquam dabit.*

Et paullo inferius v. 61.

*--- Nihil mihi opus est litibus,
Nisi MANCIPIO accipio, quid eo mihi opus
mercimonio?*

Vnde et distingui solent *mancipium* et *vsus*, Lucret. III. v. 985.

Vitaque mancipio nulli datur, omnibus vsu.
vt et *mancipium* et *fructus κτήσις καὶ χεῖρησις* Cic. Epist. *ad Fam.* VII, 29. 36. (i).

XVIII. MANCIPI res habebantur I. *praedia* XVIII. Quae-
in Italico solo, Vlpian. *Fragm.* XIX, 1. adeoque et nam res man-
in prouinciis, si quando locis erat datum ius Itali- cipi fuerint?
cum, quales ciuitates permultae recensentur in
tit. D. de cens. Adde Henr. Noris. *de Epochis Syro*
Maced. IV, p. 427. idque non modo de rusticis
intelligendum, verum etiam de vrbans. Cic. *de*
Orat. 1, 39. seq. et *de offic.* III, 67. Sed eiusmodi

E e 4

prae-

(i) Mancipi non indeclinabile est, vt vulgo docent Lexicographi, sed contractum ex *maneipis* Voss. *de art. gramm.* III, 46. Salmaf. *de vsur.* VIII, Iac. Perizon. *ad Sanctii Mineru.* IV, 4. 12.

praedia rustica mancipi erant suo iure, urbana iure fundi per accessionem, ex mente amplissimi viri Bynkersh. *de reb. mancipi et nec mancipi p. 111.* quamvis in alia omnia eat ICTUS pereruditus, Christ. Waechtl. *in Act. Erud. suppl. VII, sect. 7. p. 301.* Eiusmodi loca dicebantur *agri censui censendo.* Fest. *voce censui. p. 265.* Cic. *pro Flacc. XXXII.* et ibi Io. Ge. Graevius. Reliqua in provinciis praedia possessiones vocabantur, et vlti tantum tenebantur, non mancipio. Fest. *voce possessio p. 372.* Porro rebus mancipi accensebantur II, *iura praediorum rusticorum*, veluti, actus, via, aquaeductus. De seruitutibus urbanis tacet Vlpianus. Vnde eae accensebantur rebus nec mancipi, dissentiente iterum viro laudatissimo Christ. Waechtlero. *ib. p. 300. seq.* Nec tamen ratio deest iis, qui iura praediorum urbanorum mancipi fuisse negant. Cum enim praedia rustica ipso iure essent mancipi: ideo et tales erant seruitutes, iis inhaerentes per accessionem. Aliud de praediis urbanis, quae per accessionem tantum erant mancipi, adeoque hanc qualitatem cum seruitutibus communicare non poterant, quia non datur accessionis accessio. Bynkersh. *ib. p. 130.* III. *serui mancipio dati*, IV. *quadrupes*, quae dorso collouae domantur, veluti boues, muli, asini, equi, non bestiae, quamvis dorso collouae domentur, vt puta elephantum et camelum. V. *Hereditas*, seu familia, siquidem et ipsa per aes et libram mancipabatur. Gell. *Noct. Att. XV, 26. §. 1. Inst. de test. ord.* Ergo et VI. *filius familias* Bynkersh. *de iure occid. lib. I, p. 145.* VII. *Margaritae.* Nam et has in mancipatum

tum venire, ait Plin. *Hist. Nat. IX, 35*. Atqui et monumenta seu sepulcra mancipata, seu per aes et libram translata, legimus in marmore Gruteriano p. MLXXXI, 1. sicut columbarium apud Reines. *Class. VII, 21*. An ergo et haec res mancipi sunt? Ipsa sepulcra in se neque mancipi neque nec mancipi habebantur, quia non erant in commercio. At ius sepeliendi erat ius praedii rustici, (quia sepulcra non in aedibus, sed in agris extrui solebant,) et hinc omnino in alium transferbatur per aes et libram. Hunc rerum mancipi catalogum nobis suppeditant veteres. Ceterae res NEC MANCIPI dicebantur, teste Vlpiano *Fragm. XIX, 1*.

XIX. Fiebat vero rerum mancipi alienatio praecipue MANCIPATIONE, vnde haec propria species alienationis rerum mancipi esse dicitur. Vlpian. *XIX, 3*. Cic. *Topic. X*. Quamuis enim res mancipi etiam tradi possint sine mancipatione: tamen tunc tantum in bonis erant accipientis, non in dominio Quiritario. Vlp. *1, 16*. adeoque res mancipi esse desinebant nisi per modum acquirendi iuris ciuilibus accessisset dominium Quiritarium. Quo pertinent verba Hor. *Ep. II, v. 158*.

XIX. Res mancipi alienatae mancipatione.

*Si proprium est, quod quis libra mercatus quae
aere est,*

Quaedam, consultis si credas, mancipat usus.

Loquitur sane Horatius de rebus mancipi, quae ex sententia iureconsultorum etiam usucapione possunt acquiri. Conf. Ant. Schulting. ad Vlp. *Fragm. XIX, 3. p. 620*.

XX. MANCIPIATIO vero erat actus legiti-

XX. Mancipatio quo-

modo facta
et differen-
tia nexi et
mancipii.

mus, quo res Mancipi more Sollenni tradebantur. Bynkersh. *de reb. man. I, p. 105.* In eo adhibendi erant quinque testes, ciues Romani, puberes, cum libripende et antestato. Ritus et formulas iam supra *Lib. I. Tit. XII. n. 6. 7. 9.* descripsimus. Id modo addendum, vna mancipatione hic totum actum absolui consueuisse, quia ad patris tantum priuilegium id pertinebat, vt filius non nisi ter emancipatus, et manumissus, eius potestate et domino exiret. Iungitur saepe Mancipio *nexus*, vel *traditio nexu*. De ea Varro *de Lingu. Lat. VI, 5. p. 58.* NEXVM Manlius scribit, *omne, quod per libram et aes geritur, in quo sint Mancipi.* Mucius Scaeuola, *quae per aes et libram fiant, vt obligentur, praeterquam quae Mancipio dentur.* Hoc verius esse, ipsum verbum ostendit, de quo quaeritur. Nam idem, quod obligatur per libram, neque suum sit, inde *nexum dictum.* Sed cum haec sint obscurissima, audiamus ea interpretantem virum doctissimum, Io. Fridr. Gronouium in *Epist. CCCII. ad Claud. Salmaf.* quae in clarissimorum et doctissimorum Virorum Epistolis, nuper a celeberrimo Burmanno editis. Tomo II. p. 549. habetur. *De loco Varronis, quando sic illudere mihi voluisti, vt sententiam meam quaereres, ludibrium debere tibi pergam. Puto ergo falli Varro-nem, non tantum in ridicula illa origine τξ NEXI, sed et quod ceu diuersas ponit sententias Manilii et Scaeuolae, quarum vtraque vera est, nec inter se pugnant. Sane et Cicero distinguit ea, quae tenentur IVRE NEXI et IVRE MANCIPII. (Cic. Epist. ad Fam. VII, 30.) Nempe quae habeo IVRE*
MAN-

MANCIPII, eorum sum dominus: quae IVRE NEXI, in ea habeo obligationem. Ita sibi non contradicunt Manilius et Scaeuola. Nam Manlius requirit, ut quae nexa sint, eadem quoque sint Mancipi, hoc est, talia, quorum commercium sit, et quae Mancipari possint. Scaeuola dixit, nexum esse quod per aes et libram geritur, praeterquam quae dantur Mancipio. Et haec enim per aes et libram geruntur, sed plus dant iuris, quam nexa. Non negat itaque Scaeuola, necesse esse, ut aliquid quod per aes et libram geritur, sit nexum, id esse rem Mancipi: sed dicit, aliud esse tenere aliquid iure nexi, aliud iure Mancipi, quamuis utrumque per aes et libram geratur, seu omne id nexum esse, quod per aes et libram geritur, si non Mancipio detur. Ita negatione unius speciei, definit alteram, quod non negat Manilius. Quod MANCIPIO datur, eius fio dominus: quod NEXVM est, eius proprie non sum dominus, sed habeo tantum in id obligationem. Et ita quoque NEXVS differt a SERVO, et si obligatus est ad seruiles operas praestandas. NEXVM habeo iure nexi; non Mancipii? at SERVOS habeo iure Mancipii. Sic quod mihi pignoris loco datum est, habeo iure nexi; illud etiam si penes me sit, non tamen est meum. Logica haec etymologia est, non grammatica. Videntur omnia quidem Mancipia etiam esse generali vocis notione nexa, aut quae habeo iure Mancipii, eadem me habere iure nexi: sed non contra aut reciproce. Ita Cicero cum dicit ab alienationem esse traditionem alteri nexu, sine dubio generaliter vocem accipit, ut etiam, quae Mancipio dantur, comprehendat. Sed

ad

ad utrumque requiritur, ut sint res illae, quae siue iure nexi, siue iure mancipii tenentur, res mancipii, quod volebat Manilius. Nec aduersatur, quod liber homo, qui non est mancipii, obaeratus potest fieri. Reuera enim liberi hominis commercium non est, ideoque non potest esse mancipii: sed ut fiat nexus, fit ex dispositione legis; quae obaeratos necti iussit et ad refrenandam indiligentiam quorundam patrum familias hoc introduxit. Ita etiam si liberi hominis commercium non sit, idque leges sciuerint, homo tamen maior XX. annis, cum ad pretium participandum venundari se patitur, fit mancipii, et seruus, etiam dispositione legis, quae vnicuique fauori pro se introducto renunciare licere, et hoc modo lasciuiam fraudatorum coercere voluit. Hactenus locus Gronouii, prolixus ille quidem, sed quem ideo totum hic adscribere non piguit, quod eum vnum viderim, in quo discrimen mancipii et nexi perspicue exponitur. Res eo redit. Omnis ab alienatio rerum mancipii fiebat per aes et libram vel mancipationem: sed duplici fine, ut aut dominus iuris Quiritium transferretur, aut res illa tantum obligaretur, e. g. ut aliquis in ea ius pignoris vel simile haberet. Priore casu res dicebatur MANCIPIO dari; posteriore IVRE NEXI transferri. Hinc recte Festus in voce nexum; NEXVM est, quod per aes et libram geritur, (hoc enim commune habent nexum et mancipium, nexum aes dicebatur pecunia, quae per nexum OBLIGATVR.) (In hoc enim differunt nexus et mancipium.) Recte etiam Salmasius

masius *de mod. Vsur. Cap. XVIII. p. 839.* Nexum esse obligationem et nexos obligatos docet quamuis cum epistola Gronouii anno MDCXXXVII scripta: Salmasii autem liber de- mum MDCXXXIX editus sit, rectius fecisset, si eum, qui omnia planius scripserat, vel honoris causa nominasset.

XXI. Quemadmodum vero mancipatio propria rerum mancipi erat: ita et alii erant acquirendi modi, quorum quidam e IVRE GENTIVM, quidam e IVRE CIVILI descende- bant. Ad prius genus pertinent OCCVPATIO, ACCESSIO, TRADITIO, de quibus copiose hoc titulo agit Imperator. Nos id modo addi- mus, si duo rem inuenerant, quorum alter apprehenderat, alter eam apprehendi viderat, commu- nem eam rem vtriusque esse visam. Vnde sol- lennis formula, IN COMMVNE (k), similis quodammodo hodiernae: *Halbe part.* Seneca *Epist. CXVII.* *Quoties aliquid inueni, non ex- specto, donec dicas: IN COMMVNE; ipse mi- bi dico.* Phaedr. *Fab. V, 7.*

XXI. Modi
acquirendi
iuris gen-
tium.

Inuenit caluus forte in triuio pectinem.

Accessit alter, aequae defectus pitis,

*Heia, inquit, EST COMMVNE, quodcun-
que est lucri.*

Adde Plaut. *Rudent. IV, 3. v. 76.* vbi poëta fori Romani argutias hac in re in risum deducit:

Omitte

(k) Sic et Graeci id, quod ab altero inueniri videbant in commune poscere solebant formula: κοινός ἔργων, vel κοινόν τῶ ἔργῳ, de qua formula Erasmi. in *Adag. Chil. II. Cent. I. n. 85.*

--- Omitte vidulum.

GR. *Nunquam berclz binc hodie ramento fies fortunatior.*

TR. *Non probarc pernegando mibi potest, nisi*
 PARS DATVR,

Aut ad arbitrum reditur, aut sequestro ponitur.

GR. *Quemne ego excepi e mari?* TR. *At ego inspectaui e lictore,*

GR. *Meo labore, opera, rete et horia?* TR. *Nam qui minus.*

Si veniat nunc dominus, cuius est, ego, qui inspectaui procul,

Te hunc habere, fur sum, quam tu? GR. *Nihil.* TR. *Mane mastigia.*

Quo argumento socius non sum, et fur sum, fac dum ex te sciam.

GR. *Nescio neque ego istas leges vestras urbanas scio,*

Nisi quia hunc meum esse dico. TR. *Et ego item aio esse meum.*

Praeclarus fane locus, quo non solum hic veterum ritus, sed et complura iuris nostri loca lucem haud mediocrem capiunt. Ger. Nood. *Probab. II, 6. p. 54. seq.*

XXII. Modi
 acquirendi
 iuris ciuilib.

XXII. Modi acquirendi CIVILES complures sunt. Tres recenset Alexander ad Caii *Instit. I, 6. 3. mancipationem* puta, *in iure cessione*, et *usucapionem*, sed deceptus male intellecto loco Vlpian. *Fragm. I, 16.* in quo seruus, quem ciuis Romanus a ciue Romano emerit, quique ei traditus sit, tantum in bonis eius esse dicitur, *nisi sit mancipatus ei, nec in iure cessus, nec ab ipso anno possessus.* Sane enim Vlpianus hic non recensere

fere voluit modos acquirendi iuris Quiritium, neque negat, rem aliis quoque modis transire posse in dominium Quiritarium. Sex modorum meminit Varro *de re rust. II, 10. Sex enim fere res in emtionibus dominium legitimum perficere* ait, ac deinde huc refert HEREDITATEM, MANCIPATIONEM, IN IVRE CESSIONEM, VSVCAPIONEM, SVB CORONA EMTIONEM, AVCTIONEM. Et hac in re Varronem sequitur Sigonius *de antiquo iure ciu. Rom. I, 11.* Sed nec Varronem modos omnes recensere voluisse, cum ex patricula, FERRE qua utitur tum praecipue patet ex Vlpian. *Fragm. XIX, 2. vbi et adiudicationem, et legem* memorat iurisconsultus. Iisdem vero haud immerito adieceris *arrogationem, donationem, et modum, quem Sct. Claudianum* induxit. Quae cum ita sint, duodecim erunt modi acquirendi iuris Quiritium, *I. HEREDITAS, II. MANCIPATIO, III. IN IVRE CESSIO, IV. VSVCAPIO, V. SVB CORONA EMTIO, VI. AVCTIO, VII. TRADITIO, VIII. ADIVDICATIO, IX. LEX, X. ARROGATIO, XI. DONATIO, XII. MODVS ADQVIRENDI EX Scto CLAVDIANO.* De primo modo infra *Lib. II. Tit. XIX.* de quarto *Libro II. Tit. VI.* de decimo *Lib. III. Tit. XI.* de vndecimo *Lib. II. Tit. VII.* de vltimo *Libro III. Tit. XIII.* agemus. De secundo modo iam diximus supra *n. XIV. XVII.* Ergo restant *in iure cessio, sub corona emtio, auctio, traditio, adiu-*

adiudicatio, et *lex* de quibus nonnulla ex antiquitatibus erunt monenda

XXIII. Quid
in iure cef-
fio?

XXIII. IN IVRE CEDEBANTVR res tum mancipi, tum nec mancipi, non modo corporales, sed et in corporales, et tunc requirebantur tres personae, quarum vna *cedebat*, altera *vindicabat*, tertia *addicebat*. *Vip. Fragm. XIX, 9.* Cedebat dominus, vindicabat is, cui cedebatur, addicebat Praetor vel Praeses provinciae. Vindicabat primo remis, cui illa cedebatur, et ita quidem, vt eam tenens diceret: HANC EGO REM EX IVRE QVIRITIVM MEAM ESSE, AIO. Tum interrogabat Praetor vel Praeses, an alter contra vindicaret? Solebant enim olim possessores in contestanda rei vindicatione non solum negare intentionem actoris, sed et ipsi rem alferere: veluti apud Plautum *Rud. IV, 3. v. 86.* vbi altero dicente HVNC MEVM ESSE DICO, statim alter subiicit: ET EGO IREM AIO ESSE MEVM. *Cic. pro Muraena VII.* et infra *Lib. IV. Tit. VI. n. 24.* Quaerebat ergo Praetor vel Praeses, vtrum contra vindicaret, an auctor fieret? Quo procul dubio pertinet formula apud Valerium Probum: A. F. A. *An sis auctor?* Negante domino, vel tacente, Praetor rem addicebat vindicandi, hac fere vsus formula: QVANDO TV NEGAS, HANC EGO REM PRAESSENTIET VINDICANTI ADDICO. *Cai. Instit. II, 1. 6.* *Boeth. Comment. ad Cic. Topic. Lib. III.*

XXIV. Quid
sub corona
emtio?

XXIV. EMTIO SVB CORONA quid fuerit, ostendendum paullo accuratius. *Victis*

ctis hostibus praeda venibat, et in his etiam captiui, et in seruitutem detrufi. Hi ergo sub corona venire dicebantur, non quod milites eos custodiae causa circumstarent, eaque militum custodia *corona* vocaretur, sed quod ipsi captiui venales starent coronati, ceu ex Caelio Sabino et Catone docet Gell. VII. 4. ex quo etiam discimus, eos feruos, quorum nomine nihil praestabat venditor, pileatos venire consueuisse. Res ex innumeris Liuii, Caesaris, aliorumque historicorum testimoniis nota est. Vt pauca iuggeram, ea reperies apud Liuium LIII, 4. Caesarem de Bello Gall. III, 74. Florum Hist. IV, 12. Iam id modo obserua, mancipia sub coronis emta statim in dominio iuris Quiritium esse coepisse, adeoque emtorem securum fuisse contra quoslibet, vt etiam patet ex Varrone *de re Rust. II, 10*. Cuius locum et ad reliquos acquirendi modos recte intelligendos vtillissimum adscribere iuuabit: *In emtionibus dominium legitimum sex fere res perficiunt, si hereditatem iustam adiit, si, vt aebuit, mancipio ab eo accipit, a quo iure ciuili potuit: aut si in iure cessit, cui potuit cedere, et id ubi oportuit: aut si vsuscepit: aut si e praeda sub corona emit, tumue, cum in bonis sectionem cuius publice venit.*

XXV. AVCTIONE acquirebantur quaecunque publice, proclamante praecone, praesente atque addicente magistratu, sub hasta emebantur. Festus voce *Hastae*. *Hastae subiiciebantur ea, quae publice venundabant, quia signum praecipuum est hasta.* Et Cicero *Philipp. II, 26*. *Hasta posita pro aede Iouis Statoris: bona Cn. Pompeii*

XXV. Quid auctio?

Magni vocis acerbissimae subiecta Praetoris. Hanc hastam publicam fugiebant viri honesti, quia et proscriptorum bona ibi venibant. Sic Atticus ad hastam publicam nunquam accessit. Nepos *Attic. VI.* Ceterum, cum res ei addici solet, qui plurimum auget, factum est vt ipsum illud venditionis genus *auctio*; isque a quo quis emerat *auctor*, et ius denique auctione quaesitum *auctoritas* appellaretur. Quod vocabulum deinde ad dominium quodcunque prolatum est, ita vt omne dominii ius quocunque titulo adquisitum, vocaretur *auctoritas*, vt praeclare obseruauit Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. I, 11. p. 149.* Plura dicemus infra *Lib. II. Tit. XVIII. XIX. n. XI.*

XXVI. Quid traditio?

XXVI. TRADITIONE acquirebantur solae res nec mancipi, quippe quarum dominia apprehendebantur, simul ac ex iusta causa fuerant traditae. *Vlpian. Fragm. XIX, 7.* Nec referebat, mobiles res essent, an immobiles: vt adeo manifesto errent, qui traditionem ad res mobiles tantum pertinuisse existimant. Vid. *V. C. Schulting. ad Vlpian. l. c. 622.* De traditione vera et ficta egregia quaedam obseruat *Ger. Nood. Probab. II, 6. p. 56. seq.* Non multum diuersa a traditione erat cessio vacuae possessionis, quae et mancipationibus nonnunquam accedebat, vt patet ex *Grut. Inscript. pag. CIO LXXXI*, vbi *Statia Irene*, mancipans monumentum *Licinio Timotheo*, addit: **EIQVE VACVAM (1). POSSESSIONEM. NONIMEN-**

(1) Ita Legendum esse pro **INQVE VACVAM**, recte monet. *Fr. Brummer. ad Leg. Cinc. XIII.*

MENTI. S. S. CESSIT. Qua de re plura ob-
seruauit Fr. Brummer. *ad Leg. Cinc. XIII.*

XXVII. ADIUDICATIONE dominium re-
rum tum mancipi, tum nec mancipi acquire-
batur, in tribus illis iudiciis *familiae erciscun-
dae, communi, diuidundo, finibus regundis.* §. ult.
Inst. de off. iud. Quoties enim iudex vni ex he-
redibus, vel sociis, vel vicinis, rem adiudicabat,
statim haec sine traditione in illius transibat do-
minium. Vlpian. *Fragm. XIX, 16.* Vnde adiu-
dicatio traditioni atque vsucapioni aequiparatur,
l. 6. §. 3. D. de statu liber. Praeter tria vero illa
iudicia nullus erat casus, in quo dominium ad-
quireretur iudicis sententia, cuius ius non
dat, sed declarat, id cuiquam competere. *l. 8.
§. 4. D. si seruit. vindic.* Vnde et actio iudicati
non in rem est, sed in personam. V. C. Ortvv.
Westenb. de Clauss. obl. Diff. VI, 8. seq.

XXVII.
Quid adiu-
dicatio:

XXVIII. LEGE denique acquirebatur domi-
nium rei singularis, siue mancipi esset, siue nec
mancipi, quoties lex quaedam dominium alicui
addiceret. Sic legatum ex lege XII. Tabu-
larum statim erat in dominio legatarii. Vlpian.
*XIX, 17. l. 120. D. de verb. signif. l. 47. §. ult. D.
de pecul.* Eodem modo acquirebantur bona cadu-
ca atque ereptitia siue a fisco, siue a priuatis. Nam
et his nonnunquam concedebantur caduca. Cui.
ad Nouell. I. Scip. Gent. de iure ad crescendi. X.

XXVIII.
Quod do-
minium ex
lege?

XXIX. Quidquid tali modo fuerat acqui-
situm id IN DOMINIO QUIRITARIO; reli-
qua IN BONIS esse dicebantur. Vlpian. *Fragm.
I, 16.* Theophil. *Inst. ad §. fin. tit. de liber-*

XXIX. Di-
stinctio in-
ter domini-
um Quirita-
rium et bo-
nitarium.

tin. qui dominium Quiritarium eleganter *ἐννομον* vel *legitimum*; bonitatem *Φυσικὸν* vel *naturale* vocat. Quod discrimen in eo maxime erat positum, quod domini Quiritarii re vsucapta vacui essent a litibus, vnde et optimo iure possidere dicebantur: quod secus se habebat in dominis bonitariis. Vid. Car. Sigon. *de antiquo iure civ. Rom.* I, 11. p. 150. Barn. Briffon. *Antiqu. Rom.* IV, 22. p. 78. Bynkershoek. *de reb. manc.* IX. p. 131. Enimvero sustulit illud discrimen Iustinianus l. vn. C. de nudo iure Quirit. tollendo et l. vn C. de vsuc. transf. et de sublata diff. rer. manc. et nec *mancipi*. Vnde et in toto iure nostro nullum eius expressum superest vestigium, quamuis aliqua Tribonianus paullo obscuriora passim reliquisse videatur.

TIT. II.

DE

REBUS CORPORALIBVS ET
INCORPORALIBVS.

Nouam rerum diuisionem hoc titulo subiungit Imperator, CORPORALES enim aliae sunt, aliae INCORPORALES, de quibus pauciora dici possunt ex antiquitatibus.

I. Stoica definitio rerum corporalium et incorporalium.

I. Philosophiae stoicae deditos fuisse plerisque Romanorum iureconsultos, iam supra est obseruatum. Atqui Stoici non minus, quam reliqui philosophi, res omnes in corporales atque incorporales distinguere, illasque definire solebant, quod possent tangi. Seneca *Ep. LVIII. Quidquid est, aut corporale est, aut incorporale.* Idem *Epist.*

Epist. CVI. Numquid est dubium, an id, quo quid TANGI potest, corpus sit? Lactant. Inst. Diuin. VII, 12. Solidum et comprehensibile corpus est, et oculis et manu videtur et tangitur. Ex Epicureis Lucretius I. v. 306.

Tangere enim et tangi, nisi corpus, nulla potest res.

II. Idem estoa philosophi res incorporeales magis illis, quae non sunt, quam, quae fuunt, accendendas esse arbitrabantur, Cic. *Top. V. Definitionum duo sunt genera prima: Vnum earum rerum, quae sunt, alterum earum rerum, quae intelliguntur. Esse ea dico, quae cerni tangique possunt, ut fundum, aedes, parietem, stillicidium, mancipium, pecudem, supellectilem, penus et cetera. Non esse rursus ea dico, quae tangi demonstrariue non possunt, ut si usucapionem, si tutelam, si gentem, si agnationem definias, quarum rerum nullum subest quasi corpus, est tamen quaedam conformatio insignita et impressa intelligentiae, quam notionem voco. Tertull. de Carne Christi Cap. XI. plane σοικῶς: Omne quod est, corpus est sui generis: nihil est incorporale, nisi quod non est. Ex quo sane loco patet, veteres res solas corporeas existere, incorporeas tantum intelligi existimasse.*

II. Incorporales res magis non existere, quam existere putabant Stoici.

III. In his omnibus ergo philosophos sequebantur iureconsulti, qui et ipsi res in CORPORALES et INCORPORALES diuidebant, iisdem adoptatis definitionibus, corporales tangi posse, incorporeales non posse, dicebant. Cai. *Inst. II, 1. 2.* quamuis qui elegantius loquuntur, auctores illas RES, has IVRA appellare malint. Quintil. *Inst. Orat. V, 10.* Et sane sic res multo est

III. Iureconsulti definitiones stoicas adoptabant.

dilucidior, faciliusque intelligitur, cur pecunia, quae manibus tangi potest, pro diuersa *σχέσει* modo corporalibus rebus accenseatur §. vn. *Inst. b. t.* modo opponatur corporibus l. 46. *D. de condict. indeb. l. 5. princ. D. de impens. in res dot. l. vlt. D. de adim. legat.* Prout scilicet vel res ipsa, vel ius seu valor, consideratur, ita vel corporalibus vel incorporalibus rebus adnumeratur pecunia.

IV. Res incorporeales et ipsi existere quodammodo negabant.

IV. Eodem ex fonte, id est, ex philosophia stoica, manuit, quod res incorporeales a iureconsultis magis iis, quae non sunt, quam quae sunt, adnumerantur. Paullus sane l. i. *D. de usu et usufr. leg.* seruitutes neque ex bonis, neque ex irabona esse contendit, quod ex principiis illis stoicorum, quae paullo ante declarauimus, explicandum esse, erudite docet Ger. Noodt. *Probabil. II, 3. p. 48. seq.*

TIT. III.

DE

SERVITVTIBVS RVSTICORVM ATQVE VRBANORVM PRAEDIORVM.

Incorporalia sunt omnia iura, atque adeo etiam **SERVITVTES.** Hae vel **PERSONALES** sunt, vel **REALES**, seu **PRAEDIALES.** Seruiunt enim non modo praedia rusticis atque urbanis praediis, verum etiam praedia et res personis, constituto in illis usufructu, usu vel habitatione vel in seruo operis. De illis titulo III. De his tit. IV. et V. agitur.

I. Quenam praediarustica et urbana?

I. **SERVITVS REALIS** inhaeret praediis, iisdemque praestatur. A praedio dominante illae

illae seruitutes a iureconsultis in iure VRBANORVM ac RVSTICORVM PRAEDIORVM diuiduntur. Sed caue hic respicias ad locum. Praedia enim non a loco, sed ab vsu cognominabantur. Nam eodem modo et *urbana mancipia* rusticis non loco, sed opere, seiungebantur. *l. 99. pr. D. de legat. 3. l. 166. pr. D. de V. S.* Et Labeo suppellectilem et penum *rusticam* non loco sed genera vsus, distinguendam putat. *l. 4. §. 5. D. de penu leg. l. 12. D. de supell. legat.* Immo et vestes, quibus ruri utebantur ab vsu *rusticas*, quibus in vrbe *urbanas* vocatas esse, ex loco elegante Titinii demonstrat Merill. *Obs. III, 5.* Non ergo recte discrimen seruitutum rusticorum urbanorumque praediorum desumitur ex *l. 3. D. de seruit. vbi Paull. seruitutes praediorum alias in SOLO, alias in SUPERFICIE consistere*, ait. Quamuis enim id verum sit, non tamen ibi id agit iurisconsultus, vt discrimen seruitutum rusticorum urbanorumque praediorum ostendat. Praeterea illud discrimen non ad praedia dominantia pertinet, a quibus alioquin seruitutes diuersam denominationem fortiuntur, sed ad seruientia. Immo ne probari quidem potest, seruitutes urbanorum praediorum tantum in superficie; rusticorum tantum in solo consistere. Sane enim Ulpianus *l. 11. §. 1. D. de Publ. in rem actione* seruitutem urbani praedii esse dicit, si per domum quis suam passus sit aquaeductum transduci: et ea tamen seruitus in solo consistit. Contra si quis horto olitorio alterius deberet seruitutem altius non tollendi, ea

procul dubio foret seruitus praedii rustici cum tamen consistat in superficie, ceu recte animaduertit Merill. *Obs.* I, 32. Nec magis rem videntur acu tetigisse, qui praedia rustica omnes fundos et areas; urbana omnia aedificia existimant, VRBANA enim erant et fundi voluptatis causa culti, veluti horti, modo eorum plurima pars non esset in reditu, quales sunt horti vinearii et olitorii: *l. 198. D. de V. S.* et omnia aedificia habitationi destinata, etiam si in villis exstructa. §. 1. *Inst. de seruit. l. 1. D. commun. praed. l. 198. D. de verbor. signif.* Veteres nimirum villam plerumque in tres diuidebant partes, quarum vnam *urbanam*, alteram *rusticam*, tertiam *fructuariam* appellabant. *Urbanae* dicebantur aedes vel habitationis, vel voluptatis causa conditae, vbicunque sitae; *rusticae* complectebantur tecta, villico et reliquae familiae, vt et armentis et equis destinata, *fructuariae* denique constabant horreis et cellis, quibus omnium generum fructus recondebantur. Varro *de Re rust. Lib. I. Cap. XIII.* Columella *de Re rust. I, 6.* Urbanum in villis aedificium etiam praetorium dicitur apud Pallad. I, 8. Sueton. *Calig. Cap. XXXVII. l. 2. D. de seru. praed. rust. l. 198. D. de verb. signif.* Et ex eo iam satis manifestum est, aedificia etiam ab vsu in praedia *rustica* et *urbana* diuidi solita esse.

II. Seruitutes praediorum urbano-
rum.

II. Praediis his urbanis variae praestabantur seruitutes, quales erant *oneris ferendi, tigni immittendi, stillicidii, fluminis, cloacae, altius tollendi vel non tollendi, luminum, et aliae.* §. 1. *Inst. b. t. Cai. Inst. II, 1. 3.*

III.

III. Sic vicinae aedes tenebantur nonnunquam vicinarum onus ferre, vel alienum aedificium columna vel pariete suo sustinere, columnamque et parietem praeterea ex pacto reficere. Haec erat SERVITVS ONERIS. Non ergo ideo a domino praedii feruientis reficienda erat columna feruiens, quod hoc naturae huius seruitutis inesset: sed quod ea lex, id est, stipulatio in constituenda seruitute esset interposita: PARIES ONERARI FERENDO VTI NVNC EST, ITA SIT. *l. 33. D. de seru. praed. urb.* Nam id sibi diserte a vicino solebant stipulari, VT REFICE VT LAPIDE QVADRATO, vel LAPIDE STRVCTILI, vel quouis alio opere *l. 6. §. 5. D. si seru. vind.* Quamuis vero hanc pactionem contra naturam seruitutum esse iudicet Gallus Aquilius, quippe quae praedii feruientis Domino necessitatem aliquid faciendi imponat: *l. 15. §. 1. D. de seruitutibus*, eualuit tamen Seruii sententia qui hanc conditionem in hac seruitute admisit, quia feruientis praedii dominus facere nihil cogatur, sed parietem vel columnam derelinquere possit, ceu patet ex *l. 6. §. 2. D. si seruit. vindic.*

III. Seruitus
oneris fe-
rendi.

IV. Si cuius paries non tam onus vicini ferre teneretur, quam pati dominus, vt tignum immitteretur suo parieti, erat haec SERVITVS TIGNI IMMITTENDI. Erat vero tignum omnis materies quae ad tectum, vel aedificium extruendum erat idonea, et alterius parieti immitti poterat, veluti trabs, lapis, ferrum. *l. 1. §. 1. D. de tigno iunct.* Quamuis enim Architecti strictiore vsu vocabuli significatione tignum pro trabibus in

IV. Seruitus
tigni immittendi.

contignatione accipiant: Vitruu. X, 5. aliter tamen loquebantur ICTi ob exemplum in lege XII. tabularum extans, vbi *tigni appellatione omne genus materiae, ex qua aedificia constant, significatur. l. 62. D. de V. S.* Quod vt intelligatur rectius, obseruandum erit, veteres Romanos incendio- rum metu aedes aedibus ita vicinas esse iussisse, vt spatium quoddam vel interstitium relinquere- tur, quod *ambitus* dicitur in legibus XII. Tabul. Varro *de Lingu. Lat. IV, 4. p. 6.* AMBITVS, *iter, quod circumeundo teritur. Nam ambitus circuitus; ab eoque XII. tabularum interpretes ambitum parietis circumitum esse describunt. Festus voce ambitus p. 250.* AMBITVS *proprie dicitur inter vicinorum aedificia locus duorum pedum et semipedis, ad circumeundi facultatem relictus. Et paucis interiectis: AMBITVS proprie dicitur circumitus aedificiorum, patens in latitudinem pedes duos et semissem, in longitudinem idem, quod aedificium. Cuiac. Obs. XIX, 21.* Et huc pertinet Inscriptio vetus Romana in Sadoleti hortis effossa:

INTER DVOSI

PARIETES.

AMBITVS. PRIVAT.

FLAV. SABINI.

Briffon. *Antiqu. Select. I, 2.* Non ergo licebat anti- quis aedes iungere sine interstitio; neque adeo tunc facile locum inueniebat seruitus tigni im- mittendi. Postea vero aucto ciuium numero; cum pomoeria antiqua tantam aedium copiam vix ca- perent: non solum ipsa pomoeria subinde prola- ta, verum etiam omnes areae aedibus occupatae sunt, adeo vt non nisi inter quasdam interstitium
relin-

relinqueretur. Quaecunque vero aedificia communi pariete concludebantur, circuituque publico aut priuato cingebantur, ea dicebantur INSVLAE. Fest. voce *Insulae* l. 2. §. 14. *D. ne quid in loco publ.* Iis insulis vel potius inquilinis aedium vna insula comprehensarum, non modo singulares erant GENII: Reines. *Class. I, 138.* sed et custodiendis iisdem praepositi erant serui, quos INSVLARIOS dici, animaduertimus, in l. 166. *pr. D. de V. S.* et l. 16. §. 1. *D. de usu et habitat.* itemque apud Grut. p. CCXXIV, 4. Porro ambitus isti insularum dicebantur *angiportus*. Et quia per illos compendii causa iri solebat, hinc Festo *angiportus* est *iter compendiarium in oppido*. Nihil tamen in illis agi poterat. Varro de *Lingua Lat.* V, 5. p. 37. immo ne peruii quidem semper erant, vt ex Terent. *Adelph. IV, 2.* patet. Sed haec *angiporta* vt dixi rariora erant, postquam aucta vrbe omnes areae aedificiis occupabantur. Hinc est, quod Seneca *controu. II, 6.* conqueritur *tantas suo tempore fuisse viarum angustias, vt neque aduersus ignem praesidium, neque ex ruinis ullam in partem effugium fuerit.* Ex quo ergo propius sibi inuicem iungi coeperant aedes: seruitutes illae tum oneris ferendi, tum immittendi tigna, in vsu esse coeperunt, ad id quippe comparatae, vt arearum spacium lucrifacerent, quod nouis muris, columnis ac parietibus extruendis occupandum fuisset. Primus Nero veterem aedificandi morem restituit, constituitque, vt ne communione parietum, sed propriis quaeque domus muris, ambirentur. Tacit. *Annal.*

XV, 42. Postea Antoninus, et Verus Augusti rescripserunt, *in area, quae nulli seruitutem debet, posse dominum vel alium eius voluntate aedificare, intermisso legitimo spatio a vicina insula, l. 14. D. de seru. urb. praed.* adeoque ex eo tempore denuo aedes sibi propius iungi coeperunt, communi- que pariete concludi, ita tamen vt insularum ma- neret circuitus. Denique et Constantinus M. et sequentes Imperatores constitutionibus quibus- dam definire coeperunt, quantum aedes priua- tae ab horreo, quantum a loco publico abesse de- berent. *l. 4. et l. 46. Cod. Theod. de oper. publ. l. 9. et l. 11. C. de aedificiis priuat.* Addantur Barn. Briffon. *Antiqu. Rom. Select. I, 2. p. 4. Obs. I, 4. p. 3.*

V. Seruitutes
stillicidii et
fluminis.

V. Seruitutes STILLICIDII et FLVMINIS a quae pluuiae causa erant constitutae. Tenebatur enim vicinus aquam istam vel in vicini hortum areamue immittere, vel ex alieno tecto in suam aream recipere, si ab eo stipulatus erat vicinus: FLVMINA STILLICIDIA, VTI NVNC SVNT, VT ITA FLVANT CADANTQVE. Briffon. *Antiqu. Rom. Select. I. p. 22.* Stillicidium vero et flumen quomodo differant, docet Varro *de Lingu. Lat. IV, 5. p. 8.* *Fluuus, quod fluit, item flumen: a quo praediorum urbanorum scribitur: Stillicidia fluminaque vt ita fluant, cadantque. Inter haec hoc interest, quod stillicidium, eo quod stillatim cadat: flumen, quod fluat continue.* Sane cum aedes Romanorum pleraeque tecto decliui carerent: non poterant non canales vel aluei plures in suprema superficie esse, per quos aqua pluuia deflueret, aut certe tegulas oportebat tecto imponi, quae im- bres exceptas in terram demitterent. Vid. Guil. Phi-

Philandr. *ad Vitruu. Archit. VII, 11.* Illud ergo flumen; hoc dictum est *stillicidium*.

VI. CLOACAE Romae dicebantur concamerationes subterranae, stupendi operis, per quas sordes vrbe eductae in Tiberim exonerabantur (a) eaeque vel PVBLICAE erant, vel PRIVATAE

VI. Seruitus
cloacae.

l. 1. §. 9. D. de cloac. PVBLICAS duxit Tarquinius Priscus, testibus Liuo *Hist. l. 32.* et Dionys. *Halic. Ant. Rom. III. p. 200.* easque tam splendorum fuisse, ait Cassiodor. *Var. III, 30. tantumque visentibus contulisse stuporem, ut aliarum quoque ciuitatum potuerint miracula superare.* Meretur illa tota Cassiodori descriptio legi, eique addi idem Cass. *Var. VIII, 29. 30.* et *Plin. Hist. Nat. XXXVI, 15.* Purgandarum earum causa non solum tributum inferebatur, quod *cloacarium* dicitur *l. 27. §. 3. D. de usufruct. l. 39. §. 5. D. de legat. 1.* verum etiam ii, qui ad poenam fuerant damnati, eidem operi adhibebantur. Traian. *Imp. ad Plin. Epist. X, 41.* Et tamen auctor est Dion. *Halicar. Lib III. p. 200. aliquando neglectas cloacas, nec amplius transmittentes aquam a censoribus mille talenti purgandas reficiendasque locatas esse.* Quod operis istius magnitudinem satis superque demonstrat. Sed et interdictum proditum erat: QVOD IN CLOACA PVBLICA FACTVM, SIVE IMMISSVM HABES, QVO VSVS EIVS DETERIOR SIT, FIAT, RESTITVAS. ITEM NE QVID FIAT, IMMITTATVRVE, INTERDICAM. *l. 1. §. 15. seq. D. de cloac.* Quin vt illae

(a) Hinc Fellus voce *cloacae* p. 268. dictas illas existimat a colluendo et *cloacale flumen* Cato dixit, pro *cloacarum omnium colluue.*

illae cauernae eo rectius conseruarentur: singulares iis praefecti erant magistratus, qui CVRATORES CLOACARVM Urbis vocantur apud Grut. *Inscript. p. CXCVII, p. CXCVIII, 2. 3. 4. 5. CCLII, 1.* Ast cum publicae istae cloacae initio per publicum essent ductae: post incendium Gallicanum, mutato vicorum aediumque situ, illae passim subierunt tecta: Qua de re Liuius *Hist. V. fin. Festinatio curam exemit vicos dirigendi dum, omissio sui alienique discrimine, in vacuo aedificant. Ea est causa, ut veteres cloacae, primum per publicum ductae, nunc priuata passim subeant recta formaeque urbis sit occupatae magis, quam diuisae, similis.* Hae publicae cloacae. PRIVATAE erant, quae ex priuatis quibusque aedibus in publicas illas immittebantur. Quandoquidem ergo publicae illae, ut iam ex Liuiio demonstrauius passim subierunt tecta priuata: opus nonnunquam erat seruitute CLOACAE, et vicinus a vicino stibulabatur, ut liceret sibi priuatam cloacam per eius fundum deductam in cloacas publicas immittere. *l. 7. D. de seruit, l. 1. §. 4. D. d. cloac.*

VII. Seruitus non altius tollendi.

VII. Antiquissimis porro temporibus suas quisque aedes in infinitum tollere poterat, idque etiam est libertatis naturalis, *l. 9. et l. 24. D. de seru urb. Praed. l. 26. D. de damn. infect. dummodo nihil in alienum immit tatur. l. 8. §. 5. D. si seru. vindic.* Hinc tam stupenda aedium altitudo, ut vix sine periculo per viam publicam ire ambulare liceret. Iuuenal. *Sat. 3. v. 6.*

Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, ut non Deterius credas? horrere incendia, lapsus Tectorum assiduos, ac mille pericula sacra Urbis.

Enim-

Enimuero cum id prospectui luminibusque officeret, ærque liberior hoc ipso vicinis interciperetur: saepe alter ab altero stipulabatur, ne altius tolleretur. Atque inde nascebatur seruitus **ALTIUS NON TOLLENDI**. At postea certus quidam aedium altitudini modus lege statutus est. Sane iam libera et florente republica ea de re fuisse cogitatum, docet Rutilii nescio cuius oratio de modo aedificiorum, quam ab Augusto recitatam esse in senatu, ut eam rem non a se primo animaduersam, sed antiquis iam curae fuisse, ostenderet, discimus ex Sueton. *Aug. LXXXIX*. Sed et ipse Augustus, ut crebris ruinis subueniret, lege lata statuit, ut ne quis septuaginta pedibus tolleretur altius. Strabo. *Geogr. V. p. 162.* πρὸς δὲ τὰς συμπτώσεις τὰ ὑψηλὰ τῶν καινῶν οἰκοδομημάτων καθελὼν, καὶ κωλύσας ἐξάγειν ποδῶν ὅ τὸ πρὸς ταῖς ὁδοῖς ταῖς δημοσίαις. *Ruinis quoque subuenturus, nimiam aedificiorum altitudinem sustulit, vetuitque ad vicos publicos altius septuaginta pedibus tollere.* Incensa deinde vrbe, etiam Nero aedificiorum altitudinem cohibuit, teste Tacito *Ann. XV, 43.* quamuis quem ea in re modum seruarit, non sit memoriae prodium. Denique et Traianus aedium altitudinem sexaginta pedes superare vetuit, ob ruinas faciles, et sumtus, si quid tale contingeret, exitiosos. Aurel. Victor. *Epit. vit. Traian. XIII*. Et sane haec quoque altitudo est maxima, unde non mirum, de ea conqueri Senecam *Controu. II, 9.* quamuis eam ipsa necessitate ciuiumque frequentia excusari existimet Vitruu. *Architect. II. 9.*

Vtcun-

Vt cunque se res habeat, sane et posteria placuit is aedificorum modus, inde ad illum respiciunt Imperatores Seuerus et Antonius *l. 1. C. de aedific. priu.* Quin et Constantinopoli eiusmodi legem, obseruatam esse, docet. Iac. Oifel. ad Caii Instit. II, 1. 3. Quemadmodum ergo, quae sit non altius tollendi seruitus, ex ipso vocabulo iisque, quae dicta hactenus sunt, satis intelligitur: ita eo obscurior est seruitus ei opposita **ALTIVS TOLLENDI**. Quamuis enim viugo seruitutem altius tollendi expiient ex constitutione Zenonis *l. 12. §. 2. C. de aedific. priuat.* de eo casu, si quis a vicino impetrauerit libertatem aedes suas altius, quam leges ferant, tollendi: tamen huius seruitutis iam ante Zenonem mentio fit a Caio *l. 2. D. de seru. urb. praed.* nec verosimile est, ante hanc constitutionem licuisse priuatis pactis restringere leges publicas. Itaque non absurda est sententia eorum, qui hic putant de eo casu actum vbi vicinus pati teneretur vt vicinus ὑπερῶον vel caenaculum imponere posset aedibus eius A. A. Pagenst. *Si il. Manip. III. p. 70. (b)*. Quanquam nec id dubio ca-

ret,

(b) Mos iste, alterius aedibus superimponendi coenacula et ὑπερῶα non ignotus fuit antiquis, cum aliis gentibus, tum maxime Romanis Pompon. Mela *Lib. II. Cap. 7. Arados etiam in Phoenicia est parua, et quantum patet, tota oppidum frequens tamen, quia etiam super aliena tecta sedem ponere licet: vbi legendus If. Vossius p. 203 De Romanis porro urbem ex ruinis instaurantibus Dionys. Halic. Lib. X. p. 659. refert. lege perlata plebeios conuenisse et ibi aedificare coepisse, locum, quantum quisque potuerit, occupantes. Hinc porro addit: Εἰσὶ δὲ καὶ σύνδουκαὶ σύντρεῖς καὶ ἐτι πλεῖονες, συνώντες οἰκίαν κατασκευάζοντο μίαν, ἐτέρων μὲν τὰ κατάγεια λαγχανόντων, ἐτέρων δὲ τὰ ὑπερῶα. Nonnulli etiam duosimul, vel tres,*

plu.

res, si illud ὑπερῶον vel caenaculum maneat aedificantis. Nam tunc non differet haec seruitus a seruitute oneris ferendi, vti recte vidit Sam. Stryck. ὁ μαναεῖρης. *Vf. Digest. VIII, 2. 7.* Fusius ea de re alibi erit dicendi locus.

VIII. Multum porro interesse videbatur veterum, ita clausas habere areas, vt remodis arbitris versari in iis posset familia. Vnde et Druso promittebat architectus, ita se aedificaturum domum: vt procul ab omnium arbitrio, atque ad spectu in ea habitaret. Vellei. Patercul. *Hist. II, 14.* Licebat enim cuius, in pariete suo fenestras, quot vellet aperire, sed et alteri licebat fenestris vicini in aream suam apertis obstruere. Quod si itaque aliquis fenestras in alieno vel communi pariete apertas habere vellet, opus erat seruitute LVMINVM. Sin impedire vellet alter, ne vicinus fenestras in suo pariete apertas obstrueret, stipulabatur a vicino: LVMINA VT IN VNC SVNT, ITA SINT, Briffon. *Antiqu. Rom. I, 19, p. 21.* Vtque inde nascebatur seruitus NE LVMINIBVS OFFICITVR. Nonnunquam etiam paciscebantur, ius vt esset vicino, se inuitis altius aedificare, atque ita officere luminibus, de qua seruitute *l. 3. D. seru. urb. praed.* Immo vt prospicere liceret et, ne prospicui officeretur, interposita stipulatione cauebant. *l. 14. et l. 15. D. cod.*

VIII. Seruitus luminum, et ne luminibus officiat.

IX.

pluresue, vnas aedes collatis impendiis exstruxerunt, aliis inferiores earum partes, aliis superiores sibi capientibus. At de sua aetate Pomponius l. 25. pr. D. de seru. pr. urban. Hoc, inquit, quod dictum est de immixtis, locum habet ex aedificio alio in aliud. Aliter enim supra alienum aedificium superius habere nemo potest.

Pars I.

G g

IX. Seruitutes praediorum rusticorum.

IX. Seruitutes praediorum rusticorum quatuor recenset Imperator *pr. Inst. b. t.* ITER, ACTVM, VIAM, AQVAEDVCTVM, sed §. 2. adiiicit. AQVAEHAVSTVM, PECORIS AD AQVAM APPVLSVM, IVS PASCENDI, CALCIS COQVENDAE, ARENAE FODIENDAE. Nos praecipua tantum confectabimur.

X. Iter, actus via.

X. ITER ab *eundo*; ACTVM ab *agendo*, VIAM a *vehendo* dictam esse, obseruat Varro *de Lingua Lat. IV, 4. p. 7.* Ergo ITER est ius eundi ambulandi hominis, non etiam agendi pecus, aut ducendi vehiculum. *l. 1. D. de seru. rust. praed.* quamuis et eoque vehi et sella gestari liceret ei, cui iter debebatur. *l. 12. D. eod.* ACTVS erat ius et eundi et agendi vel iumentum vel vehiculum, non tamen onustum *l. 1. et l. 11. D. eod.* (c) VIA denique ius et eundi et agendi et vehicula onusta per alterius fundum ducendi complectebatur *l. 7. D. eod.* Adeoque tertia seruitus primam et secundam, secunda etiam primam in se continebat, adeo, vt diuidi non possent, et hinc si quis iter et actum acceptum tulisset, perimeretur, etiam viae obligatio. *l. 13. §. 1. D. de acceptil.* Nonnunquam tamen iter et actum simul sibi stipulabantur, vt patet ex Gruter. *Inscr. p. CCI, 3.*

PER. HANC.
VIAM. FVNDI.
C. MARCI. CL.
PHILERONIS.
ITER. ACTVS.
DEBETVR.

Cuius

(c) Intelligendum hic esse non plaustrum, oneribus trahendis aptum, sed currum trusatilem, praeclare obseruat Bynkersh. *Obs. IV, 7. p. 365.*

Cuius rei rationem reddit Cuiac. *Obs. XXII, 35.* quod viæ iter et actus *propalam* inest, actui autem iter tantum *tacite* et per consequentiam. Vnde non mirum, sæpe sibi homines actum et iter simul stipulatos. Ex eodem vero lapide etiam patet, seruitutes has non hominum, sed prædiorum esse, quod et ius nostrum inculcat. *l. 20. §. vlt. D. de seru. præd. rust. l. 86. D. de verb. signif. vbi addi meretur Ger. Noodt Probab. I, 2. p. 4. seq.*

XI. VLAE latitudo in porrectum octo pedum erat, in anfractum sedecim *l. 8. D. de seru. præd. rust. Varro de Lingu. Lat. VI, 2. p. 48.* Ex quibus locis discimus, hunc viae modum ex legibus XII. Tabularum esse, quibus cautum fuerat: VIA IN PORRECTO VIII. P. IN AMFRACTO XVI. P. LATA ESTO. Gothofr. *ad XII. Tab. Tab. VIII. ACTVS* latitudo quatuor pedum erat, teste eodem Varrone *de Lingu. Lat. IV, 4. p. 6.* et Festo *voce actus p. 243.* Itineris latitudo parum comperta est. Potuisse tamen pro paciscentium arbitrio vel latiore vel augustiore constitui viam vel actum, patet ex *l. 23. pr. D. eod.* adeoque idem de itinere dici posse videtur.

XI. Viæ et actus latitudo.

XII. AQUAEDUCTVS erat ius aquam ducendi per alterius prædium, quod vel iuris per canales structiles, vel fistulis plumbeis, vel tubulis fictilibus fiebat, teste Vitruu. *Archit. VIII. 7.* quibus tamen et canales ligneos addit Palladius IX, II. Erant isti aquaeductus vel PUBLICI vel PRIVATI. In illis exstruendis tam splendidi tamque magnifici erant Romani, vt pauca, quæ hinc inde supersunt, rudera poste-

XII. Seruitus aquæ ductus.

ris sint admirationi. Solebant enim exstruere fornice, et veluti pontes per quos aqua tanquam flumen aliquod in urbem duceretur, ceu docet aqua Traiana depicta in numo apud Vailant. *Num. Imp.* p. 47. De eiusmodi Aquaeductibus Rutil. Numatian. *Itin.* I. v. 97.

*Quid loquar aërio pendentes fornice riuos,
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?
Hos potius dicas creuisse in sidera montes,
Quale giganteum Graecia laudat opus.
Intercepta tuis conduntur flumina muris,
Consumunt totos celsa lauacra lacus.*

Tales erant Romae aqua Claudia, Curtia, Traiana aliaque plures, quarum passim in Marmoribus fit mentio. Et sane his aquis non solum ad necessitatem utebantur, sed et ad voluptatem et luxuriam, ad quam in primis comparata erant *Nymphaea*, quorum vestigia sunt in *l. 5. l. 6. C. de aquaeduct.* nec non apud Reines. *Inscr. I. Class. I.* 200. et Ioseph. *de Bell. Iud.* I, 16. Erant haec aedificia publica ambitiosi operis, in quibus aquae corriuatae spectantium delectationi ac refrigerationi miris modis saliebant. Vid. Pancirol. *Thef. Var. Lect.* I, 5. Haec publicis sumtibus solebant exstrui. Sed nec magis sumtibus pepercerunt priuati, qui saepe aquam per omnia cubicula et triclinia ducebant, immo et euripos in his effodiebant, in quibus pisces inter coenandum caperent. Insignia huius luxuriae exempla existant apud Senecam *Nat. Quaest.* III, 17. et *praef. lib. I. de Tranqu. animi* I. Plin. *Epist.* V, 6. (d). Cum ergo aquam saepe

(d) Huc pertinent etiam, riui aquae fluentis, ^{pro-}parietibus

procul et per alienos fundos, duci oporteret: occasionem id dedit seruituti aquaeductus, de qua plura dabunt iureconfulti.

XIII. Reliquae seruitutes facile vel ex ipsis XIII. Dereliquis seruitutibus remissive.
nominibus intelliguntur, et passim de iis copiose agunt Interpretes, quibus addendi Iac. Cuiac. *Obferu. XXII, 35.* Aeg. Menag. *Amoenit. iur. ciuil. XXXI.* Vlr. Hub. *Digress. II, 12. sequ.* Corn. van Bynkershoek. *Obs. IV, 7.*

TIT. IV. et V.

DE

VSVERVCTV, VSV ET HABITATIONE.

Hae seruitutes, de quibus adhuc actum, reales sunt: personales vero VSVERVCTVS, VSVS, HABITATIO, OPERAE SERVORVM, de quibus his titulis agit Imperator. Nos post eruditissimas M. Aurelii Galvani et Ger. Noodtii commentationes pauca tantum monebimus.

I. Ad vocabulum quod attinet: au *vtendo* et I. Quid veteribus fuerit vti?
fruendo dictus est VSVSERVCTVS. *Vt* re, vt erudite ostendit Ger. Noodt *de vsufr. I, 1, p. 526.* est, eandem adhibere ad vitae necessitatem, sed quatenus sufficit, et vt salua maneat eius substantia. Vnde propria vsus tria sunt, primum, vt vtentis necessitate finiatur; alterum, ne rei conditio mutetur: postremum, vt ne res vten-
do

Gg 3

bus inducti, de quibus Emund. Merill. *Variant. III, 1.* et Ger. Noodt. *de vsufr. I, 12. p. 565.*

do consumatur, aut pereat. Primum Horatius significat, *Epist. II, 2. v. 190.*

*Vtar, et ex modico, quantum res possit, aceruo
Tollam.*

Secundum patet ex *l. 13. §. 1. et 5. D. de usufr.*
Tertium notat Donatus in *Terent. prolog. Andr.*
VTIMVR fructibus rei, quae ab amantibus saluo
usu nobis subministrantur; ABVTIMVR, quando
deperdimus rem et fructum, usui est ager, domus:
abusui vinum, oleum, et cetera huiusmodi.

II. Quid frui? II. FRVI latius patet; ac uti: quemadmodum
vel ex Seneca patet *de vita beata cap. X.* ubi phi-
losophus: Tu, inquit, voluptatem complecteris:
ego compesco, tu voluptate FRVERIS: ego VTOR.
Fructus ergo non utentis necessitate neque rei
conditione circumscribitur: sed qualemcunque
praesentem utilitatem, commoditatem, oblecta-
tionemue, quae ex rei eiusue occasione percipi
potest, complectitur, prorsusque adeo neque
finem habet, neque modum, ceu egregie osten-
dit Augustinus *de Doctrina Christ. cap. III.* Ger-
Noodt *l. 1. p. 526. seq.*

III. Quid V-
susfructus?

III. Vsusfructus ergo neque merum fructum ne-
que merum usum continet, sed ex utroque colli-
gitur. Ex usu enim id habet, quod saluam relinquit
substantiam: ex fructu vero, quod non sola neces-
sitate finitur. Adeoque est *ius utendi fruendi re-
bus alienis, salva earum substantia. l. 1. D. de usufr.*

IV. Quid
usus?

IV. Poterat ergo usus quidem legari sine fru-
ctu: sed non fructus sine usu. *l. 14. §. 1. D. de usu
et habit.* Non enim debet, cui plus licet, quod
minus est, non licere. *l. 21. D. de R. I.* At usus,
sine

sine fructu legatus, sola utentis necessitate finitur saluamque esse oportet non solum rei substantiam, sed et conditionem. *l. 12. §. 1. D. de usu habit.* Minus ergo continet usus, quam usufructus, et hinc ille nec pro parte legari potest, quod potest usufructus. *l. 19. D. eod.* nec etiam res, usui concessa, vel donatione, vel locatione, vel vlllo alio titulo, in alterum transferri, quod itidem poterat usufructus. *§. 1. Inst. eod. l. 12. §. 2. l. 38. seq. l. 67. D. de usufruct.*

V. Parum ab usu differt HABITATIO, sed differt tamen. Nam I. aliquid amplius habitationi inest quam usui: siquidem is, cui debetur habitatio, totam domum non solum inhabitare, sed et locare, vel gratis concedere potest. *l. 13. C. de usufr.* quae secus se habent, si solus usus aedium legatus sit. II. Habitatio non amittitur non utendo, neque III. capitis deminutione. perinde ut usus, perimitur, ut ex *l. 10. pr. D. de usu et habit.* a se ingeniose emendata, ostendit Ger. Noodt. *Prob. III, 7. p. 79.*

V. Quid habitatio?

VI. Ceterum haec omnia originem debere videntur vltimis voluntatibus. Cum enim morientes alicui bene cuperent, neque tamen eius heredibus consultum vellent: excogitarunt ius illud utendi fruendi, a dominio et proprietate seiunctum, ut moriente legatario, rei legatae usufructus cum proprietate consolidaretur. Postea etiam aliis modis, veluti stipulatione, quam tamen sequebatur traditio, nec non iudiciis diuisoriis, immo etiam lege, constituebatur usufructus, ut accurate docet Ger. Noodt. *de Vsufr. II, 1. seq. p. 601. seq.*

VI. Originem horum iurium.

VII. Vfusfructus quantitatatum et iurium S. C. introductus.

VII. Et initio quidem vſusfructus in ſolis conſtituebatur corporibus non fungibilibus, poſtea S Ct. prodiit, quod etiam in quantitatibus, et iuriibus vel, vt dilucidius loquamur, in rebus fungibilibus, quaſi vſumfructum conſtituere permittebat. dummodo caueret fructuarius, ſe finito vſufructu tantundem reſtituturum. Qua de re Vlp. *Fragm. XXIV, 26. et 27. Vſusfructus iure civili legari poteſt earum rerum quarum ſalua ſubſtantia vtendi fruendi poteſt eſſe facultas, et tam ſingularum rerum, quam plurium, id eſt, partis. Senatus conſulto cautum eſt: vt etiam, ſi earum rerum, quae in abuſu continentur, vt puta vini, olei, iritici vſusfructus legatus ſit, legatario res tradantur, cautionibus interpoſitis, de reſtituendis eis, cum vſusfructus ad legatarium pertinere deſerit: Eiuſdem S Ct. mentio ſit. l. 1. D. de vſufr. ear. rerum. l. 24. de vſufr. leg. l. vlt. vſufr. quemadm. caueat l. 69. ad L. Falcid. l. 1. C. de vſufr. Quando illud factum ſit non liquet. Sane non adſcendit ad tempora Ciceronis, quibus, ceu ex *Topic. cap. III.* patet, corporum tantum, non item quantitatatum et iurium, erat vſusfructus. Cum vero illud S Ct. iam interpretati ſint Maſſurius Sabinus, Nerua, Caſſius, et Proculus, ceu colligi poteſt ex l. 5. §. 1. et l. 3. D. de vſufr. ear. rer. quos omnes ſub Tiberio floruiſſe conſtat: hoc quoque, vel certe Auguſto imperante, S Ct. factum eſſe oportet. Vid. Marc. Aurel. Galuan. *de vſufruct. cap. III.* Ger. Noodt *de vſufr. II, 20. p. 589.* Schulting. *Iurispr. vet. Anteiuſtin. p. 658.**

VIII. Quibus

VIII. Ceterum ita conſtitutus vſusfructus, finie-

niebatur vel tempore, ad quod fuerat constitutus, vel morte fructuarii, vel capitis deminutione, vel non utendo per constitutum tempus, vel facta in iure cessione, vel consolidatione, vel mutatione denique aut interitu rei fructuariae, de quibus omnibus plenius iureconsulti, inprimis Ger. Noodt *de Vsufr. II, 5. seq.* Eadem omnia locum quoque habebant in usufructu ciuitati legato. Mori enim et ciuitas videbatur, simulac interiisset, veluti absorpta terrae motu, vel inundatione. Capite minui, si in eam induceretur aratrum. *l. 21. D. quib. modis usufructus vel usus am.* Quemadmodum enim aratrum adhibebatur in condendis urbibus, eo fine, ut ubi sulcum duxissent Triumviri coloniae deducendae, muri exstruerentur, et eos quodammodo religio occuparet: (Vid. *Lib. II. Tit. I. §. 6.*) ita aratrum toti areae urbis inductum, eam reddebat sacram, ut habitari a nullo mortalium posset. Hinc Zonar. *Tomo II. Annal.* refert, Carthaginis aream Senatum Romanum sacrasse, et decreuisse, ἐπάρατον, τὸ ἐπ' αὐτὴν κατοικῆσαι τινα. *Execrabile fore, ibi quemquam habitare.* Pertinet huc locus Horat. *Lib. I. Carm. Od. 16. v. 17.*

*Irae Thyesten exitio graui
Strauere, et altis urbibus vltimae
Stetere causae, cur perirent,
Funditus imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.*

Ad quae verba Scholiastes: *Condendis atque*

euertendis ciuitatibus. Haec consuetudo fuit, vt ARATRO fierent, vt de condenda Virgilius:

Interea Aeneas urbem designat ARATRO.

Item Cicero de euertenda in Philippicis: Vt vexillum tolleret, et ARATRVM circumduceret. Plura de eo ritu habent P. Faber Semestr. I, 8. Iac. Raenard. Coniectan. II, 7. Quod si neutrum horum contingeret, vsusfructus seculo circumacto finiebatur. l. 56. de vsufr. l. 8. de vsufr. leg. P. Fab. Semestr. l. c. Ger. Noodt de vsufr. II, 6. p. 614.

TIT. VI.

DE

VSUCAPIONIBVS ET LONGI
TEMPORIS PRAESCRIPTIONIBVS.

Modis acquirendi rerum dominium, iure ciuili inuentis, accensenda etiam est VSV-CAPIO, de qua hoc titulo agit Imperator. Nos rem ex antiquitate explicabimus.

I. Vsfucapio
e iure Atti-
co est.

I. Vsfucapionem, quae et *vsus auctoritas* dicta veteribus, ex iure Attico ad Romanos fluxisse, admodum sit verosimile. Plato certe, qui in plerisque talibus ius Atticum sequi solet, vsfucapionem quoque admittit in sua republica, Vid. Plat. de Leg. XII. p. 691. Sed non nisi mobilium, quibus si quis aperte intra urbem per annum; ruri per quinquennium vsus sit, vsfucapionem completam esse iusserat. Porro si ruri occulte res haberetur, vsque ad decennium vindicari eam posse volebat, sin extra territorium, aduersus
possef-

possessorem aeternam auctoritatem fore denunciabat. Et ad leges Atticas procul dubio respicit Isocrates, *in Archit.* p. 239. quando sub persona Archidami ait: ἀλλὰ, μὴν εἰδ' ἐκεῖνο ὑμᾶς λέληθεν, ὅτι τὰς κτήσεις, καὶ τὰς ἰδίας καὶ τὰς κοινὰς, ἦν ἐπιγένητε πολὺς χρόνος, κυρίας καὶ πατρῷας ἀπαντες εἶναι νομίζουσιν. *Sed nec illud vos praeterit, possessiones siue priuatas, siue publicas praescriptione longi temporis et confirmari, et patrimonii loco habendas, persuasum esse omnibus.*

II. Romam eam inuexerunt leges decemuirales, in quibus ita cautum legimus: VSVS AVCTORITAS FVNDI BIENNII, CETERRARVM RERVM ANNVVS VSVS ESTO. Gothofr. *ad Leg. XII. Tab. Tab. VI.* Res ergo immobiles Romae biennio, mobiles anno vsucapiebantur. Cum vero eo tempore, quo XII. Tabulae condebantur, intra Italiam consisteret Romana potentia: factum est, vt vsucapio non nisi in fundis Italicis vel Italicis iuris, adeoque in rebus tantum mancipi haberet locum. Fundorum vero prouincialium proprietatem nunquam adquirebat priuatus, sed populus (a), adeoque in iis non procedebat vsucapio. Qua de re eleganter Theophilus in §. 40. *Inst. de rer. diuis.* Οἱ τὰ σιπενδιάρια καὶ τριβυτάρια ἔχοντες πάλα κατὰ συγχώρη-

II. Lex XII.
Tab. de vsu-
captionis
tempore.

(a) Quamuis enim praedia eiusmodi sub conditione annuae praestationis vel prouincialibus, vel ipsis ciuibus concederentur; supremum tamen et directum dominium erat penes populum. Hinc vocabantur praedia stipendiararia et tributaria. Theophil. *in §. 40. Inst. de rer. diuis.* Vid. Bynkersh. *de rebus manc. et nec mancipi* IX. p. 130. seq.

χώρησιν δῆμος ἢ βασιλεύς, ἂν ἦσαν δεσπότης. Ἡ γὰρ δεσποτεία αὐτῶν ἢ παρὰ τῷ δήμῳ, ἢ παρὰ τῷ βασιλεῖ, ἀλλ' εἶχον τὴν ἐπ' αὐτοῖς χρεῖσιν, καὶ ἐπικαρπίαν, καὶ πληρεσάτην, κατοχὴν ὥστε δύνασθαι καὶ ἐφ' ἑτέρων μεταφέρειν, καὶ κληρονόμοις παραπέμπειν. Τῶν γὰρ Ἰταλικῶν ἀγρῶν ἦτοι οἰκίῳν οἱ δεσπότης τὴν δεσποικεαν εἶχον. *Qui olim ex concessione populi vel Principis stipendiaria vel tributaria praedia habebant, domini non erant: nam dominium illorum erat aut apud populum aut apud principem, sed usus et fructum eorum habebant, et plenissimam possessionem, ita ut et transferre possent in alios, et ad heredes transmittere. Italicorum autem fundorum domuumque domini dominium habebant.* Itaque non magis vsucapione adquiri poterat praedii prouincialis dominium quam rei commodatae, aut praedii fructuarii. Ian. Vinc. Grauin. *de Leg. XII. Tabul. p. 317.* Res mobiles omnes vsucapi poterant, mancipi aequae ac nec mancipi. Atque ita intelliganda illa Vlpiani *Fragm. XIX, 8. Vsucapione dominia adpiscimur tam mancipi rerum, quam nec mancipi.* Cuiac. *Paratit. ad tit. C. de vsucap. transf.*

III. Vt et de vsucapione peregrinis deneganda.

III. Iisdem legibus decemuiralibus denegatum fuerat peregrinis ius vsucapiendi, eamque in rem ita cautum: **ADVERSUS HOSTEM AETERNA AVCTORITAS ESTO.** Cic. *de Offic. I, 12.* Hostis tum erat peregrinus, ceu post Ciceronem etiam Caius docet *l. 234. pr. D. de verbor. signif.* Et hoc sensu Ennius de Scipione Africano apud Stephan. *in Fragg. vet. poet. p. 107.*

(*Hic est ille situs, cui nemo cinis, neque hostis, Quiiuit*

Quinit pro factis reddere operae pretium.

Cum ergo vsucapio esset modus acquirendi iuris ciuilibus: non magis communis ea cum ciuibus erat peregrinis, quam mancipatio aut in iure cessio. Videtur tamen postea hoc ius communicatum esse cum Latinis, Iunianis, iisque peregrinis, quibus commercium datum erat. Nam hos etiam mancipationis ius habuisse, patet ex Vlpiani *Fragm. XIX, 4.* Post constitutionem Antonini Caracallae, ciuitatemque cum omnibus ingenuis communicatam non superfuit Latinitatis illius vsus, superfuit tamen discrimen inter fundos Italici soli et prouinciales, quod demum sustulit Iustinianus. *l. vn. C. de vsucap. transf. Ezech. Spanh. Orb. Rom. Exerc. II, Cap. 25. p. 399. seq.*

IV. Quod vero lex XII. Tabularum rerum furtiuarum vsucapionem inhiuit, id de ipso tantum fure videtur intellectum, vsque ad legem ATINIAM: qua primum cautum, *vt quod subreptum esset, eius rei aeterna esset auctoritas, nisi si in eius, cui subreptum esset, potestatem reuertisset.* Ita Gell. *Noct. Att. XVII, 7.* Paullus *l. 4. §. 6. D. de vsurp. et vsucap.* Iulianus *l. 33. pr. D. eod.* Incerta est legis aetas, nisi quod ante Scaeuolam, Brutam, et Manilium, vt et P. Nigidium latam fuisse ex Gellio constat. Praeterea iam Cicero in *Verr. I. Cap. 42.* eius meminit. Vnde non admodum a veritate abluere videtur coniectura Steph. Vin. Pighii, *Annal. T. II. p. 255.* legem hanc A. V. C. ICLVI. Caio Cornelio Cethego et Q. Minutio Rufo cons. a C. Atin-

IV. Lex Atinia de vsucapione rerum furtiuarum.

nio Labeone Tribuno plebis latam, existimantis. Exstat Andr. Puluaei *liber singularis ad legem Atiniam, seu de rei furtivae prohibita alienatione* qui editus Venetiis, MDLXXXV. postea in *Oceano Iuris vel tractatu tractatum T. XVII. Vol. XXIV. p. 216.* ac denique in *Thesauro iur. civil. Tomo IV. p. 327.* locum obtinuit.

V. Leges Iulia et Plautia de usucapione rerum vi possessarum.

V. Secutae sunt leges IULIA et PLAVTIA (b) de usucapionibus, aut potius de vi publica et priuata, quibus ad res vi possessas prolatum est, quod de furtiuis statuerat lex Atinia. Cautum enim his legibus fuerat, vt res vi possessae usucapi haud possent, longo quantumuis tempore, nisi reditu ad verum dominum vitium exuissent. *l. 33. §. 2. D. de vsurp. et vsucap.* Legis PLAVTIAE vel PLOTIAE iam meminere Caelius ad Ciceronem *Epist. ad Fam. VIII, 8.* et ipse Cicero *ad Att. Epist. IV, 16. pro Caecin. cap. XXVI. pro Milon. XIII. nec non Salust. de Bello Catilin. cap. XXXI.* eaque lata est A. V. C. IOCLXIV. Cn. Pompeio Strabone et L. Porcio Catone Coss. a M. Plautio Tribuno plebis, vt luculenter ostendit Steph. Vin. Pigh. *Ann. Tom. III. p. 228.* Iulia vero, vt obseruat Hotomanus *de legib. p. 77.* non alia est, ac illa, quam de vi publica et priuata tulit Augustus. Et quia in illam

(b) Iura nostra de his legibus tanquam de vna loquuntur. Legem *Plautiam* et *Iuliam* commemorant Iulianus *d. l. 33. §. 2. D. de vsurp. et vsuc.* et Tribonianus *§. 2. Inst. b. 1.* Sed diuersas fuisse leges *Iuliam* et *Plautiam* vel *Plotiam*, hancque illa multo esse antiquiorem certissimum est, ac paullo post demonstrabitur.

lam procul dubio et Plautia migravit, inualuit, vt iuncto nomine diceretur Iulia et Plotia quemadmodum *Iuliae et Papiae* vocabulum duas diuerſas leges coniungit.

VI. His attexenda lex SCRIBONIA quae et VI. Lex
 ipſa ad uſucapionem pertinuit. Eam aliqui Scribonia
 Coelio Curioni, Tribuno plebis; alii, et in his de ſeruitu-
 Galuan. *de uſufr. cap. XII.* L. Scribonio Liboni, uſucapien-
 qui anno 1000XXI. cum M. Antonio conſula- dis.
 tum geſſit; alii denique, et maxime, Raeuardus
ad Leg. Scribon. l. p. 749. huius nepoti L. Scribo-
 nio Liboni tribuunt, quem Tiberii temporibus,
 anno V. C. DCCLXIX. cum Siſenna Tauro
 conſulem fuiſſe, ex Dione Caſſ. LVII. p. 601.
 apparet. Legis ſenſus vt eo expeditior ſit, no-
 tandum eſt, antiquiſſimis temporibus ſeruitutes
 uſucapi haud potuiſſe. Cum enim poſſeſſio-
 nem requireret uſucapio *l. 25. D. de uſurp.* quae
 in ſeruitutibus, vtpote rebus incorporalibus,
 locum non habere videbatur: *l. 32. in ſin. D. de*
ſeru. urb. praed. et l. 43. D. de adquir. rer. dom.
 factum eſt, vt nec uſucapi poſſe crederentur,
 maxime cum in duodecim tabulis nihil eſſet
 de rerum incorporalium uſucapione ſtatutum,
l. 14. pr. D. de ſeruitut. et praeterea, uſucapio
 ſit modus acquirendi dominium, ſeruitutis au-
 tem dominium nullum eſſe poſſet. Aſt licet
 non eſſet ſeruitutum poſſeſſio: erat tamen ea-
 rundem uſus, quem deinde prudentes quali
 pro poſſeſſione acceperunt, adeoque interpre-
 tatione ſua etiam ſeruitutum, ſaltim ruſticarum,
 uſucapionem inuexerunt. Clariffime hoc elu-
 ce

cet ex verbis Cicer. *pro A. Caecin. XXVI. A-
quaeductus, haustus, iter, actus, a patre, sedrata
auctoritas harum rerum omnium a iure civili su-
mitur.* Cum vero haec quasi vsucapio seruitutum,
a prudentibus inuecta, a veteris iurisprudenciae
principiis videretur abhorrere: lata demum est
lex Scribonia, qua seruitutum vsucapio penitus
sublata est. *l. 4. §. vlt. D. de vsurp. et vsucap.* Ne-
que dubium est, quin ea lex ad omnes in vniuer-
sum seruitutes pertinuerit; siquidem hoc ius vsu-
tatum fuisse generaliter, scribit Vlpianus. *l. 10. §.
1. D. de vsurp. et vsuc.* Attamen etiam post hanc le-
gem is, qui longo tempore non vi, nec clam, nec
precario vsus erat seruitute, vtili actione a prae-
tore adiuuabatur. *l. 10. pr. D. si seru. vind.* De-
mum et Iustinianus legem Scriboniam fati aper-
te sustulit, et seruitutum quoque, omniumque re-
rum incorporalium praescriptionem admittit *l.
vlt. C. de praescr. long. temp.* Conf. Raenard. *l. c.*
Ant Schulting *Iurispr. vet. anteiussl. p. 256. seq.*

VII. Longa
possessione
capio rerum
immobilium
inuenta.

VII. Hactenus de VSUCAPIONE, cui leges
decemuirales, vt dixi, in rebus mobilibus anni,
in fundis biennii spatium praescriberant. Quan-
doquidem enim tunc ciuitate agrisque perpetuo
ciues detinebantur, rariusque relicto natali
solo Italia egredi consueuerant: tam breue tem-
poris spatium rebus vsu acquirendis habita inter
praesentes et abscntes nulla distinctione, suffice-
re credebatur. Iac. Raenard. *Tribon. IV. p. 772.*
Cum vero sensim Romani longe lateque pro-
ferrent imperii fines, partim edictis, partim
principum constitutionibus, in eius, quod lege
anti-

antiqua rebus immobilibus vsu acquirendis datum fuerat, spatii locum eatenus longius temporis interuallum surrogari coepit, vt vbi vsucapio cessaret, veluti in praediis prouincialibus, praescriptione saltim longi temporis hoc ius posset adquiri §. 2. *Inst. de vsu.* Vnde res immobiles prouinciales non biennio, sed longo tempore vsu acquirebantur, id est, vt Paulus *Rec. Sent. V, 2. 3.* interpretatur, *inter praesentes decennii, inter absentes vicennii spatio continuo.* Cum vero antiqua illa ac decemuiralis adquisitio vsucapio diceretur: noua haec dicta est LONGA POSSESSIONE CAPIO, *l. 4. in fin. D. pro emt. l. ult. D. eod.* vel LONGAE POSSESSIONIS PRAEROGATIVA. *l. 5. D. de itin. actuque priu.*

VIII. Qua in re ergo ab vsucapione distincta fuerit illa longa possessione capio, luculenter suo more ostendit Iac. Raeward. *Tribon VIII. seq. p. 776.* Illa civilis erat, haec partim civilis partim honoraria. Illa exiguo; haec longiore tempore constabat. In illa nulla absentiae praesentiaeue ratio habebatur; in hac multum interesset, praesentium an absentium ius in immobilibus excludendum esset. In illa tempus semper certum erat: in hac nonnunquam incertum, quoties scilicet quis titulum probare non poterat. Tunc enim requirebatur vetustas, cuius origo excederet memoriam; eaque legis vicem tenebat, teste Vlpian. *l. 1. §. fin. D. de aqua et aqu. plu. arcend.* Denique cum vsucapio rerum immobilium tantum in Italico solo procederet: *Princip. Inst. de vsucap.* longa possessione fundi

VIII. Differentiae inter vsucapionem et longam possessionem capionem.

tam prouinciales, quam Italici iuris, capi poterant, vt erudite demonſtrant Theophil. *pr. Inst. b. t.* et Iac. Raeward. *Tribon. X. p. 781. ſeq.*

IX. Iuſtiniani
conſtitutio.

IX. Sed Iuſtinianus *l. vn. C. de vſucap. transf.* vſucapionem rerum immobilium et longi temporis praefcriptionem in vnam veluti maſſam conflauit, reſque mobiles triennio, immobiles inter praefentes decennio, inter abſentes vicennio vſucapi voluit. Negat Raewardus, eius rei iuſtam rationem habuiſſe Imperatorem, quia haec omnia, quae de vſucapione rerum immobilium fanxit, iamdudum ante eius tempora Praetorum edictis Principumquae conſtitutionibus fuerint infecta. Quare et hinc Iuſtiniani prudentiam legiſlatoriam requirit in *Tribon. X. p. 781.* Sed ea de re alibi erit dicendi locus.

X. Quid
vſurpatio?

X. Ceterum cum tempus in vſucapionibus deberet eſſe continuum: interruptio illius dicebatur VSVRPATIO, *l. 2. et l. 5. D. de vſurp.* et de hac re egit Appii Claudii liber de vſurpationibus, cuius meminit Pompon. *l. 2. §. 36. D. de orig. iur.* Sunt tamen et aliae huius vocis ſignificationes. Sic vſurpari dicitur ſeruitus, quae vtendo retinetur. *l. 6. §. 1. l. 8. ſin. l. 9. l. 16. D. quemadm. ſeru. amitt.* Immo et vſurpata dicitur ſeruitus, quae amiſſa, vſu iterum adquiſita eſt *l. 40. §. 1. D. ex quib. cauſis mai.* Reliqua, quae ad hunc titulum pertinent, a doctores pleniſſe ſolent inculcari.

TIT. VII.

DE

DONATIONIBVS.

Inter modos acquirendi iuris gentium etiam DONATIO est, quam tamen modis acquirendi ciuilibus accensuit Caius, quia eius temporibus ex lege Cincia non valebat donatio, nisi sollenniter et per mancipationem facta. Frid. Brummer. *ad leg. Cinc. cap. XIII.* Quod quamuis mutatum esse tempore Iustiniani: noluit tamen Tribonianus Cui ordinem turbare. Plura hanc in rem diximus in *Additionibus ad Vinn. p. 253.* Cum ergo ritus nonnulli obseruati sint in donationibus: ii paullo accuratius videntur ex antiquitatibus Romanis explicandi.

I. DONATIONES veteri iure in varia genera dispescebantur. Aliae erant SIMPLICES, aliae REMVNERATORIAE. Illae iterum vel *mortis causa*, vel *inter viuos* fiebant; ad posterius genus etiam donationes *propter nuptias* referendae.

I. Donationes quotuplices.

II. DONATIONES, quae ob causam fiebant MVNERA; reliquae generatim DONA (a) appellatae sunt. Corn. Fronto *de Differ. verb. p. 1331*: MVNVS, *quod amicus vel cliens, vel libertus officii causa mittunt. Possunt et illa nihil-*

II. Differentia doni et muneris.

H h 2

omi-

(a) Vix ergo locum habet obseruatio Agraetii apud Dionys. Gothofr. *Ver. Gramm. p. 1348.* *Donum dantis est, munus accipientis: illud adando, haec a muniendo vel mouendo dicitur.*

ominus DONA dici, quae donant pauperibus diuites vel potentes. Illud quoque donum putandum est, quod militibus donatur in castris, ut corona vallaris. Clarius Vlpian. l. 194. D. de verb. sign. Inter DONVM et MVNVS hoc interest, quod inter genus et speciem: nam genus esse donum, Labeo a donando dictum: munus speciem. Nam munus esse donum cum causa, ut puta natalitium, nuptialitium. Et Marcianus l. 214. D. eod. MVNVS proprie est, quod necessarie obimus, lege, more, imperio eius, qui iubendi habet potestatem. DONA autem proprie sunt quae nulla necessitate iuris, officii, sed sponte praestantur, quae si non praestentur, nulla reprehensio est, et si praestentur, plerumque laus inest. Vbi adde, quae notat Io. Goeddeus.

III. Dona et munera Romanae frequentissima.

III. Et initio quidem et munera, et dona, rara admodum erant in tanta veterum paupertate, etiam inter cognatos et personas coniunctas, ut patet ex *Excerpt. Peirescian.* p. 154. ubi Polybius, de rebus, Aemiliae, matri a P. Scipione donatis, agens: τῆτο δὲ, inquit, πανταχῆ, μὲν ἂν ἐικότως φαίνοιτο καλόν, ἐν δὲ Ῥώμῃ καὶ θαυμαστὸν, ἀπλῶς γὰρ εἰδὲς εἰδένι δίδωσι τῶν ἰδίων ὑπαρχόντων ἐκῶν εἰδέν. *Atque id, cum ubique praeclarum, tum Romae admirabile videatur esse, qua in urbe nemo quidquam sponte alteri de suo donat.* Postea, crescente luxuria, nihil fuit Romanis in donando magnificentias. Munera et dona patronis mittebant clientes et liberti, dominis serui, principibus et magi-

magistratibus ciues, amicis amici, cognatis cognati (b), et quidem variis occasionibus, quarum praecipuas hic considerare operae fuerit pretium.

IV.

(b) De cliendum liberalitate erga patronos iam supra Cornelium Frontonem audiimus. De donis et munusculis, quae liberti praeter operas debebant, videndi sunt Caius *Inst. II, 9. 4.* Quintil. *Declam. ult.* Nec feruos ab illo donandi onere immunes fuisse, docet Terent. *Phorm. I, 1. v. 5. seq.* vbi Dauus:

*Nam herilem filium eius duxisse audio
Vxorem ei, credo, munus hoc corraditur.
Quam inique comparatum est, si qui minus habent,
Vt semper aliquid addant ditioribus?
Quod ille vnctatim vix de domensio suo,
Suum defraudans genium, compararit miser,
Id illa vniuersum accipiet, haud existimans.
Quando labore partum. Porro autem Geta
Ferietur alio munere, vbi erit puero natalis dies,
Vbi initiabunt: omne hoc mater auferet:
Puer causa erit mittundi.*

Imperatoribus missa esse munera, imprimis Kalendis Ianuariis, patet exemplo Augusti, apud Sueton. *Ocrat. LXII.* Tiberius vero eum donandi morem edicto inhibuit, frenasque oblatas respuit. Dio Cass. LVII. p. 613. Caligula eas se recepturum, edixit. Suet. *Calig. XLII.* Claudius eas denuo edicto sustulit. Dio Cass. LX. p. 659. Postea vix quisquam Imperatorum eiusmodi munuscula respuit. Magistratus prouinciales dona et munera non poterant iure recipere; permittuntur tamen iis xeniola, modo vetus illud obser-

IV. Veluti
strenae.

IV Praecipue donis et muneribus celebrabantur Kalendae Ianuariae, quibus strenae mittebantur vel munuscula, dulcia praesertim boni ominis causa, veluti caricae, id est, ficus in Caria prouenientes, quarum optimae erant Cauniae, Gronou. *Diatr. in Stat. Papin. Cap. XIV. p. 77.* caryotides, mella, huiusque generis alia, vt a rebus dulcibus dulces anni dies auspicarentur. Quam in rem egregia multa habet Ios. Scalig. *ad Tibull. Lib. I. Martialis Epigr. VIII, 33. v. 11.*

*Hoc linitur sputo Iani caryota Kalendis,
Quam fert eum paruo sordidus asse cliens.*

Et *Epigr. XIII, 27.*

*Aurea porrigitur Iani caryota Kalendis,
Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.*

Ditiores aurum et argentum mittebant, praecipue Imperatoribus, vt Augusto apud Sueton. *Octau. LVII.* Theodosio et Arcadio apud Symmach. *Epist. X, 28.* Sed et aliis occasionibus, veluti ob victoriam, quinquennalia, decennalia, etc. Imperatoribus offerebantur dona. Et tale est *aurum oblatitium*, de quo *l. 5. l. 9. l. 14. C. Theod. de senat. Lib. VI. tit. 2.* id est aurum a Senatoribus et viris clarissimis sponte promissum. Decuriones enim et curiales

uarent: "Ουτε πάντα, ἕτε πάντοτε, ἕτε παρὰ πάντων. Neque omnia, neque omni tempore, neque ab omnibus. l. 6. §. 3. D. de off. procos. l. 18. D. de off. praesid. Vnde mira continentia Ciceronis, qui in prouincia etiam xeniola illa respuit. Cicero *ad Attic. Epist. V, 10.*

riales iis occasionibus offerebant aurum coronarium, de quo integer titulus est in codice Theod. puta *Libro XII. Tit. XIII.* ad quem praeclare docet Gothofredus, iam libera rep. parta victoria Ducibus triumphaturis offerri consueuisse coronas, aliaque munera, ad ornandum triumphum, et inde ortum esse *aurum coronarium*, quod a bonis principibus saepe remissum, a malis reuocatum esse, copioso ostendit. Vide eius *Comment. ad Cod. Theod. Tom. IV. p. 602.* Nec Kalendis tantum Ianuariis, sed et diebus proxime insequentibus, strenas mittebant. Et inde est, quod Festus *voce strena p. 447.* hoc munus ita dictum putat, a numero, veluti TRENAM, vel *trinam*, quippe quo *significatum sit, alterum tertiumque venturum similis commodi.* Sed sustulit et illam donandi licentiam Tiberius, edictoque cavit, ne strenarum commercia vitra Kalendas Ianuarias exercerentur. Sueton. *Tiber. XXXIV.*

V. Porro viri Saturnalibus; feminae matronalibus, id est, Kal. Martiis strenas atque apophoreta dabant et accipiebant. Apophoretorum in Saturnalibus (c) exempla sunt apud Sueton. *Octau. LXXV. Vesp. Cap. XIV.* et Martialis. *Eprigrammatum libro XIV.* qui totus huc

V. Apophoreta Saturnalia et matronalia.

Hh 4

per-

(a) Haec apophoreta dicta etiam *sigillaria*. Sueton. *Claud. V.* Spartian. *Haadr. XVII.* Alias ipsa Saturnalium dierum appendix dici consuevit *sigillaria*, a sigillis vel paruis imaginibus, quibus pro se et suis piaculum Saturno faciebant. Macrobi. *Sat. I, 13.*

pertinet. De matronalibus Tibullus *Eleg. III, 1. v. 1.*

*Martis Romani festae venere Kalendae:
Exoriens nostris hinc fuit annus auis.*

*Et vaga tunc, certa discurrunt undique pompa
Perque vias urbis, munera, perque domos.*

Et Martialis *Epigr. X, 24.*

*Natales mihi Martiae Kalendae,
Lux formosior omnibus Kalendis,
Qua mittune mihi munus et puellae.*

Quinquagesima tibi.

Et *Epigr. V, 84. v. 10.*

*Scis certe, puto, vestra iam venire
Saturnalia, Martias Kalendas,*

Tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.

Vnde est, quod Kalendas has Martias Calendas *femineas* appellat Iuuenal. *Sat. IX. v. 53.* Cum vero multi Saturnalibus avidius a clientibus exigent munera: Publica lex lata est a Publicio, Tribuno plebis, ut non nisi cerei ditioribus mitterentur. Macrobius. *Saturn. I, 7.* Quae lex eadem videtur, cum illa, qua vetitum ne quis in pecuniam luderet, sponsonemue in ludo, nisi qui virtutis causa susceptus esset, faceret, de qua *l. 3. D. de aleatorib.* Tota enim lex procul dubio fuit sumptuaria.

VI. Munera
natalitia.

VI. Solebant et diebus natalibus munera accipere honoratiores atque amici. Martialis *Epigr. IX, 54.*

*Natali tibi, Quinte, tuo, dare parua volebam
Munera, tu prohibes: imperiosus homo es.*

Et

Et alibi *Lib. VIII. epig. 64.* lepide exagitat Clytum, qui vt noua semper munera natalitia auferet, septies octiesue in anno natalem celebrabat. A natalibus diuersa *χαρισια*, id est solenne conuiuium, cum tantum cognati interessent, litium ponendarum et amoris instaurandi gratia institutum. Val. Max. II, 1. Hic aequae ac in natalibus dabantur munera. Inprimis mittebantur aues, (Martial *Epigr. IX, 56.*) die natali et annuli, Iunulae, aliaque huius generis ad mundum muliebrem pertinentia. Plaut. *Epidic. V, 1. v. 33.* Vestis cubitoriae natali suo sibi donatae meminit dispensator Trimalcionis apud Petron. p. 14. vbi conferendae Iani Woweri aliorumque doctissimorum virorum annotationes, p. 150. ex quibus patet, caenatorias eiusmodi vestes a clientibus mitti consueuisse patronis. Nec modo accipiebant natalibus suis munera, sed et dabant, vt patet ex Inscriptio-
ne apud Gruter. p. ccccxiv, 2.

HIC. ARCAE. AVGVSTALIVM. SE. VI-
VO. HS. XX. DEDIT. VT. EX. RE-
DITV. EIVS. SVMMAE. DIE. NATA-
LI. SVO. IV. KAL. FEBR. PRAESEN-
TES. VESCERENTVR. ET. OB. DEDI-
CATIONEM. STATVAE. DECVRIONI-
BVS. ET. SEVIRIS. ET. IUVENIBVS.
SPORTVLAS. ET. POPVLO. EPVLVM.
ET. OLEVVM. EADEM. DIE. DEDIT.

Et p. DLXX, 1. alius municipio HS, LXV.
legat, VT. EX. FEDITV. EIVS. SVM-
MAE. QVOTANNIS. VIII. ID. NOVEM

BRIS. NATALE. SVO. MVNICIP. EPVLVM.
ET. CHRVST. ET. MVLSVM. DARETVR.

VII. Itemque
diebus lu-
stricis missa.

VII. Die octauo a natali puellae; nono pueri
lustrabantur, accipiebantque nomina Festus
*voce lustrici p. 507. Lustrici dies infantium
appellantur puellarum octauus, puerorum no-
nus, quia bis lustrantur, atque eis nomina im-
ponuntur. Addi possunt Macrob. Saturn. I, 16.
Plutarch. Quaest. Rom. p. 288. Vnde hi dies
nominum appellantur apud Vlpian. Fragm. tit.
XV. Ita enim ibi legendum esse pro nonum
diem, ex codice Tiliiano ostendit. Em. Merrill.
Obs. II, 33. Fiebat haec lustratio vel uti Te-
rent. Phorm. I, 1. vocat; initiatio, impositio-
que nominum, variis adhibitis sollennitatibus.
Expiatum enim infantem, et aduersus fasci-
num probe praemunitum, eximebant cunis,
et per aedes ditissimorum ciuium boni ominis
causa, nec non ob religionem per Deorum
Dearumque templa circumferebant. Pers. Sat.
II. v. 31. Suet. Calig. cap. XXV. Ner. cap. VI.
Hinc porro nomen accipiebat infans, et voca-
bantur ad epulum propinqui: Iul. Capitolin.
Clod. Albin. IV. et denique intra trigesimalum a
natiuitate diem professio natalitia ad acta fiebat.
Ita enim intelligendum esse locum Iulii Capitol.
in vit. Marc. cap. IX. ostendimus in Comment.
ad L. Iul. et Pap. II, 14. p. 266. Tunc ergo
dona et munera mittebantur infanti eiusue ma-
tri, idque est, quod significat Terent. Phorm. I,
1. v. 13.*

Ferietur alio munere, vbi erit puero natalis dies,
vii

*Vbi INITIABVNT: omne hoc mater auferet;
Puer causa erit mittendi.*

VIII. Nec praetermittenda munera nuptialia. VIII. Nuptialia dona.
Neque enim temere quisquam conuiuuiis nuptialibus intererat, quin munusculo, sponso sponsaeque oblato, beneuolentiam testaretur. Et haec sunt *nuptialia munera* (d), quorum mentio fit apud iureconsultos. *l. 1. §. 5. D. de tut. et rat. distrab. l. 13. §. 2. D. de administr. tut.* Quae tam nonnunquam magna erant, ut sponsae vel ad dotem sufficerent. Quintiliani sane filiae Nonio Celeri nubenti L. millia numum contulit Plinius. Vid. *Epist. VI, 32.*

IX. Liberalitatem non minorem ostentabant, IX. Xenia
in donandis hospitibus. His missa munera XE-
NIA κατ' ἐξοχήν appellata sunt. Plin. *Epist. VI, 31.*
Summo die, abeuntibus nobis xenia sunt missa.
Sed saepe diuites ac potentiam affectantes, donis
plane priuatorum fortem transgressis, plebeiorum animos, liberalitatisque laudem sibi conciliare studebant. Exemplo esse potest Plinius, qui Curiano, Gratillae filio, legatum remisit, Plin. *Epist. V, 2.* Voconio Firmo censum equestrem suppleuit, Id. *Epist. I, 19.* Martialem viatico iuuuit, Idem *Epist. III, 21.* Artemidoro philosopho, vrbe excedere iusso, sub Domitiano, pecuniam, qua opus erat, a locupletibus negatam ipse mutuatus, gratuitam dedit, Id. *Epist. III, 11.*

Cal-

(d) Item *munera nuptialia l. 194. D. de Verbor. sign.* Apud Ciceron. *pro A. Cluentio VI. IX.* et Apulei. *de Asino aureo VI.* nuptialia dona paullo aliter accipiuntur, pro muneribus, quae ante contractas nuptias mulieri a viro offerebantur.

Caluinae patris debita remisit. Id. *Epist. II, 4.* Vt alia stupenda prorsus liberalitatis exempla praetermittamus.

X. Legis Cinciae de donis et muneribus caput primum.

X. Et olim quidem libere quisque donare poterat, quantum vellet. At postea A. V. C. IOXLIX. a M. Cincio Alimento, Tribuno plebis, lata est lex CINCIA, quam et MVNERALEM vocat Plautus apud Festum *voce muneralis p. 323.* Eius primo capite cautum, ne quis ob causam orandam donum munusue caperet. Vid. Cic. *Epist. ad Att. l. ult. Tacit. Annal. XI, 5. XIII, 42.* Cum enim instituto iure patronatus; de quo supra *Lib. I. Tit. II. num. XXIX.* patroni pro clientibus gratis postularent: hi gratum animum ostensuri patronis Kalendis Ianuariis, Saturnalibus, natalibus, varia xeniola, strenas et munuscula offerebant, quae deinde a rabulis in debiti necessitatem transformata, adeo plebem premebant, vt patriciis veluti stipendiaria videretur. Hinc veterem morem reduxit Cincius. Vid. Fridr. Brummeri *V. C. Comment. ad Leg. Cinc. III. seq.*

XI. Variarum huius legis relationes et mutationes.

XI. Paulo post ea Lex obsoleuit. Contemptu tamen oppressam renouauit Augustus Imperator, poenamque quadrupli adiecit. Iterum desuetudine abolitam, cum reuocari non posset, Claudius ita temperauit, vt ne oratores ultra dena sestertium caperent. Tacit. *Ann. XI, 5.* Sub Nerone legi iterum pristinus vigor redditus, at sub finem eius imperii, vel certe paulo post, constitutio Claudii renouata est. Addidit Traianus S. C. vt omnes litigantes iurarent, antequam agerent, nihil se ob aduocationem cui-

cuiquam dedisse, promississe, cauisse: peractis vero causis, non nisi dena sestertium dare liceret. Post ea tempora adeo exspirauit lex ista, vt honorario aduocatorum tantum non fordium mercedis nomen daretur, neque dubitarent iureconfulti statuere, locationem conductionem intercedere inter aduocatum et clientem. *l. 38. §. 1. D. locati l. vlt. C. de condict. ob caus. dat.* Immo iam ante multae fraudes huic legi factae erant per xenia, strenas, natalitia, captationes vltimarum voluntatum, palmaria, redemptiones litium, aliasque huiusmodi artes, quas erudite, vt solet, explicat laudatissimus Brummerus *l. c.*

XII. Alio eiusdem legis capite cohibebantur donationes intra certam summam, quae tamen hodie ignota est (*e*): neque licebat cuiquam plus donare, quam lex permiserat, nisi donatio vel publica esset, vel remuneratoria, vel cognatis personisque coniunctis facta. Si plus donatum fuerat: non tota donatio, sed qua legitimum

XII. Eiusdem legis caput aliud.

(*e*) Quanta fuerit haec summa, nondum liquet. Franc. Hotomanus *de Donat. IX* negat, quemquam potuisse donare vltra dodrantem bonorum. Sed id nullo fundamento dici, ostendit Brummer. ad *L. Cinc. XII*. Alii ducentos tantum aureos donari potuisse, existimant, argumento *l. 34. C. de donat.* Sed nec certius videtur, istam legem de lege Cincia loqui, nec recte inferitur, quia donationes nec aureos excedentes ea lege iubentur insinuari, ideo eas lege Cincia fuisse prohibitas. Maximarum sane donationum exempla exstant apud. Plin. *Epist. VI, 25.* et *32. II, 4. VIII, 14. l. 19.* Vnde satis magnam oportet fuisse summam, hac lege praefinitam. Schulting. *ad Vlpian. p. 561. seq.*

num modum superabat, rescindebatur (f); si ac rem tetigit Brummerus *ad Leg. Cinc. XII.*

XIII. Caput tertium eiusdem legis.

XIII. Alio huius legis capite cautum fuerat, vt in donatione, quibusque personis facta, mancipatio traditione interueniret, exceptis donationibus conditionalibus et mortis causa factis. Brummerus *ad Leg. Cinc. XIV.* Exempla exstant in marmoribus Gruterianis, quae egregie illustrat idem Brummerus.

XIV. Variarum horum capitum relationes et mutationes.

XIV. Accesserunt postea varia SCta variaeque constitutiones, quibus legi Cinciae subinde vel obrogatum, vel derogatum est. Sic postea inualuit, vt inter personas coniunctas donatio ualeret, quibuscunque uerbis facta, etiamsi nulla intercessisset mancipatio. Paull. *Sent. Recept. IV, 1. 11. et V, 11. 4.* idque introductum est constitutione D. Pii, cuius mentio fit *l. 4. C. Theod. de*

(f) Ita Brummerus ob Vlpiani locum, qui exstat *Fragm. I, 1. imperfecta lex est, ueluti Cincia, quae supra certum modum donari prohibet, exceptis quibusdam cognatis, sed si plus dona um sit, donationem non rescindit.* Vnde colligit uir doctissimus, donationem ex hac lege pro parte, qua modum excedebat, fuisse resciam. Enimuero sic perfecta fuisset lex Cincia. Rectius itaque dixeris, ex lege Cincia donationem etiam immodicam ipso iure ualuisse, exceptionem tamen datam fuisse ei, qui conueniebatur ex sua liberalitate ultra modum a lege definitum, *l. 21. §. 1. l. 24. D. de donat. l. 5. §. 2. et 5. D. de doli mal. et met. except.* quae exceptio etiam fideiussori proderat. *l. 24. D. de donat.* Proditam quoque fuisse uidetur actio rescissoria, quae rescindebatur, quod fuerat ultra modum donatum *l. 21. §. 1. D. eod.* Quibus remediis non fuisset opus, si ipsa lege Cincia irritum fuisset, quod erat ultra modum legitimum donatum. Vid. Ant. Schulting. *ad Vlpian. l. c. p. m. 562.*

de donat. Sane ante haec tempora etiã cognati, personaeque coniunctae in donationibus ius commune, hoc est, legem Cinciam sequebantur, vt patet exemplo matris Voconii Romani, quae donationem festertii quadringenties, non prius legitime peregisse videbatur, quam fundos emancipasset, teste Plin. *Epist.* X, 3. Brummer. *ad L. Cinc. XIII.* Idem D. Pius primus vetuit, ne posset donatarius vterius conueniri, quam in quantum facere posset. *l. 20. l. 41. §. vlt. ff. de re iud. l. 28. ff. de R. I.* Sic et miles donare non poterat. *foecariae l. 2. C. de donat. int. vir. et vx.* immo nec heredem illam instituere, vt vulgo colligunt ex *l. 24. D. de his quae vt indign.* Aliud tamen apparet ex marmore apud Grut. *Inscr. p. MCVII, 3.* D. M. M. AVREL. VITALIS. MILITIS. CL. PR. ANTONIAN. RAVENN. NATIONE. PANN. III. PROVIDENTIA. STIP. XXVIII. VALERIA. FAVSTINA. FOCARIA. ET. HERES. EIVS. BENE. MERENTI. POSVIT. immo et ex *l. 13. §. 2. D. de testam. mil.* et *l. 5. C. eod. tit.* Conf. Merill. *Obseru. Lib. VIII, 32. p. 124.* Ipsine legi Cinciae, an Principum constitutionibus id debeatur, quod ei, qui aliquem a latronibus vel hostibus eripuerat, in infinitum donare liceret, dummodo donatio, et non merces laboris appellaretur, non facile dixeris. Exstat eiusmodi exceptio apud Paullum *Recept. Sent. V, 11. 6.* et verbis nescio cur immutatis *l. pen. §. vlt. D. de donat.*

XV. Inualuerat etiã, vt donatio fieri non posset verbis generalibus, sed singulae res, quas quis esset donaturus, enumerari deberent. *l. 1. Cod.*

XV. In donationibus res singulae nominari debebant.

Cod. Hermog. de donat. Ex quo textu patet, a eo adhuc Diocletiani hoc ius obtinuisse. Ita enim ibi Diocletianus et Maxim. Augusti: *Non est iuris incerti, (in emancipatum donatione aliquid transferri non posse;) si generaliter eidem partem tertiam bonorum donasti, quia generaliter bonorum portio donari non potest, cum singulae res nominari debeant, quae donatione, mancipatione, vel in iure cessione transferuntur.* Scilicet quia in donatione requirebatur mancipatio: haec fieri non aliter poterat, nisi per apprehensionem rei. Vnde Ulpian. *Fragm. XIX, 6. Res mobiles non plures mancipari possunt, quam quae manu capi possunt: immobiles autem etiam plures simul.* At secus tamen se res habebat inter patrem et filium suum, cui partem bonorum donare licebat. Idque patet ex inscriptione apud Grut. p. ICCCCLXXX, 3. qua pater liberis omnibus bonis cedit:

MARVLLO ANTIOCHENO.

HELENAE TERTVLLIANAE. P. MARVLL. PAT.

VIVENS. BONIS. CESSIT.

PARTE. SIBI. QVOAD. VIXER. RETENTA.

Vid. V. C. Schulting. *Not. ad Cod. Hermog. p. m. 713. seq.*

XVI. Donatio facta a parentibus.

XVI. Quae filiis suis donabant parentes, magis destinata videbantur voluntate paterna, quam donata. *l. u. C. b. t.* Hinc requirebatur, ut pater in ea voluntate perseverans decessisset. *Paull. Rec. Sent. V, u. 3.* Tamen ne sic quidem rata erat donatio, ita ut res donata posset a filio usurcapi,

capi, nisi eadem res arbitrio familiae eriscundae esset adiudicata. *l. 18. C. famil. erisc.* Vnde et parentes praelegare ea solebant liberis, quae viui donauerant. Vid. Plin. *Hist. Nat. XXXIII, 2*, At nouissimo iure id quoque mutatum est *l. 25. C. de donat. inter vir. et vx.*

XVII. Aliam mutationem ius istud subiit tempore Constantini Chlorig, qui omnes donationes in scriptis fieri, actisque insinuari iussit. Eius deinde constitutionem firmavit filius Constant. M. *l. 1. C. Theod. de sponsal.* Postea Theodosius et Valentinianus, non modo scripturam remiserrunt, sed et insinuationem, si donum ducentos aureos non excederet. *l. 29. C. b. t.* Iidem principes etiam secundum caput legis CINCIAE de certa donationis summa sustulisse dicuntur (g). Ast Iustinianus summam actis insinuandam primo ad trecentos, mox ad quingentos aureos auxit, exceptis quibusdam donationum speciebus. *l. 34. l. 36. C. eod.* Conf. Brummer. *ad leg. Cinc. XII, seq.* inter quas et remuneratoriam esse, docet Cui. *Obs. XXVII, 40.* Videtur tamen etiam Iustini tempore saepe scriptura adhibita, vt docet fragmentum vetustae donationis, Iustini aeuo, Maximo consulatum gerente, factae, quod recenset Barn. Briffon. *de Formul. VI. p. 558.*

XVII. Insinuatio ad acta interducta a Constantino Chlorig, postea subinde mutata.

XVIII. Ad donationes propter nuptias quod attinet, earum naturam satis accurate exponit Impe-

XVIII. Donatio propter nuptias

(a) Ita Brummerus V. C. *ad Leg. Cinc. XIII.* qui id colligit ex *l. ult. C. Theod. de spons.* Sed ibi tantum de donatione propter nuptias agitur, ostenditurque, quatenam sit insinuanda.

Imperator §. 3. *Inst. b. t.* Alias quidem inter virum et uxorem constante matrimonio donatio non valebat, nisi certis ex causis, veluti mortis causa, serui manumittendi gratia etc. Eandem prohibitionem constitutione sua firmauerat Antoninus Imperator (b) *l. 42. D. de donat. inter vir. et vxor.* qui tamen et ideo mulieri donare permisserat, vt vir ab Imperatore lato clauo (i), vel equo publico (k), similiue honore ornaretur. Vlp. *Fragm. VIII, 1. Paull. Recept. Sent. II, 23.* Quod, vel ideo prouisum, aiunt, vt ne coniuges ob mutuuum amorem se inuicem spoliarent, vt ait Vlpianus *l. 1. D. de donat. inter vir. et vxor.* vel, ne bonorum, quae inter eos quasi communia esse debebant, societas leuissimi munusculi acceptatione tolleretur, vt existimat Plutarch. *Quaest. Rom. p. 265. (l) et Coniugal.*

(b) Lex haec est ex Caii Commentariis ad Edictum de sumpta, adeoque intelligi non potest Antoninus Caracalla, vt existimat. Lud. Charondas *ad Vlpian. l. c. cuius ad tempora Caius non potuerint, sed Antoninus Pius.* Vid. Guil. Grot. *de vit. Iureconf. II, 7.*

(i) Id est, dignitate senatoria, cuius insigne erat latus clauus. Vid. *Graeu. Praef. Tomi VI. Thesaur. Antiqu. Rom.*

(k) Id est, dignitate equestri. Ita explicat etiam Caius *l. 42. D. de donat. inter vir. et vx.*

(l) Rationes alias suppeditant, *l. 2. et l. 3. eod.* Sed nulla tamen harum genuina esse et ad prohibitionis huius originem pertinere videtur. Vera causa ex principiis iurisprudentiae veteris deriuanda, secundum quae vir et vxor pro vna persona habebantur, non secus ac pater et filia familias. Quemadmodum ergo inter hos donatio non valebat, nisi pater donans in ea voluntate perseverans decessisset: ita non magis

gal. praecept. p. 134. Tom. II. Operum. Sed haec omnia intelligenda de donationibus stante matrimonio factis. Alia erat ratio donationis propter nuptias, id est, constitutionis pecuniae, qua mulieri praestabatur securitas dotis, ut, si de hac periclitaretur, aliquid vice dotis dissipatae haberet. §. 3. *Inst. de donat.* Ea cum initio donatio ante nuptias vocaretur, eo quod tantum ante matrimonium impletum fieret; postea D. Iustini constitutione permixtum est, ut tam ante, quam post nuptias constitui vel augeri posset, cumque iam nomen antiquum inconcinnum videretur, Iustiniani iussu *donatio propter nuptias* vocari coepit §. 3. *Inst. h. t. l. vlt. C. de donat. propter. nupt.* Graecis est ἀντιθέρινα, ad quam proxime accedunt θεώρητρον et ὑπόβολον, quorum hoc est, quod ob dotis quantitatem, cum soluto matrimonio dos repetitur, huic subiicitur, et veluti sub dote, quae in maiorem quantitatem excrescit tanquam minus et infirmius ponitur: Harmenop. IV, 10. I. illud autem quod virgini, non viduae datur, διὰ τὴν τιμὴν τῆς παρθενίας, in honorem virginitatis. Id. *Promtuar.* V, 5. 7. Vnde hoc cum veterum ἀνακαλυπτηρίω non male comparat Dionys. Gothofredus. Similis quoque est theoretro Germanorum *morgengaba* uti et ὑποβόλω *incrementum*

I i 2

dotis,

magis valida erat donatio inter virum et uxorem, quae in manum conuenerat. Barn. Briffon. *de ritu nuptiar.* p. 214. Postea cum raro uxores in manum conuenirent, et tamen posteriores Imperatores ius vetus constitutionibus suis firmarent: Icti alias rationes excogitandas putarunt, quamuis sibi ipsi non satis consent.

dotis, ibidem passim receptum. Erat autem *Theoretici* quantitas in singulas libras dotis semiaureus: Harmenop. *ib.* §. 9. et hypoboli apud veteres dotis dimidia pars, postea pro libra librae triens. Idem §. 4. Videtur res pactis definita, eoque pertinere puto *instrumenta* ἀπόβολικὰ, vel, ut ibi codices habent, *hyperbolica* apud Sidon. Apollin. *Epist.* VII, 2. et συμφωνηθέν ὑπόβολον, *pactum hyperbolium* apud Harmenop. IV, 10. 7.

XIX. Donatio mortis causa.

XIX. Quemadmodum vero donationes inter vivos sua natura erant irreuocabiles, nisi ob certas causas, quas iureconfulti exponunt: ita semper reuocari poterant donationes, MORTIS CAUSA factae, morte non secuta. Sed et hic ad formulas erat respiciendum. Poterat enim etiam sic mortis causa donari: VT NVLLO CASV EIVS REPETITIO ESSET, id est, ne si conualuisset quidem donator, et tunc credebatur inter vivos donatum. *l. 27. D. de mort. caus. don.* Plures formulas, in huiusmodi donationibus usurpatae, accurate suo more collegit Barn. Briffon. *de Form. VII. p. 690.*

XX. Leges adiectae donationibus.

XX. Postremo et hoc monendum videtur, donationibus consueuisse varias condiciones ac leges adiacere, ut non modo ex multis iuris nostri fragmentis constat, quae idem colligit Briffon. *de Form. IV. p. 557.* verum etiam ex Plauti *Afin. IV, 1.* ubi scitum et elegans exstat syngraphi inter adolescentem, amicam, et lenonem conscripti exemplum, in quo plurimae leges vigintiminarum donationi adiaciuntur. Immo et lapides exstant, in quibus curiis, vel integris corpori-

poribus, donationes fiunt, certis adiectis legibus, veluti VT QVOTANNIS NATALI SVO SPORTVLAE VIRITIM DIVIDANTVR, vel VT. LARGIVS. ROSAE. ET. ESCAE. PATRONO. SVO. ET. QVANDOQVE. SIBI. PONERENTVR. et quae sunt huius generis aliae. Briffon. *ibidem*.

TIT. VIII.

QVIBVS ALIENARE LICET,
VEL NON.

Coniunctim hoc titulo exhibet Imperator quae dici poterant de iis, quae vel non alienari poterant a dominis, vel poterant a non dominis. Nos singula ex antiquitatibus Romanis illustrabimus.

I. A marito alienari non poterat fundus dotalis, quamvis alias eius esset dominus, *pr. Inst. b. t.* Ad quae rectius intelligenda monere nonnulla licebit de dotium origine et natura, maxime cum haec materia in Institutionibus plane praetermissa sit a Tribonianio.

II. Dotes quo sine olim inter mortales constitutae sint, a nemine, quod sciam accuratius ostensum est, quam a Iac. Perizonio, V. C. *in Dissert. ad Leg. Vocon. p. 113. seq.* Quemadmodum scilicet filii apud plerasque gentes in domo paterna manebant, domini ac heredes omnium, quae parentes reliquissent, bonorum futuri: ita filiae contra per nuptias in perpetuum dimittebantur e domo paterna, atque

I. Fundus dotalis alienari non poterat a marito.

II. Dotium origo et natura apud alias gentes.

hinc innuptae debebant ex bonis paternis ali, nuptae vero instrui dote, ne plane exfortes essent paternae hereditatis. Apud plerasque tamengentes dotem maritus vxori, non vxor marito offerebat. Ista sane consuetudo viguit inter Germanos, teste Tacito *de Mor. Germ. Cap. XVIII.* Assyrios, teste Aelian. *Hist. Var. IV, 1.* Babylonios, teste Herodot I, 196. et Armenios, ceu patet ex *Nou. XXI.* Sed diutissime permanfit apud Germanos, eiusdemque originis gentes, ceu ex multis medii aevi testimoniis et diplomatibus alio loco probauimus.

III. Vt et apud Romanos.

III. Communis hic mos erat omnibus fere gentibus, praeterquam Romanis, qui dotem dabant filiabus (a), etiamsi easdem ad aequas hereditatis partes admitterent. Tam necessariae enim Romanis videbantur dotes, vt vel his solis se a concubinis feiungerent matronae. Hinc apud Plaut. *Trin. III, 2. v. 63.* adolescens :

Sed vt inops, infamis ne sim, ne mihi hanc famam differant,

Me germanam meam sororem in concubinitum tibi

Sic sine dote dedisse magis, quam in matrimonium.

Conf. Id. *Act. III. Scen. III. v. 3. et l. 1. D. solut. matrim.* vbi Pomponius publice interesse, ait, dotes mulie-

(a) Dos illa Romanarum mulierum veluti complementum pretii erat, quo mulieres sibi viros coëmebant, et hinc Tacitus tanquam rem a Romanis moribus diuersissimam notat, quod apud Germanos soli viri sibi coëmerint vxores, non vxores viros. Vid. Tacit. *de moribus Germ. XIX,*

mulieribus conseruari, cum dotatas esse feminas, ad sobolem procreandam, replendamque liberis ciuitatem quam maxime sit necessarium: nec non Paull. l. 2. D. de iur. dot. qui rei publicae interesse, ait, mulieres dotes saluas habere, propter quas nubere possint. Postea tamen, lata lege Voconia, Romanae quoque mulieres contentae esse iussae sunt dote sua, nec hereditates adfectare. Eae dotes fuere luculentissimae. L. Paulo vxor secunda attulerat dotem XXV. talentorum *Excerpt. Peiresc. ex Polyb. p. 99.* Africanus quoque maior vtrique filiae dotis nomine promiserat L. talenta. *Ibid. 155. (b).* Non semper tamen dos in numerata pecunia constabat, sed et in fundis et praediis, tam vrbaniis, quam rusticis, *l. 13. l. 14. §. 1. D. de fund. dotal.* immo et in seruis vel ancillis, *l. 9. C. de rei vind.* aliisque, quae aestimationem admittebant, et vsui esse poterant marito ad ferenda matrimonii onera.

I i 4

IV.

(b) Plerumque tamen dos illustrium feminarum erant decies centena, id est, decies centum millia sestertium *Martial. Epigr. XI, 24.*

*Nubere Sila mihi, nulla non lege, parata est,
Sed Silam nulla ducere lege volo,
Cum ramen instaret: decies mihi dotis in auro
Sponsa dabis? dixit: Quid minus esse potest?*

Hortalum quoque Augustus, promissa decies sestertii censu, quem tortallis vxor in dotem non data sit, illexit ad ducendam vxorem procreandosque liberos, *Tacit. Annal. II, 37.* Eandem dotem Flauiae, Athenagorae filiae dedit Seuerus. *l. 6. §. 1. D. de vsur. et fruct.* Adde Iuuenal. *Sat. VI et X. v. 335.* *Martial. Epigr. II, 65.* *Senec. consolat. ad Helu. Cap. XII.*

IV. Ea vel dabatur.

IV. Triplex vero erat dotem constituendi ratio. Aut enim DABATVR, aut PROMITTEBATVR, aut DICEBATVR, Vlpian. *Fragm. VI, 1.* Quae saepe coniunguntur iniure veteri, quamuis a Triboniano sollennia haec vocabula passim sublata, aliaque reposita sint, vti obseruat Cui. *Obsf. XI, 29.* et Papin. *Quaest. Lib. XI. ad l. 7. §. 1. D. solut. matr.* DARI dos dicebatur, si praesens offerretur marito idque plerumque fiebat eo ritu, vt pecunia illa dotalis consignata pridie nuptiarum apud auspices deponeretur, in crastino nuptiarum viro tradenda. De Messalina Sueton. *Claud. XXVI. Messalinam, cum comperisset, super flagitia atque dedecora C. Silio etiam nupsisse, dote inter auspices consignata, supplicio adfecit.* Et Iuuenalis *Sat. X. v. 333.* da eadem Messalina :

- - - Dudum sedet illa parato

Flammeolo, Tyriusque palam genialis in hortis

Sternitur, et RITV decies centena DABVNTVR

ANTIQVO, venit cum SIGNATORIBVS
auspex.

V. Vel promittebatur.

V. Dos PROMITTEBATVR interposita stipulatione, dummodo persona interrogata responderet, et stipulato promitteret, vt ait Caius *Instit. II, 9. 3.* Exemplum eiusmodi stipulationis est apud Plautum *Trinum. V, 2. v. 34. seq.*

- - LY. Sponden' ergo tuam gnatam vxorem mibi?

CA. Spondeo, et mille auri Philippum dotis.

LY. Dotem nihil moror.

CA.

CA. *Si illa tibi placet, placenda dos quoque est, quam dat tibi.*

CH. *Postremo, quod vis, non duces, nisi illud, quod non vis, feres.*

CH. *Ius hic orat. LY. Impetrabit, de aduocato atque arbitro.*

Ist ac lege, (cum ista dote,) filiam tuam sponten' mihi uxorem dare?

HC. *Spondeo. CA. Et ego spondeo idem hoc.*

Illud addo, dotem promissam solui consueuisse tribus pensionibus, annua, bima, trima die, vt docent exempla apud Cicer. *Epist. ad Attic. XI, 4. 23. et ult.* et in *Excerptis Peirescianis p. 157.* vbi id fieri oportuisse ait Polybius κατὰ τὰς ῥωμαίων νόμους, secundum Romanorum leges. Quem locum a Salmasio mirifice perturbatum egregie illustrat Ger. Noodt *de Foen. et Vsur. III, 6.*

VI. Dotis denique DICTIO fiebat verbis quibusdam sollennibus (c), vt recte notarunt Cuiacius *ad Vlpian. Fragm. VI, 1.* Barn. Brisson. *de Form. VI, p. 543.* Ast docet tamen Caius *Instit. ibid. obligationem hanc et nulla praecedente interrogatione contrahi potuisse.* Videtur ergo haec dotis dictio in eo constitisse, quod dotem dicturus summam nominaret, sponsum eandem, sti-

VI. Vel dicebatur.

I i 5

pula-

(c) Negant hoc Cl. Salmaf. *de modo vjur. XVI.* et Oifel. *ad Caii Instit. l. c.* Sed non sequitur, vt ideo, quod nulla interceiserit stipulatio, verba quoque sollennia adhibita fuisse negemus. Erant etiam praeter stipulationes multae aliae formulae sollennes. Sane sollennium verborum in dotis dictione obseruandorum meminit. *l. 3. C. Theod. de incest. nupr.* et dictio dotis a datione minus sollennii distinguitur in *l. ult. C. Theod. de dotib.*

pulatione haud interposita, acciperet. Exemplum est apud Terent. *Andr. V, 4. v. 47.* vbi Chremes:

-- Dos, Pamphile est

Talenta quindecim. PA. Accipio.

Ea enim verba sollennia et legitima fuisse, obseruat Donatus Scholiastes, his verbis: *Ille nisi dixisset: ACCIPIO, dos non esset.* Vnde facile patet, hanc sollennem fuisse dotem constituendi formulam a *datione* ac *promissione dotis* diuersissimam. Add. Sidon. Apollin. *Epist. I, 11.* Tales formulae dotem dicendi occurrunt etiam in iure nostro *l. 25. l. 44. §. 1. l. 46. §. 1. l. 57. princ. D. de iure dot.*

VII. Quidam re, promittere, dicere dotem potuerint?

VII. *Dicere* vero dotem poterat ipsa mulier, vel eius debitor, vel pater, auus, aliique per virilem sexum cognatione iuncti. *Dare* autem et *promittere* licebat omnibus, etiam si nulla propinquitate coniunctis. Vlpian. *Fragm. VI, 2.* et Paull. *l. 41. D. de iure dot.* Ipsa vero mulier nihil in his poterat sine auctoritate tutorum. Cicero *pro Flacco XXXIV. XXXV. Dotem Valeria pecuniam omnem suam dixerat. Nihil istorum explicari potest, nisi ostenderit, illam in tutela Flacci non fuisse. Si fuit, quaecumque sine hoc auctore est dicta dos, nulla est.* Addatur Cicero *ibid. cap. XXV.* Vlp. *Fragm. XI, 27.* Hinc si nullus erat mulieri tutor: dandus erat a Praetore urbano ex lege Papia Poppaea, ad dotem dandam, dicendam, promittendamue, Vlpian. *Fragm. XI, 20.* De eo tutore plura diximus in *Comment. ad L. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. Cap. XIII. p. 253. seq.* vbi et ostendimus, tutorem mulieri ob dotem; vel pupillo ob

ob litem cum tutore datum, ideo *Praetorianum*, vel *praetorium* appellatum esse, quia hic non dabatur suffragante maiore parte tribunorum plebis, ut alii tutores ex lege Atilia dati sed a solo praetore. Add. Vlpian. *Fragm. XI, 24.*

VIII. Quaecunque pater genero vel eius patri ad ferenda matrimonii onera dederat, ea dotis *profectitiae* nomine veniebant. Quae alius quicumque obtulerat, dos *aduentitia* vocabatur. Ac olim quidem *profectitia* aequae ac *aduentitia* dos marito cedebat: (vid. supra Lib. I. Tit. X. §. VII.) Postea cum raro vxores in manum conuenirent, et frequentissima contra essent diuortia, distingui inter *profectitiam* et *aduentitiam* coepit. *Profectitia*, mortua in matrimonio muliere, ad patrem tota reuertebatur, siue esset filia familias, siue sui iuris. *l. 59. D. sol. matr.* liberis tamen relictis, in singulos quintae partes manebant penes virum, quemadmodum et praemortuo patre, dos *profectitia* tota penes virum remanebat. Vlpian. *Fragm. VI, 4.* *Aduentitia* dos semper penes maritum remanebat (*d*), Cuiac. *Observ. IX, 4.* praeterquam si is, qui dederat, ut sibi redderetur, esset stipulatus: quae dos specialiter *receptitia* dicebatur. Vlpian. *l. c.*

n. 5.

(*d*) Exemplum tamen Augusti, qui marito dotem *aduentitiam* abiudicauit, exstat apud Valer. Max. VII, 7. 4. Sed tum Augustus facti indignitate motus, magis ex aequo et bono, quam ex iuris rigore vel fori usu, decreuit, ut obseruat Ant. Schulting. *ad Vlpian. Fragn. VI, 5, p. 582.*

VIII. Quid dos *profectitia*, *aduentitia*, *receptitia*.

n. 5. Quae tamen omnia iure nouo mutata esse, ex l. 6. D. de iur. dot. l. 12. pr. l. 26. §. 2. D. de pact. dot. l. 5. D. de diuort. l. 48. l. 59. D. solut. matr. l. vn. §. 6. C. de rei ux act. satis constat.

IX. Alienatio
fundi dotalis
Italicum lege
Iulia prohibita.

IX. Cum vero frequentissima essent apud Romanos diuortia, adeoque verendum videretur, ne, dissipata dote, vxores domo extruderentur: non modo repudiatae concessum, vt dotem actione rei vxoriae repeteret, quam in actionem ex stipulatu conuertit Iustinianus, l. vn. §. 14. C. de rei vxor. act. in ex stipul. verum etiam cautum est sub Augusti imperio, ne maritus fundum Italicum dotalem, vxore vel inuita, alienaret, vel consentiente, obligaret. Ex qua lege istud ius manarit, dubium visum est viris doctis. Legi Iuliae et Papiae illud tribuit Iac. Gothofredus ad L. Iul. et Pap. Cap. XX. seq. sed argumentis admodum incertis, et quae ipse postea deserit p. 335. Magis probabile est, esse hoc apud legis Iuliae de adulteriis, cui etiam illud inferit. Barn. Brisson. ad L. Iul. de adult. XXIX. p. 123. Nam huic legi istud caput diserte tribuit Paulus Recept. Sent. II, 21. Et caput legis Iuliae de dote soluto matrimonio repetenda plane aliud, et ab hoc diuersissimum fuisse, demonstraui in Comm. ad L. Iul. et Pap. Popp. II, 19. p. 327. Cur vero ad sola praedia Italica haec lex pertinuerit, facile patet. Sola praedia Italica poterant vsucapi, non item prouincialia, vt supra ostensum. Hinc non necesse erat, vt viro alienatione praedii dotalis.

talis provincialis interdiceretur, cum hoc ab vxore, soluto matrimonio, facile posset vindicari, nullaque ei opponi posset exceptio vsucapionis. Ex quo vero Iustinianus vsucapionis ius etiam ad praedia provincialia protulit: non potuit non etiam praediorum dotalium in provinciis sitorum alienationem inhibere. *l. vn. §. 15. C. de rei vx. act.* qua etiam maritum fundum dotalem, consentiente vxore, alienare vetuit.

X. Vidimus maritum, licet dominum, praedia dotalia alienare haud potuisse: secus in pignore se res habebat, quod alienari poterat a creditore, non solvente debitore, etiamsi ille non esset dominus. *§. 1. Inst. b. t.* Et quidem, si ea lege traditum fuerat pignus, ut a creditore distraheretur, non opus erat vlla denunciatione: *l. 4. princ. D. de pign. act.* nec exigebatur denunciatio, si certo die solvenda erat pecunia, et pignus simpliciter datum esset, modo non, antequam dies venerat, vendidisset, siquidem tunc furti se obligabat. *l. 73. D. de furt.* At postea tamen et hoc casu requiri coepit vna denunciatio, et mora bien-
nii. *l. 4. C. de distr. pign. l. vlt. 1. C. de iur. dom. imp.* Reliquis casibus trina requirebatur denunciatio, ut debitor vel pignus lueret, vel sciret, illud distractum iri. *Paul. Recept. Sent. II, 5. 1.* Iustinianus vero veteres ambages nouis, iisque multo longioribus commutauit, et trinam quidem denunciationem plerisque casibus sustulit, vnicamque sufficere voluit: addidit tamen, ut facta denunciatione, elapsoque post eam triennio,
pignus

X. Alienare pignus poterat creditor, et quomodo.

pignus creditori adjudicaretur, dato insuper debitori biennio, intra quod rem suam posset recuperare *l. ult. §. 3. C. de iure domin. impetr.*

XI. De alienatione rerum pupillarum remissive.

XI. Pupillos pupillasue alienare haud posse, nisi auctoribus tutoribus, vel ius naturae suadet. Et quid Romae hac in re vsitatum fuerit, iam supra ad titulum *de auctoritate dutorum* dicere occupauimus.

TIT. IX.

PER QVAS PERSONAS CUIQUE
ADQUIRITVR.

Quicumque erant alieni iuris: ii non sibi adquirebant, sed iis, quorum in potestate erant. Quia enim et serui omnino, et liberi ratione patris in classe rerum esse censebantur: nihil magis videbatur rationi consentaneum, quam vnumquemque per rem suam acquirere. Vid. *Elem. nostra iur. ciu. Lib. II. §. 470.* Ea de re hoc demum titulo agit Tribonianus.

I. Adquaeftus per liberos.

I. Et liberi quidem, cum ex Romuli instituto non multo melioris essent conditionis, quam serui, instar horum quoque non sibi adquirebant, sed patri, qui liberam habebat rerum omnium, quas liberi quocumque titulo adquisuerant, dispositionem, adeo vt eas alteri ex liberis, immo et extraneis, donare possent. Vid. *Sext. Empir. Pyrrhon. hypot. III, 24.* Adde *Senec. de Benef. VII, 4.* *Dionys. Hal. Ant. Rom. VIII.* vbi hic auctor πολιτικώτατος: *Romanis, inquit, filiis nihil proprii est viuis*

viuis patribus, sedet pecunias, et corpora liberorum, patribus ad eorum arbitrium tradidit lex Romuli. Et Arrian. Diss. Epictet. II, 10. ἵσθη τῶ προσώπῃ ἐπαγγελία πάντα αὐτῶ ἡγεῖσθαι τῶ πατρός. *Filii officium est, ut, quae habet, omnia patris esse ducat.* Add. Sueton. Tiber. XV.

II. Postea tamen filiis concessum tanquam II. Mutatio
peculium, quidquid militiae labore erant lu- huius iuris.
crati. Et id quidem eodem tempore factum
videtur, quo ipsa libera testamentifactio con-
cessa est militibus. Id primo sub Iulio Cae-
sare factum ad tempus, postea id ius auctum
a Tito, Domitiano, Nerua, et Traiano, Im-
peratoribus: vti testatur Ulpianus. *l. 1. pr. de
test. milit.* Sane sub Claudio et Nerone non
ignotum fuisse peculium militare, docet Iuue-
nal. *Sat. ult. v. 52.*

-- *Nam quae sunt parta labore.*

Militiae, placuit non esse in corpore census,

Omne tenet cuius regimen pater.

Quem locum frustra sollicitauit P. Pithoeus.
Additum postea et *quasi castrense peculium (a)*,
per-

(a) Fit illius mentio etiam in Digestis *l. 1. §. 15. de
collat. l. 3. §. 5. de bon. possess. l. 7. §. ult. de donat.
l. 16. §. 12. ad Sc. Trebell.* quae loca omnia a Tri-
boniano interpolata esse putat. Fr. Balduin. *Iusti-
nian. III.* Sed. Iac. Gothofr. *ad l. 3. C. Theod. de
postul. Tom. I. p. 143. seq.* de omnibus id affir-
mare non audet, quia, quamuis aduocatis pri-
mus hoc priuilegium tribuerint Theodosius iunior
et Valentinianus III, tamen ante ea tempora pe-
culium quasi castrense habuerint praecincti, vel ad-
mini-

permissumque liberis, quidquid artibus libera-
libus adquisuerint, separatim habere a ratio-
nibus paternis. §. *ult. Inst. de milit. test.* Ex-
cepit etiam Constantinus M. (b) bona mater-
na, quorum ususfructum tantum patribus con-
cessit. *l. 1. C. de bon. mat.* Vnde multo ma-
gis rationi videbatur consentaneum, bona ma-
terni generis, ad liberos pertinere, et ista sta-
tuerunt Gratianus, Valentinianus et Theodo-
sius. *l. 6. C. Theod. eod.* Porre idem ad lucra nu-
ptialia et sponsalitia porrectum est a Theodo-
sio et Valentiniano, itemque a Leone, et Anthi-
mio *l. 1. l. 4. l. 5. C. de bon. quae liber.* Denique
Iustinianus haec generatim ad omnia bona li-
berorum aduentitia produxit, quorum domi-
num penes liberos, ususfructum penes paren-
tes esse iussit. *l. 6. C. de bon. quae liber.* Reli-
qua, quae vel a patre vel eius contemplatione,
ad filium perueniebant, patri acquirebantur.
Quo etiam pertinuisse, quae filius accipiebat,
congiaria, ostendit Cuiac. *Obs. XXI, 7.*

III. Ad quae-
stus per ser-
uos.

III. Simile quid in seruo obseruatur, qui
nihil habebat proprii, nisi quod dominus ha-
bere ei permetteret, idque itidem vocabatur

pectu-

ministratores prouinciarum. Hieronym. *in Nepozian.*
Cap. 17. Absoluit etiam Tribonianum V. C. Ant.
Schulting. *ad Paull. Rec. Sent. V, 9. 4. p. 470. ob*
l. 8. D. pro soc. ubi locum habere haud potuit inter-
polatio.

(b) Iam ante Constantium M. notabilem quandam ex-
ceptionem introduxit Hadrianus, quae exstat *l. 50. D.*
ad Senatufc. Trebell. alteramque Antoninus Pius, quae
est in *l. 52. D. de adquir. vel omitt. hered.* Vid. Ger.
Noodt *de usufructu II, 4. p. 608.*

peculium. Solebant illud de demenso suo vnciatim comparcere ferui, ac eo deinde ita negotiari, vt lucrum inde qualecunque ad se rediret. Demensio loco singulis mensibus accipiebant ferui quinque modios et quinque denarios, idque vocabatur *menstruum*. Sen. *Epist. LXXXI*. Lips. *Elect. I, 8*. Talia etiam erant *annua*, quae dabantur feruis publicis. Plin. *Epist. X, 40*. Lips. *Elect. I, 22. p. 125*. Quidquid ergo de hisce mensuris annuisque stipendiis deparferant, id peculi loco erat. Apud Terent. *Phorm. I. 1. v. 5*. feruus conserui fortunam dolens:

*Quod ille vnciatim vix de demenso suo,
Suum defraudans genium, compar sit miser,
Id illa vniuersum accipiet, baud existimans,
Quanto labore partum.*

Eam deinde pecuniam, permittente domino, vel foenore locabant, vel inde sibi emebant seruulum, cuius ex operis lucrarentur. Talis seruus ferui vocabatur *vicarius*, et pertinebat ad *peculium*. Immo si his quoque feruis vicariis aliquid peculi esset, et hi seruulos haberent: erant hi vicariorum vicarii, quorum mentio fit in *l. 25. D. de pecul. leg.* Haec sunt seruorum peculia, in quae quid iuris fuerit domino, iureconfulti docere solent.

IV. Addi personis, per quas acquiritur, veteri iuri oportebat etiam matres familias, quae et ipsa olim in manu vel potestate maritorum erant, adeoque omnia maritis acquirebant. Sed de his harumque peculio dictum est supra *Lib. I. Tit. X. n. VI*. Iam addo, inde na-

IV. Adquae-
tus per ma-
tremfami-
lias.

tam esse praesumptionem, quod quidquid habet vxor, id mariti esse intelligatur. *l. 51. D. de donat. inter vir. et vx.* cuius legis sensum plane exprimere videntur illa Plauti Casin. II, 2. v. 25. vbi Murrina:

Ita est. Vnde ea tibi est?

*Nam PECVLII probam nihil habere addecet
Clam virum et quod habet partum, ei haud
commodum est,*

*Quin aut viro subtraxerit, aut stupro inuenerit
Hoc viri esse censeo omne, quidquid tuum est.*

V. Adquae-
stus per per-
sonas liberas.

V. Solebant nonnunquam et liberae personae in seruitute esse, quamuis non essent seruilis conditionis. Et hae quoque acquirebant possessoribus, ex operis suis, quamdiu bona fide eas in seruitute tenebant. Alias per extraneam personam nihil adquiri poterat, si discesseris a procuratoribus, quos ipse excipit Imperator. §. 5. *Inst. b. t.*, qui tamen si in iudicio aliorum causas agerent, domini litis esse fingebantur, de quo dominio litis vide Boehmeri *diff. sing.* et Christ. Gothofr. Hoffm. *diff. de procurat. cap. I, 7. et seq.*

VI^d Quid iuris post emancipationem liberorum.

VI. Tollebatur istud ius parentum et minorum emancipatione et manumissione. Sed emancipatorum liberorum, antiquo iure parentes tertiam peculii aduentitii partem propriam sibi retinebant, ex constitutione vero Iustiniani dimidii peculii vsumfructum, tanquam pretium emancipationis. *l. 6. §. 3. C. de bon. quae lib.*

TIT. X. XI. XII.

DE

TESTAMENTIS ORDINANDIS, TESTAM.
MILITARIBVS, ET QVI TESTARI NON
POSSVNT.

Sequuntur iam vltimae voluntates, quibus vel vniuersitatem adquirimus, seu vt Ambros. *Lib. I. de Caino et Abele* loquitur, *bonorum hereditatem*, vel res singulas. Ad prius potissimum genus testamenta pertinent, quorum antiquissimam rationem hic expendemus, maxime cum ipse Imperator moneat. *Nibil hic antiquitatis nos penitus ignorare debere*, §. 1. *Inst. de test. ordin.*

I. Duorum generum apud Romanos fuisse testamenta, quorum altero IN PACE, altero in PROCINCTV vti sint, recte docuit Iustinianus: §. 1. *Inst. de testam. ord.* quamuis satis incommode ipsa testamenta haec *procincta* vocet, quae veteres, et ipse Theophilus, rectius IN PROCINCTV, vel, vti in vetere Glossa est, ENDO PROCINCTV, appellant. Vtraque sunt antiquissima, et iam ante leges XII. tabularum Romae inualuerant. Sane testamenta IN PROCINCTV facta sunt iam tempore M. Coriolani, qui ante decemviros vixit. Plutarch. *Coriolan. p. 198.* Testamento vero in pace iam sub regibus facti, idem meminisse videtur Plutarchus in Romulo, vbi tarrutius, Anci Marci temporibus, Laurentiam dicitur *τελευτήσας ἀπολύσας*

I. Testamen-
ta quotupli-
cia.

αληθευόμενον, quae phrasis alias hereditatem testamento delatam denotat. Vid. Perizon. *ad Leg. Vocon.* p. 134. Fallitur ergo Desid. Herald. *Rer. quotid. cap. ult. §. 4. et 9.* falluntur et alij interpretes, qui haec testamentorum genera demum in XII. Tabulis exemplo iuris Attici recepta fuisse putant.

II. Testamen-
ta in comi-
tiis calatis
facta.

II. Testamenta IN PACE fiebant in comitiis calatis, id est, quae pro collegio pontificum, aut regis flaminumue inaugurandorum causa, habebantur, et diuidebantur in *curiata* per lictorem curiatim calata, et *centuriata*, per cornicinem. Lael. Felix. apud. Gell. *Noct. Att. XV, 27* In h. ergo et testamenta fiebant per modum loquutionis et praemissa procul dubio solenni rogatione, qualem in arrogatione factam obseruat. Gell. *Noct. Att. V, 14.* VELTIS IVBEATIS, QVIRITES, VTI L. TITIVS L. VALERIO TAM IVRE LEGEQUE HERES SIBI SIT, QVAM SI EIVS FILIVS FAMILIAS, PROXIMVSVE ADGNATVS ESSET. HAEC ITA VT DIXI, ITA VOS QVIRITES ROGO. Vnde recte obseruavit illustris Thomas. *Diff. de prim. instit. success. testam.* §. XII. heredes hoc modo institutio legitimos potius fuisse, quam testamentarios. Scilicet existimabant Romani, legem non nisi noua lege tolli posse, adeoque et nemini licere leges de hereditatibus institutorum migrare, aliamque instituire heredem, nisi noua lege in comitiis calatis condita. V. A. Bynkersh. *Obs. II, 2. p. 113.* Ex quo

quo fundamento etiam pacta successoria irrita putabant, quia *privatorum cautio legum auctoritate non censebatur. l. ult. D. de suis et legit. hered. neque ius publicum privatorum pactis mutari poterat. l. 38. D. de pact.* Haec certa sunt, reliqua quae refert Theophilus *ad §. 1. Inst. b. t. de populo* bis in armo huius rei causa conuocato, ab eruditis vocantur in dubium (a). Probabile vero est, ideo electa esse comitiâ calata, ut notio pontificum interueniret, sine quorum auctoritate sacra priuata ad heredem transire non potuissent. Vnde etiam auctores eos fieri oportebat in arrogationibus. Cicer. *pro Domo cap. XIII.*

III. Testamenta IN PROCINCTV fiebant III. Testa-
 a militibus, in cinctu Gabino (vid. Seru. *ad* ^{menta in}
Virgil. Aen. VII. v. 612.) ad praelium ituris. ^{procinctu.}
 Vellei. Paterc. II, 5. Inprocinctu enim stan-
 tes vel cinctu Gabino, et scutis manus infe-
 rentes, sagaque accingentes, simul etiam tri-
 bus

Kk 3

bus

(a) Maxime ob locum Gellii *Noct. Att. XV, 27. In li- bro Laelii Felicis ad Q. Mucium primo scriptum est: Labeonem scribere, calata comitia esse, quae pro col- legio pontificum habentur, aut regis aut flaminum in- augurandorum causa, eorum autem alia esse curiata, alia centuriata: curiata per lictorem curiatim calari, id est, conuocari, centuriata per cornicinem. His- dem, comitiis quae calata appellari diximus, et testa- menta fieri solebant. Inde ergo patet, populum non testamentorum causa calatum, sed testamenti factio- nem fuisse comitorum veluti appendicem. Thomaf. Dissert. cit. §. XVI.*

bus aut quatuor (b) audientibus, heredem suum nuncupabant. Plutarch. *in Coriolano* p. 198. Vnde ignorantiam antiquitatum produnt, qui huius generis testamenta ob militum simplicitatem inuenta putant. *arg. princ. Inst. de milit. testam.* Nimirum lecta erat antiqua militia ex ciuibus, et quidem non ex vltima fae- ce plebis, sed ex flore delibato ciuium. Quare potius ad pelliciendos in militiam animos inuentum est hoc testandi priuilegium: immo et religionis causa admissum, et hinc abolitum, simul ac bellæ auspiciato geri desierant. Cicer. *de Nat. Deor.* II, 3. Cinctum enim Gabi- num fumebant Imperatores, qui se Dis Ma- nibus pro exercitu deuouebant. Liu. VIII, 9. 10. X, 7. 28. Hinc eodem induebantur milites, in rebus trepidis, quasi deuoti Dis Manibus. Vltima vero horum deuotorum voluntas cum pro lege esset, Liu. X, 29. *iuuct. XXVI, 11.* etiam testamenta militum in procinctu facta rata esse iubebantur, taci- to populi suffragio, tanquam νόμον ἀγραφοί quemadmodum testamenta in comitiis cala- tis condita tanquam νόμοι ἔγγραφοι valebant. Hinc facile reddideris rationem, cur tam ra- ro, et non nisi in extremo rerum discrimi- ne, huiusmodi testamenta condita. Vid. Vel- lei. II, 5. Plutarch *in Coriol.* p. 198. Extra
peri-

(b) In Plutarchi textu est: *τριῶν, καὶ τετάρων*, qui conficiunt septem, sed aut particula coniunctiuua hic, vt alias saepe, pro disiunctiuua ponitur, aut pro *καὶ* legendum ἢ.

periculum enim et cinctum Gabinum milites testabantur iure ordinario, Caesar. *de B. G. I.* 39. Flor. III, 10.

IV. Cum vero non nisi praesentissimo mortis periculo in procinctu fierent testamenta: Vellei. *Paterc. Hist. II, 5.* Cic. *de Orat. I, 53.* verosimile est, defunctis periculo testatoribus, testamenta illa euanuisse, inftar donationum mortis causa, licet verbis disertis haud reuocata. Thomas. *Diss. lauiata §. XXVII.*

IV. An haec rata fuerint post periculum?

V. Ceterum testamenta, in calatis comitiis facta, exoleuisse videntur, latis legibus XII. Tabularum. Iis enim cum fuisset cautum: PATER FAMILIAS VTI LEGASSIT SUPER FAMILIAE PECVNIAE TUTELAEVE SVAE REI, ITA IVS ESTO: Ulpian. *Fragm. XI, 14. l. 53. pr. D. de V. S. pr. Inst. de L. Falc. Nou. XXII. cap. 2.* Cic. *de Inuent. II, 50.* Auct. ad Herenn. I, 13. latissima profecto omnibus facta fuerat testandi facultas. Cumque ciues iam suo arbitrio possent de bonis disponere: quis, quaeso, adeo desibuisse, ut mallet in comitiis calatis, auctore populo, collegioque pontificum testari? Ergo tum demum videntur testamenta proprie sic dicta, exemplo iuris Attici, inualuisse (c).

V. Testamenti factio per Leg. XII. Tab. introducta.

K k 4

VI.

(c) Leges enim Solonis Atheniensibus, non exstantibus liberis, concessisse liberam testandi facultatem, constat ex Plutarch. *Solon. p. 90.* et Demosth. *Orat. in Steph. II. p. 983.* Exempla testamentorum Atticorum haud pauca exstant apud Diog. Laertium. Adde Pfeifferi *Antiqu. Graec. IV,*

VI. Testa-
mentorum
forma.

VI. Quemadmodum vero Icti eodem fere tempore legis actiones componebant: *l. 2. §. 6. D. de O. I.* ita et testamentis certam quandam formam dabant, inueniebantque TESTAMENTVM PER AES ET LIBRAM, cuius meminit Imperator, §. 2. *Inst. de testam. ordin.* vel *per familiae emtionem*, vti vocatur §. *cod.* Cum enim ex iuris Romani principiis leges de successione intestatorum non nisi alia lege tolli possent, et tamen decemviri liberam cuius patrifamilias testamentifactionem concessissent: inueniendus erat color, quo iuris analogia feruaretur. Itaque fingebant hereditatem non tam per vltimam voluntatem, quam per venditionem et mancipationem transferri. Vnde erat Balduin. *ad XII. Tab. XXIX. p. 119. edit. Basil.* qui ipsum ritum mancipationis vel *aeris et librae*, in testamentis eiusmodi adhibendum, duodecim tabulis praescriptum putat (*d*). Vid. Thomas. *Diff. ead. §. XXXIII. seq.*

VII.

63. p. 770. seq. Quin in testamentorum vi atque auctoritate Graeciae populos alioquin inter se moribus et institutis diffidentes conuenisse. Isocrates in *Aegeuzico* tradit.

(*d*) Exstitit equidem in XII. Tabulis lex: QVI SE SINIT TESTARIER, LIBRIPENSVE FVERIT, NI TESTIMONIUM FARIATVR, IMPROBVS INSTABILISQVE ESTO. Gell. *Noct. Att. XV, 13. VI, 7.* Sed ea non ad testamenta pertinuit, verum ad eos, qui in mancipatione quacunqve vel testes adhibiti vel libripendes, postea testimonium ferre de eo, cui intertuerant, detrectabant. Vid. Iac. Gothofred. *XII. Tab. Tab. VII, p. 221.* Idemque

VII. In testamento vero, quod per aes et libram fiebat, duae res agebantur, nam et **FAMILIAE MANCIPIATIO** fiebat et **NVNCVPATIO TESTAMENTI**. Constituebantur scilicet *familiae emtor*, *antestatus* et *libripens*, cum *quinque testibus* ciuibus Romanis, quibus praesentibus more maiorum fiebat mancipatione vel imaginaria venditio hereditatis. Quintilian. *Declam. CCCVIII. Non dixerim*, inquit, *testamentum, cui libripens deest, et familiae emtor, et caetera iure necessaria*. Perfecta rite mancipatione testator tabulas tenens: **HAEC**, inquit, **VTI IN HIS TABVLIS CERISVE SCRIPTA SVNT, ITA DO, ITA LEGO, ITA TESTOR, ITAQVE VOS, QVIRITES, TESTIMONIVM PRAEBITO TE**. Ulpian. *Fragm. XX, 9. Isidor. Orig. IV, 24.* Tum Vltimis verbis accedebat antestatio, auresque testium tangebantur, vt docet Clem. Alex. *Strom. V, p. 574.* in testamenti factione sui temporis memorans *ἕγὰ καὶ ἀσσάρια, καρπισμῆς τε καὶ τὰς τῶν ὠτῶν ἐπιψύσεις*, *libras, asses, mancipationes, et attrectationes aurium*. Testium vero nec subscriptio requirebatur, nec subsignatio, quam primus exegit Praetor. §. 2. *Inst. de test. ord.*

VII. Testa-
mentum
per aes et
libram.

Kk 5

VIII.

que sentiendum de altero capite: **QVI NEXVM FACIT MANCIPIVMQVE, VTI LINGVA NVNCVPASSIT, ITA IVS ESTO**. Festus *voce nuncupata*. Nam hoc quoque caput ad mancipationem, non ad testamentum, pertinet, vt contra Franc. Hotomanum docuit Iac. Gothofr. *ad XII. Tab. Tab. VI. p. 210.*

VIII. Testa-
mentis con-
ficiendis ad-
hibiti iure-
consulti.

VIII. Ipsi concipiendis consignandisque tabulis plerumque adhibebant iureconsultum, ne quidquam, quod ad earum sollemnitates pertinet, praetermitteretur. Docet id Arrian. *Diss. Epict.* II, 13. Νομικός καὶ ἐξηγῆται τὰ νόμιμα, ἀλλὰ διαθήκην μὲν ἔγράφει, μὴ εἰδώς, πῶς δὲ γράφειν, ἢ παραλαβῶν τὸν εἰδῶτα. Iureconsultus ei leges enarrat. Atqui testamentum nemo scribit, nisi aut ipse sciat, quomodo scribendum sit, aut eius rei peritum adhibeat. Cicero de Orat. II, 6. Scaeuolae illudens: Nam si nullum erit testamentum recte factum, nisi quod tu scripseris, omnes ad te ciues cum tabulis veniemus, omnium testamenta tu scribes unus. Add. Suet. Ner. XXXII. vbi studiosis iuris, id est, Ictis, sub Nerone id baud impune fuisse dicitur, si testamenta scripserint aut dictassent, in quibus principi nihil fuerit relictum. Nonnunquam tamen testatores, non adhibito iureconsulto, voluntatem suam, quam poterant, clarissime exprimebant. Cuius rei elegans exemplum est in l. Lucius Titius 88. §. 17. D. de legat. 2. Vbi testator: Lucius, inquit, Titius hoc meum testamentum scripsi sine vilo iurisperito, rationem animi mei potius secutus, quam nimiam, et miseram diligentiam: et si minus aliquid legitime, minusue perite fecero, pro iure legitimo haberi debet hominis sani voluntas. Quo casu petita intestati bonorum possessione, heredes scripti portiones suas ex fideicommissio petere poterant.

IX. Scribendis
vero liberti

IX. Scribendo nonnunquam serui vel liberti, nonnunquam amici, adhibebantur; aliquando etiam

etiam ipsi testatores testamenta sua integra conscribebant *l. 28. §. 1. C. b. t.* quae tunc vocabantur *holographa*. Testamentorum a seruis et libertis scriptorum exempla sunt in *l. 1. §. 8. l. 15. princ. D. ad L. Cornel. de fals.* nec non apud Suet. *Aug. Cl. Tiber. cap. vlt.* De amicis, testamenta scribentibus, videndus Plin. *Epist. VI, 22.* De holographis agit Isidorus *Orig. V, 24.* Testamenti alieni scriptor *testamentarius* in iure nostro vocatur, de quo vocabulo Briffon. *de Form. VII. p. 587.* et *de Verb. signif. hac voce.* Ceterum vel sub Nerone, vel sub Claudio, ut ne quis alieni testamenti scriptor legatum sibi adscriberet, cautum est. Suet. *Ner. XVII. l. 1. §. 7. l. 6. pr. l. 14. pr. §. 2. l. 15. pr. D. ad L. Corn. de fals. Pariat. Leg. Mos. et Rom. VIII, 9.*

serui amici,
Quaedam
testamenta
holographa.

X. In testamentis semper utebantur lingua Latina (e), ac proinde legatum, Graece scriptum, haud valebat, teste Vlp. *Fragm. XXV, 9.* Secus se res habebat in fideicommissis, quae et Graece relinqui poterant, immo et Punice, et quacunque alia lingua. Quae enim iuris gentium erant, et alia lingua; quae iuris ciuili; Latina duntaxat poterant explicari. *l. 8. §. 4. D. de acceptilat.*

X. Conscribenda erant lingua Latina.

XI. Plerumque plures tabulae eodem exemplo conficiebantur. *l. vlt. D. de bis quae in test.*

XI. Saepe plures ta-

l. 1.

(c) Plura testamenta Romanorum integra ex vetustis lapidibus aliisque monumentis collegit Barn. Briffon. *de Form. VII. p. 677. seq.* et Mabillon in *append. de re diplom.* qui tamen et testamentum Iulii Caesaris, mantello iupposititium, retulit *Lib. V. Tab. I. n. III.*

Tabulae eodem
exemplo fa-
ctae?

l. 1. §. 5. D. de bon. poss. sec. tab. Quem morem etiam Augustus obseruauit, teste Suet. *Oct. CI.* et Tiberius, teste eodem in *Tiber. cap. vlt.* Tabulas has vel priuatim apud amicum, vel in aede sacra apud virgines Vestales, vel aedituos, deponebant. *l. 1. §. 2. D. de bon. poss. sec. tab. l. 3. §. 2. D. de tab. exhib.* Lips. ad Tacit. *Ann. I. p. 17.* Virgini Vestali maximae testamentum suum commendauerat Iulius Caesar, Suet. *Iul. LXXXIII.* cuius exemplum secutus etiam Augustus. Id. *Octau. CI. Conf. Tac. Annal. I, 8.*

XII. Testa-
menta quo-
modo scri-
pta?

XII. Scribebantur fere testamenta in ceris, quae ligneis tabulis erant infusae. Vnde in formula nuncupationis dicitur: *vti in his tabulis, cerisue scripta sunt*, quemadmodum et alias loquebantur veteres. *Liu. I, 24.* Vtrumque iungebatur euitandae captionis ergo. Proprie enim non inscribebatur tabulis, sed ceris. V. A. Corn. van Bynkershoek. *Obseru. III, 21.* Schulting. *Jurisprud. Antiqu. p. 629.* Male ergo Cl. Salmasius per ceras intelligit ceras exteriores, quibus signa impressa erant, negatque ceratarum tabularum mentionem facere in scriptis suis iureconsultos (*f*). Salmasius *de subscrib. et sign. testam. XIX. XX. XXVI.*

XIII.

(*f*) Quamuis enim earum usus, reperta papyro, rarior fuerit; aliquem tamen adhuc fuisse tempore Constantini M. immo et Theodosii, ex Themist. *Orat. XVI. et XVIII.* patet, ubi mentio fit *πρωαντιδίωνων καὶ τῶν σιδήρων*. Occurrunt etiam cerati codicilli. *l. 52. D. de legat. 3.* et lignae tabulae *l. 1. D. de bon. possess. contra tab.* Adde Schulting. ad Vlpian. *Fragm. XX, 9. p. 629.*

XIII. Aliud postea testamentorum genus sensim inualuit, quia Praetor, in super habitis illis sollemnitatibus, mancipatione scilicet et nuncupatione, sola exigebat septem testium signacula. Septem, inquam, testium, ut scilicet praeter quinque illos, quos exigebat ius ciuile, etiam essent, qui emtorem familiae et libripendem referrent. Vid. §. 1. *Inst. b. t. et ibi interpretes*. Ceterum satis antiquum est hoc testamentum Praetorium, iam Cic. *in Verr. I, 45.* memoratum. Ibi enim Verres Praetor edixisse dicitur: **SIDE HEREDITATE AMBIGATVR, ET TABVLAE TESTAMENTI NON MINVS MVLTIS SIGNIS, QVAM E LEGE OPORTEAT, AD ME PROFERENTVR, SECVNDVM TABVLAS TESTAMENTI POSSESSIONEM HEREDITATIS DABO.** Et, ne quis hoc Edictum a Verre primum inuentum existimet, statim addit Cic.: *Hoc tralatitium est, id est edictum vetus, et ex anteriorum Praetorum albis in illud Verrin translatum.*

XIII. Testamentum praetorium,

XIV. Mansit antiqua testandi ratio per eas et libram diutissime, adeo ut Vlpian. scribat *Fragm. XX, 2. Illis duobus testamentis* (in commitiis calatis, et in procinctu) *abolitis, hodie solum in vsu est, quod PER AES et LIBRAM fit, id est, per mancipationem imaginariam.* Vnum itaque memorat testandi modum. Quamuis enim et Praetoria testamenta tunc frequentarentur: ea tamen non nisi improprie hoc nomen sustinebant cum ex eis non hereditas, sed bonorum possessio daretur. *l. 7. l. 9. D. de bon. poss. sec. tab.* Denique cum et constitutionibus quaedam nouae

XIV. Noua testandi ratio per constitutiones introducta.

nouae inueherentur obseruationes: in vnum conflare coeperunt ritus, ex iure ciuili, praetorio et constitutionibus principum nati, id quod temporibus Theodosii iunioris factum esse, non sine apparatu docet Iac. Gothofredus *ad l. 1. C. Theod. de testament. et codicill. Tom. I. p. 334. seq.* Ex eo itaque inualuit, vt testamenta I) vno contextu, II) praesentibus septem testibus, III) iisdemque subscribentibus et IV) annulo signantibus, fierent, et V) a testatore ipso vel scriberentur vel subscriberentur. §. 3. *Inst. b. t.* Quibus sextam sollemnitatem addiderat Iustinianus, vt per manus testatoris et testium nomen heredis exprimeretur. §. 4. *Inst. b. t.* Eam vero ipse iterum sustulit. *Nov. CXIX, 9.* Vt adeo parum diuturna fuerit huius subtilitatis obseruatio.

XV. Cur quidam testes esse non potuerint?

XV. His praemissis, et maxime si obseruaeris testamenta olim in comitiis calatis facta esse, facile patet, cur quidam testes esse non potuerint, veluti mulieres, impuberes, serui, furiosi, surdi, muti. Nam nullus horum admittebatur ad comitia. *Thomas. not. ad Inst. b. t.* Et hinc etiam nullam cum iis esse testamenti factionem, dicitur.

XVI. Testamentum militare.

XVI. Ad TESTAMENTVM MILITARE quod attinet, quo ritu illud antiquissimis temporibus in procinctu factum sit, iam supra (§. III.) diximus. Vbi etiam, illud cum auspiciis euauisse, ex Cicerone obseruauimus. Sub Imperatoribus (g), cum loco militiae lectae placeret

(g) Quia testamenta in procinctu facta iam Ciceronis tempore exoleuerant; militaria testamenta, de quibus

ret mercenaria: eo quoque inter alia priuilegio ornati sunt milites, vt quomodocunque facta ab iis testamenta, valerent, etiam sine legitima obseruatione. Vlp. *Fragm. XXIII, 10*. Hinc et ratum erat militare testamentum, si praesentibus commilitonibus aliquot, heredem quis nuncupasset, vel si eius nomen gladio in arena; vel literis sanguine rutilantibus in vagina scripisset. *l. 15. C. de test. milit.* Ita vero demum valebat testamentum, si testator vel in castris mortuus esset, vel post missionem intra annum. Vlpian. *ib.* Neque opus tamen erat, vt in acie extremoque periculo fierent testamenta, donec Iustinianus in expeditione et castris tantum constitutis militibus sollennitates remitteret. Sibi sane hanc militaris testamenti restrictionem disertis verbis tribuit Iustinianus. *pr. Inst. b. t. l. 17. C. eod. (b)*.

XVII. Nihil horum licebat *paganis*. Ita enim sub imperatoribus dici coeperant, quicumque non erant milites. Suet. *Aug. XXVII. Galb.*

XVII. Distinctio inter paganos et milites.

XIX. Plin. *Epist. VII, 25. X, 18*. Tacit. *Hist. I, 35. II, 14. 88. III, 43. et 77*. Eaque appellatione nihil est in iure frequentius. Ratio videtur, quia milites emeriti impetrata missione ab

bus in iure nostro agitur, ex constitutionibus Principum deriuanda sunt. Vlp. *Fragm. XXIII, 10*. et quidem primum ex edicto Caesaris. Hinc Titi, postea Domitiani, mox Neruae, ac postremo Traiani. *l. 1. pr. D. b. t.*

(b) Tribonianismum ergo esse oportet, quod *l. 1. ex 15. C. de milit. test.* huius coarctati priuilegii mentio fit. Vid. Giphani, ad *l. 1. C. eod.* Donell. *Comm. VI, 28*.

ab Imperatoribus in pagis ad colendos agros, sibi donatos, collocabantur. Vnde pagani, qui non amplius erant milites, et producto vocis usu, omnes ἀπόλεμοι καὶ ἀστράτευτοι, qui et *privati* saepissime appellantur.

XVIII. Qui-
nam testari
non poterant.

XVIII. Immo inter paganos ne poterant quidem omnes testari. Cuius rei in promptu est ratio. Non peregrinis hoc licebat, quia testamenti factio ad iura Quiritium pertinebat. Non filiis familias, quia nihil habebant, de quo testarentur, praeter peculia castrense et quasi castrense, in quibus pro patribus familias erant. Nec filii fam. participes erant iuris comitorum, nisi magistratum gererent. Ulpian. *Fragm. XX, 10.* ut taceam Legem XII. Tabularum non filiis fam. sed patribus familias liberam fecisse testandi facultatem (i). Non impuberibus, quia iis nec in comitiis locus erat, nec in militia (k). Non furiosis, quia nullum iis erat animi iudicium. Hinc si dilucida erant furoris interualla, interea, dum furor remiserat, poterant testari. *l. 9. C. qui test. fac. poss.* Non prodigis porro, quia veterere

(i) Vnde Iuuenal. *Sat. XVI.*

*Solis praeterea testandi militibus ius.
Vino patre, datur.*

Exceptum tamen peculium castrense et quasi castrense per constitutiones principum.

(k) Augustum etiam impuberes Tribunos militum fecisse, probant ex Sueton. *Aug. XXXIII.* Vnde et tribunis militum impuberibus factam esse testandi potestatem ex *l. 4. C. de test. milit.* observat. Alexander ad Cai. *Inst. II, 3. 3.* Sed nec Suetonius, nec dicta lex loquitur de impuberibus. Vid. notas Graevii, Rubenii Casaub. ad Suet. et Schult. ad Caii *Inst. l. c. p. 45.*

tere iure furiosis equiparabantur. *l. 12. in fine D. de tut. et curat. dat.* Non surdis et mutis, quia et hi nec rogationem audire, nec suffragium dare in comitiis poterant, immo nec testes rogare, pronunciata sollenni formula: *Vos Quirites testimonium praebite.* Apulei. *de asino aur. II. Vlpian. Fragm. XX, 9. Cui. Obs. VI, 37.* Quod secus erat in caecis. Denique nec capitis ab hoste, de portatisue in insulam, vt et quamcunque capitis deminutionem vel maximam, vel mediam, passis testari licebat, amisso quippe iure ciuitatis, cum testamenti factio esset ciuium Romanorum propria. Sigon. *de antiquo iure Ciu. Rom. I, 12. p. 153.*

XIX. Feminae olim in comitiis calatis plane testari non poterant, quia nullus iis accessus erat ad comitia. Postea permissa iis testamenti factio, si essent sui iuris, sed non nisi auctoribus tutoribus. Vlp. *Fragm. XX, 15. Cic. pro A. Caecin. VI.* Hinc earum testamenta non poterant esse arcana, sed magno periculo subiiciebant feminas, ceu discimus ex *l. 77. §. 24. D. de legat. 2.* Ex qua lege inferri haud potest, feminas non nisi nuncupatiua testamenta condidisse, quamuis id intuerit. Merill. *Obs. II, 1. p. 69. et IV, 39. p. 55.* Tabularum enim a feminis scriptarum exempla habemus apud Val. Max. VII, 8. 2. Suet. *Galb. V. Plin. Epist. II, 20.* Heredum quoque a feminis scriptorum mentio fit *l. 19. D. de inoff. test. l. 37. §. 6 D. de legat. 3. l. 3. C. de inoff. test. l. 33. D. de vulg. et pup. subst. Vid. Comment. nostr. ad L. Iul. et Pap. II, 21. p. 240. seq.* Feminae, quae in manum conuenerant, capite

XIX An feminis olim testari licuerit?

deminutae, et filiarum familias loco erant, neque adeo testari poterant, vt recte docent M. Aur. Galuan. *de vsufr.* IX. vlt. et V. C. Ant. Schult. *ad Vlpian.* p. 632. Vnde errant Cuiac. *Obs.* VII, 11. et Aleander *ad Caii Inst.* II, 2. 1. qui matribus familias, si in manum conuenissent, testandi fuisse facultatem, existimant.

XX. Ius exheredandi olim liberum.

XX. Ad exheredationem quod attinet, liberum olim erat, ex XII. Tabulis, filios vti occidere, ita exheredare, *l. 11. in fine D. de liber. et postum.* immo et praeterire, idque adhuc tempore Ciceronis obseruabatur, vt patet ex libro *de Orat.* I, 38. Postea filii, in potestate constituti, aut instituendi, aut nominatim exheredandi erant. *pr. Inst. de. exh. lib. l. 30. D. de lib. et post.* Itaque ex eo tempore filios suos exheredare quidem licebat, atque nominatim (1). Idemque obseruandum erat in adoptiuo, quamdiu in potestate erat, itemque in postremo, non item in postuma. Filiae enim postumae, nepotes et pronepotes, exheredari poterant inter ceteros, immo et praeteriri, dummodo postumae legatum relinqueretur, ne per obliuionem videretur praeterita. Vlpian. *Fragm.* XXII, 21. seq.

XXI.

(1) Non requirebatur tamen praecise nomen proprium sed et sufficebat descriptio, vel demonstratio, e. g. *filius meus exheres esto*, dummodo vnus esset filius: aut cum elogio vel conuicio: *non nominandus, non filius meus, latro, gladiator.* *l. 1. 2. et 3. D. de lib. et postum.* Conf. Aleand. et Oiscl. *ad Caii Inst.* II, 3. princ. Barn. Briffon, *de Form.* VIII. p. 605.

XXI. Ast cum parentes abuti coepissent hac exheredandi licentia veluti Tettius, qui in gratiam nouerca filium infantem exheredabat: Valer. Max. VII, 7. Reines. *ad Inscr. Class. I, 10. p. 24.* factum est, vt leges querelam inofficiosi testamenti concederent liberis, iniuste exheredatis. Et de ea iudicabant Centumuiiri. Valer. Max. VII, 7. Quintil. *Inst. IV, 7.* Plin. *Epist. IV, 8.* Qua de re plura ad titulum XVIII.

XXI. Postea restrictum per querelam inofficiosi testamenti.

XXII. Sed Iustiano minus e republica visum est, tantam rem esse arbitrariam. Hinc certas tantum ob causas ratam esse iussit exheredationem, quas recensuit Nou. CXV. et de quibus plura tradunt Iureconsulti.

XXII. Noua Iustiniani constitutio.

XXIII. Addimus sub finem, distinguendam ab exheredatione esse ABDICATIONEM, qua parentes liberos degeneres, et se indignos, e conspectu suo procius abire iubebant. Exempla sunt apud Valer. Max. V, 8. 3. et 4. Vnde recte quidem Hotoman, in *parit. iur. X, 10.* statuit, abdicationem non fuisse modum soluendi patriam potestatem: in eo tamen ipsi assentiri nolim, quod Graecis tantum nota fuerit, qui liberos per praecones e familia eiicere solebant, idque vocabant ἀπειπεῖν vel ἀποκηρύσσειν vel ἐκηρύσσειν. Nec probabile est, Quintilianum, dum huius abdicationis toties meminit, exempla tantum puerilium exercitationum ex Graecorum scholis proferre voluisse. Graecum enim hunc ritum etiam inter Romanos sensim inoleuisse, quamuis eum leges Romanae haud probarent, apparet ex *l. 6. C. de patr. potest.*

XXIII. Additio discernenda ab exheredatione.

TIT. XIV.

DE

HEREDIBVS INSTITVENDIS.

Satis succincte hanc materiam tractavit Tribonianus, cum latius multo patuerint veteres illae de heredum institutione leges. Iuua-
bit ergo, quae defunt, ex antiquitatibus Roma-
nis supplere.

I. Etiam ser-
ui institui
poterant he-
redes.

I. Nihil intererat, liberumne quis hominem, an seruulum, heredem institueret. Nam et ser-
ui heredes esse poterant, siue alieni, siue pro-
prij. Illi, quia hereditatem adquirebant domi-
nis adire iubentibus: hi, quia libertatem simul
consequabantur, et sic fiebant hereditatis capa-
ces. . Hinc est, quod serui proprii non nisi da-
ta simul libertate, institui possent, donec Iusti-
nianus, Iureconsultos quosdam secutus, insti-
tutionem serui proprii, etiam sine expressa li-
bertatis datione, valere voluit *l. pen. C. de ne-
cess. seru. hered. instit.*

II. Qui here-
des institui
non potue-
rint?

II. Institui tamen non poterant I.) *peregrini*,
qui plane nihil ex testamento ciuis Romani ca-
piebant. Cic. *pro A. Caecina XXXV.* nec II.) *cae-*
libes, per legem Papiam Poppaeam. Dio. Cass.
LIV. p. 531. Sozom. *Hist. eccl. I, 9.* Quae cae-
libatus poena a Constantino demum M. sublata
est. Sozom. *ibid. l. vn. C. Theod. de infirm. poen-*
caelib. nec III.) Orbi id est, parentes, qui steri-
le matrimonium fuerant experti. Hi enim in-
ter se decimam tantum, non solidum, capie-
bant

bant (a). Sin vero ex priore matrimonio superessent liberi, totidem decimas capere poterant, quot fustulerant liberos. Vlpian. *Fragm. XIII, 1.* Ex testamento extranei non nisi semissem capere poterant. Vid. *Comm. nostr. ad L. Iul. et Pap. II, 21. p. 343.* Excipiebantur porro IV.) *uniuersitates*, quas quidquam capere potuisse negant Plin. *Epist. V, 7.* Vlpian. *Fragm. XXII, 5.* Quod ideo receptum videtur, quoniam uniuersitates hereditatem cernere non poterant. Capere tamen iis licebat fideicommissa, Vlp. *l. c.* idque concesserat SCt. *Apronianum*, cuius originem non cum Cuiacio *ad Vlp. ibid.* ad tempora D. Marci, sed cum Ant. August. *de Leg. et SCt. ad Hadriani imperium* referimus, sub quo occurrit consul Aprenius. A. C. CXVII. et CXXIII. Vid. Schulting. *ad Vlp. Fragn. XXII, 5. p. 635.* Videtur tamen tempore D. Marci id, quod ciuitatibus concessum fuerat SCt. *Aproniano*, etiam ad collegia fuisse productum, idque apparet ex *l. 20. D. de reb. dub.* Immo et alio SCt. concessum est, vt municipia heredes institui possent a libertis suis. Vlpian. *l. 1. §. 1. D. de libert. uniu.* Erant vero liberti uniuersitatum serui publici manumissi. Hinc apud Gruter. p. LXXXIII.

13. ISID. REG. L. PVBLCIVS EVTY-

Ll 3

CHES

(a) Per legem Papiam Poppaeam, cuius caput ea de re agens singulari nomine dicitur *lex decimaria l. 2. C. Theod. de iure liberor.* Praeter decimam tamen etiam vsumfructum tertiae partis bonorum, et dotem praelegatum, et si liberos habebant, eiusdem partis proprietatem capere poterant Vlpian. *Fragm. XV. Add. Comm. nostr. ad L. Iul. et Pap. Popp. II, 14. p. 259.*

CHES MVN. TAR. LIB. Porro V.) nec mulieres heredes in parte quantacunque institui poterant post Legem Voconiam. Cic. *Verrin. I, 43.* Eas enim capere potuisse δύο ἡμισυ μυριάδας ἑστίας XXV. millia nummum, ex Dione Cass. *Lib. LVI. p. 578.* patet. Male haec verba Dionis habitae sunt ab interpretibus, quorum plerique crediderunt, legem Voconiam prohibuisse, ne quis, qui centum millia HS in bonis haberet, plus quam quadrantem bonorum id est xxv. millia HS feminae relinqueret. Vidit eum errorem Bachou. *ad Inst. b. t.* Sed eo se ne ipse quidem expedire potuit. Felicius V. C. Iac. Perizonius *de Leg. Vocon. p. 144. seq.* docuit, in textu Dionis intelligendas esse drachmas, quas semper in animo habent Graeci Scriptores, quoties de Romana pecunia loquuntur. Gron. de Pec. vet. III, 16. Itaque per hanc legem mulieri non licuit relinquere ultra XXV. millia drachmarum, seu CM. sestertium, antequam lex illa Voconia per opulentiam ciuitatis subuerteretur. Gell. *Noct. Att. XX, 1.*

III. Vniuersitates quaedam heredes scribi poterant.

III. Dum vero vniuersitates heredes institui potuisse negauimus, intelligendum id est de municipiis et collegiis, Romanorum imperio subiectis, non de ciuitatibus, ἀυτονόμας quae iure suo legibusque utebantur. Sic apud Tacit. *Annal. IV, 43.* Vulcatius Moschus, exsul, bona sua reliquit Massiliensibus. Quod exemplum frustra Plinio et Vlpiano opponit Muretus *ad Tac. ibid.* Erant enim Massilienses ἀυτονόμοι et liberi, teste Strabone *Geogr. IV. p. 197. seq.* conf. Grot. *de iure belli et pac. I, 3. 12.* Postremo etiam vni-

vniuersitates heredes institui poterant. *l. 12. C. de ber. inst.* iisque legare etiam Paulli temporibus licebat. *l. 122. princ. D. de legat. 1.*

IV. Heredes quoque institui non poterant VI.) Dii (*b*). Quod ideo procul dubio inductum, ne bona ciuium vsibus subtracta sacerdotum luxuriae seruirent, quamuis et altera ciuili ratio accederet, quod Dii hereditatem cerne- re, atque adire non possent. Coeperunt tamen Romani Principes Diis quibusdam, vt hereditatum capaces essent, ius liberorum dare, ridicula profecto liberalitate. Dio Cass. *LV. p. 549.* Tale ius, teste Vlp. *Fragm. XXV, 6.* impetrauerant Iupiter Tarpeius, de quo Petr. Fab. *Semestr. III, 4.* Iust. Rycqu. *de Capitol. Rom. XVIII. XIX. XX.* Apollo Didymaeus, (qui et Branchides vel Branchiades, Pompon. Mel. *de Sit. Orb. I, 17.* et ibi Isaac. Voss. p. 83.) Mileti cultus, quae vrbs etiam in numis suis praefert ΔΙΑΤΜΕΑ ΜΙΑΗΣΙΩΝ, apud Patin. *Numif. Imp. aer. p. 73.* Conf. V. C. Burmanni *Iou. κατέζάτην p. 100.* Mars in Gallia, de quo Caesar *de Bell. Gall. VI, 17.* Minerua Miliensis, vel vt alii (*c*) legunt, Iliensis, de qua L. Holstenius *ad Steph. voce Ἰλιον.* Hercules Gaditanus, de quo Iustin. *Hist. XLIV, 5.*

IV. Qui Dii potuerint institui heredes?

LI 4

Appian.

(*b*) Hoc quoque obseruat Vlpian. *Fragm. XXV, 6.* quem locum minus accurate P. Faber. *Semestr. III, 1.* de religionibus priuatis non suscipiendis, diisue praeter Senatus auctoritatem non colendis, interpretatur. Vid. Schulting. *Iurispr. ant. p. 635.*

(*c*) Veluti Hadr. Turneb. *Aduers. VII 21.* Cuiac. *Obseru. X, 5.* licet dissentiant P. Fab. *Semestr. III, 4.* et Rafl. *Forner. Rer. Quotid. II, 8.* qui Melensem legi iubet.

Appian. *Punic.* p. 256. Diana Ephesia, de qua legimur Iac. Menetreeii *Symbol. Dianae Ephes. statua* et L. Holsten. *Epist. de sulcris seu verubus Dianae Ephesiae Dianae simulacra appositis*, apud Gron. *Thef. Ant. Graec. Tomo VII.* Mater Deorum Sipelensis, vel, vt alii legere iubent, Sipylenfis, vel Sypylene. Sane ΜΑΤΗΡ ΣΙΠΥΡΑΗΝΗ legitur in *Marmoribus Arundellianis.* p. 11. et 12. Th. Reines. *inscr. Classe I. n. 43.* Iac. Spon. *Miscell.* p. 350. Ita enim dicta a Sipylo monte, ceu apparet ex marmore Smyrnenfi, quod commentario illustrauit Car. Patau. *CIÒ IOCLXXXV, 40.* De ea Diua videndus Heinf. *ad Prud. περὶ 5εΦαν.* X. v. 196. Marqu. Gud. *ad Phædr. Fab. III, 20.* Denique Coelestis Salinensis Carthaginis, de qua vt et reliquis copiosissime Schult. *Iurispr. antiqu.* p. 636. seq.

V. As hereditarius.

V. Ceterum hereditatem veteres semper vt ASSEM considerabant, eiusque adeo duodecim concipiebant vncias. Erat enim AS quidquid ad *μοναδα* atque vnitatis rationem poterat reduci, quasi *ἄς*. Salmast. *de usur.* p. 536. Idem *de modo usur.* p. 261. Fluxit *assis* vox a Doribus, Siculis, et Tarentinis, a quibus et ipsum grauis ponderis numum, et plerasque rei pecuniariae appellationes Romani acceperant. Nam ex Dorico *ἄς* Tarentini et Siculi fecerunt, *ἄς* inde Romani vtrumque vocabulum *aes* et *as* habuerunt. Quorum vocabulorum eadem erat significatio, quia primus as ex aere fuerat percussus. Conf. Scalig. in Varr. *de Lat. Lingu.* IV. p. 69. Porro cum *ἄς* a Siculis etiam *λίτρα* diceretur: factum est, vt et Romani *assem* vocarent

rent *libram* (d). Et cum duodecima pars τῆς λίτρας Siculis esse ὀγκία idem nomen etiam placebat Romanis. Praeclarus hanc in rem locus est Iulii Pollucis *Lib. IX. cap. 6. segm. 80.* ἀλλὰ μέντοι παρ' αὐτῶ (Ἀριστοτέλει) τις ἂν ἐν τῇ ἡμερῶν πολιτείᾳ καὶ ἄλλα ἔυροι Σικελικῶν νομισμάτων ὀνόματα, ὅσον ὀγκίαν, ὅπερ δύταται χαλκῶν ἕνα. *Ceterunt apud eundem (Aristotelem) in Himereorum Politia etiam alia inueniet Sicularum nomina, utpote VNCIAM, quae valet aereum unum.* Hinc Romani omne totum *assem*, vocabant; idque diuidebant in duodecim vncias, quasi id demum esset perfectum, quod XII. partibus vel vnciis constaret. Eleganter Balbus *de Asse* apud I. F. Gronou, *de Pec. Vet. p. 883.* *Quidquid unum est, et quod ex integrorum diuisione remanet, assem ratiocinatores vocant.* Exemplum est non modo in hereditate, verum etiam in vsuris, de quarum computandi ratione per vncias post Salmasium egregie commentati sunt Io. Fr. Gron. in *Dissert. tribus de Centesima et asse vnciario* et Ger. Noodt *de Foen. et vsuris II, 2.*

VI. Hinc facile explicantur nomina, quibus hereditatis partes designare solent iureconsulti. Cum enim AS integrum bonorum corpus significet, in duodecim vncias diuisum: vndecim vnciae vocabantur DEVNX, quasi *vncia una*

L1 5

demta

(d) Asses enim erant liberales vsque ad bellum Punicum primum. Postea asses sextantarii cudi coeperunt. Plin. *Hist. Nat. XXXIII, 13.* Vnde errat Festus voce *sixtantarii asses*, dum hanc mutationem demum a bello Punico secundo factam existimat. Vid. Io. Haradin. *Not. ad Plin. l. c.*

VI. Eius partes.

demia(e). Pari ratione *decem vnciae* vocabantur DEXTANS quasi *desextans*, hoc est, demta sexta parte, nec non DECVNX, quasi *decem vnciae*. *No- uem vnciae* DODRANS, quasi *dequadrans*, id est, demto quadrante; *octo vnciae* BES, siue a veteri *des*, vt Varro coniiicit, siue quasi *bis triens*, vt Fe- stus mauult. Balbus *ibid.* potius *beffis* dicendum esse, monet, quam *bes* vel *des*: *quoniam binas ex tribus assis partes sibi vindicet*. Qua de re pluribus inter se disceptant Scaliger, Salmasius, Vossius. Conf. Ian. Vinc. Grau. *ad XII. Tab. p. 338. seq.* *Septem vnciae* dicebantur SEPTVNX, cuius no- minis ratio per se patet, *Sex vnciae* SEMIS; quasi *semias*; *quinque vnciae* QVINCVNX; *quatuor vnciae* TRINES, id est, tertia pars assis: *tres vn- ciae* QVADRANS, id est, quarta pars assis; *duae vnciae* SEXTANS, quasi sexta pars assis. Quae vero de partitione harum vnciarum in iure incul- cantur, de iis copiose differunt doctores, et in pri- mis Gu. Budaeus *de assē*. Sunt tamen et alia voca- bula iuris eodem pertinentia. Nam duplicatus as erat DVPPONDIVS, quemadmodum vnum pon- dus ASSIPONDIVM vocabatur. Dimidia pars vnciae est SEMVNCA, tertia DVVELLA, vel BINAE SEXTVLAE, pars eiusdem quarta SI- CILICVM, vel vt Balbus *p. 886.* scribit, SICILI- QVVS, *l. 21. §. 2. D. de ann. legat.* pars sexta SEX- TVLA, quam minimam aeris partem vocat Var- ro *de Ling. Lat. Lib. IV. p. 40. edit. Scalig.* et tamen octaua etiam pars vnciae vocatur DRACHMA, duo-

(e) De enim in compositione tollit, vt patet exemplis. *de- mens, destruere, vnde viginti, duodeviginti.*

duodecima HEMISESCLA, vel DIMIDIA SEXTVLA, sexta decima TREMISSIS, quarta et vicefima SCRVPVLVS. Ita Baibus *de Affe* p. 886. Add. Voluf. Maccian. *de Affe* apud eundem Gronou. p. 874. *seq.*

TIT. XV. XVI.

DE

VVLGARI ET PVPILLARI

SVBSTITVTIONE.

De substitutionibus vix est, quod ex antiquitate moneamus, quod non iam a iureconfultis sit explicatum. Quare paucis tantum de origine substitutionum, et quibusdam earum circumstantiis, dicemus.

I. Multum intererat Romanorum, ne testamenta destituerentur, tum ob conditiones varias, quibus plerumque ab herede satisfactum cupiebant, tum maxime ob sacra priuata, quae interire nolebant. I. Substitutionum origo.

II. Ne ergo deesset heres, ei vel eis, quem quosue instituerant, substituere solebant alios, ad quos in casum deficientium priorum bona deuoluerentur (*a*), eosque vocabant HEREDES II. Heredes secundi.

(*a*) Substitutio ergo vulgaris e XII. Tabulis est, et consequens amplissimae potestatis de rebus suis disponendi: pupillaris moribus inducta dicitur *l. 2. D. b. r.* Cuiac. *Obs. VII, 6.* Enimvero et haec in legibus XII. tabularum omnino reperit fundamentum. Pater enim familias ex ea lege etiam de PECVNIA SVAE REI legare poterat. Suis

DES SECVNDOS, Cic. *de Inuent. II, 21. pro A. Cluent. XI. Grut. Inscr. p. DXXIX, 3. p. DLIX, 7. Reines. Inscr. Class. VIII, 13. 14. 15.* Rem ita describit Appianus *de bello civili Lib. II. p. 518.* "Ἐθὸς Ῥωμαίοις παραγράφειν τοῖς κληρονόμοις ἑτέροις, εἰ μὴ κληρονομοῖεν οἱ πρότεροι. *Mos est Romanis, heredibus substituere alios, si priores heredes non fierent.* Porro et his heredibus nonnunquam substituebantur, qui tertio vel vltiore gradu succederent. Sic Augustus testamento suo primo loco Tiberium et Liuiam; secundo nepotes pronepotesque; tertio primores ciuitatis scripserat. Tacit. *Ann. I, 8.* Suet. *Aug. cap. CI.* Meminit quoque *tertiorum heredum* Suet. *Claud. VI.*

III. Formula substituendi vulgariter.

III. Formula vulgariter substituendi est apud Caium *Inst. II, 4. 1.* ILLE HERES MIHI ESTO, QVOD SI HEREDITATEM MEAM ADIRE NOLVERIT, ILLVM SVBSTITVO, AD QVEM HEREDITAS MEA DEBEAT PERTINERE. Videtur tamen haec formula ab Aniani manu esse, obseruante Alexandro *ad Caium ibid.* Certe non fuit perpetua, ceu ex plurimis pandectarum locis patet, quos colligit Brisson. *de Form. VI. pag. 607.*

IV.

Suis rebus etiam accensebantur filii familias, quippe qui, tanquam res Mancipi, in dominio iuris Quiritium erant. Bykershoeck *de iure occid lib. I. p. 145.* Ergo rationi consentaneum videbatur, patrem de pecunia filii sui, qui ipse per aetatem testari non posset, testari, adeoque eidem substituere pupillariter posse.

V. Haec vulgaris substitutio. Pupillaris quasi duplex testamentum complectebatur, siquidem prius sibi paterfamilias, deinde filio impuberi, heredem instituebat, in eum casum, si hic intra pubertatem decessisset. *l. 2. §. 4. D. de vulg. et pupill. subst. l. 20. D. eod. §. 2. Inst. b. t.* Quamvis enim et hic dissentirent Proculiani et Sabiniani, quorum illi id affirmare; hi negare solebant: Merill. *Obs. III, 12.* posteris tamen Proculi doctrina constanter placuit. Recepta hic erat formula. ILLE FILIVS, SI INTRA PVBERTATEM DECESSERIT, ILLVM SVBSTITVO. Cai. *Inst. II, 4. 2.* Cuiusmodi substitutionem ita describit Horat. *Serm. II, 5. v. 45.*

IV. Substitutio pupillaris eiusque formula.

Si cui praeterea validus male filius, in re Praeclara sublatus, aletur; nec manifestum Caelibis obsequium nudet de, leniter in spem Arrepe officiosus, ut et scribare secundus Heres, et, si quis casus puerum egerit Orco, In vacuum venias.

V. Inprimis vero id accurate observatum legimus, quod parentibus de liberorum salute sollicitis commendat Iustinianus §. 3. *Inst. de pupill. subst.* ut substitutionem pupillarem in ima parte tabularum scriberent, eamque separatim signarent (*b*), ne substitutus heres pupillo strueret insidias, malletque rapere heredi-

V. Cautela in substitutione pupillari observata.

(*b*) Vnde et tabulae secundae appellatae ultimi illi versus qui substitutionem pupillarem complectebantur. Vid. Barn. Briffon. *Sel. Ant. Rom. III, 12. p. 54.*

reditatem, quam incerta spe expectare. Sic Horat. *Sat. II, 5. v. 53.*

--- *Quid prima secundo
Cera velit versu.*

Ad quae verba videnda virorum doctorum *scho-
lia*. Eandem cautionem nonnunquam in vulgari
substitutione adhibebant. Et huc quoque perti-
nent illa Suet. *Caes. LXXXIII. Nouissimo testa-
mento tres instituit heredes sororum nepotes, C.
Octauium ex dodrante, et L. Pinarium et Q. Pae-
dium ex quadrante, reliquos in IMA CERA, C.
Octauium etiam in familiam nomenque adopta-
uit. Conf. Salmaf. de mod. usurar. cap. XI. Cai.
Inst. II, 4. 2. ibi Oiselius.*

TIT. XVII. XVIII. XIX.

QVIB. MODIS TESTAM. INFIRMAN- TVR. DE QVERELA INOFFICIOSI, ET HERE- DVM QVALITATE, ET DIFFE- RENTIA.

De modis, quibus testamenta infirmantur,
paullo accuratius dicere poterat Iustinia-
nus. Nos ne actum agamus, pauca ab eo omif-
sa supplebimus.

I. Testamen-
tanulla et in-
iusta.

I. Quemadmodum iureconfulti rebus omni-
bus nomina sua tribuebant: ita et modos in-
firmandi testamenta accurate suis distingue-
bant vocabulis. Sic quae ab initio inualida
erant testamenta ob personarum vel volunta-
tis vitium ea NVLLA esse dicebant. Alia
sunt INIVSTA, siue non iure facta, in qui-
bus

bus scilicet non obseruata sunt sollennia iuris
l. 1. D. de iniust. rupt. irr. fact. test.

II. Ex post facto infirmabatur testamentum II. Infirma-
ta ex post
facto.
 iure vel *praetorio* vel *ciuili*. Priori casu dice-
 batur BONORVM POSSESSIO CONTRA
 TABVLAS DARI, de qua suo loco. Poste-
 riore testamenta vel RVMPI, vel IRRITA
 FIERI, vel DESTITVI, vel RESCINDI, fe-
 rebantur.

III. RVMPEBANTVR testamenta partim III. Rupta.
 agnatione heredis sui vel certe quasi agnatione,
 de qua Hub. *Praelect. II, 17. t. p. 189.* partim
 nouo testamento, sollenniter facto *l. 6. §. 2.*
de iure codic. partim incisione, deletione, can-
 cellatione. *tit. de his quae in test. delent.*

IV. IRRITVM FIEBAT TESTAMEN- IV. Irrita et
destituta.
 TVM capitis deminutione, maxima, media,
 ac minima. *Maxima* enim seruum faciebat,
media peregrinum, *minima* filium familias.
 Cum vero nullus horum testari posset: facile
 patet, sic rem incidisse in casum, a quo inci-
 pere non posset. DESTITVTVM denique
 dictum esse testamentum, ex quo nullus heres
 erat, vel dupondii sciunt.

V. Denique RESCINDI testamentum di- V. Rescissa
per quere-
lam inoffi-
ciosi, cuius
quae ori-
go?
 cebatur per QVERELAM INOFFICIOSI.
 Eius originem diu ignoratam, ex antiquita-
 tis parietinis restituere iuuabit. Franc. Dua-
 renus *ad b. t. cap. II.* eam a principibus inuen-
 tam putat. Sed ante principes eam notam
 fuisse, patet ex Valer. Max. VII, 7. 2. Nec
 felicius eam ex praetoris edicto deriuat Pi-
 thoeus

thoeus *ad collat. leg. Mos. et Rom. XVI, 3.* Nam haec actio non, vt aliae praetoriae rei persecutoriae, ad actum rescindendum comperatae, annalis est, verum quinquennium durat. Nec praetor vnquam exhereditatis succurrit, vt ait Vlpianus *l. 8. pr. D. de bon. possess. contra tab.* Nec denique locus Paulli *Rec. Sent. IV, 8. 5.* ex quo id collegerat Pithoeus, hoc dicit, vbi tantum *actionis Praetoriae*, non querelae inofficiosi, fit mentio. Veriorem ergo originem sibi inuenire visus est Cuiac. *Obs. II, 21. XVII, 17.* Docet enim ex inscriptione *l. 4. D. de inoffic. test.* querelam hanc introductam esse lege GLICIA, quam lectionem etiam Codicis Florentini tuetur auctoritas. Et nihil sane Gliciiis Romae est celebrius. Frequenter eorum meminere Tacitus, Suetonius, Florus, Liuius, quin et marmora Capitolina, in quibus A. V. C. IOIII. laudatur

M. CLAVDIVS. C. F. GLICIA. QVI.
 SCRIBA. FVERAT. DICTATOR.
 COACT. ABDIC. SINE. MAG. EQV.

Steph. Vinand. Pigh. *Annal. Tom. II. p. 50.* Grut. *Infr. p. CCXC. II.* Vnde inuidia stimulatulus videri poterat Hotomanus, qui *Disp. de quarta legit. cap. I.* ne Cuiacio gloriam detectae legis tribuat, legem plane nullam agnoscit Gliciam, querelamque inofficiosi ex moribus magis, et consilio iureconsultorum, quam ex certa aliqua lege fluxisse, contendit. Cum Cuiacio sane faciunt recentiores pene omnes, et in his Ant. Augustin. *de Leg. et Sct.*

in lege Glicia, et Ian. Vinc. Graevina *de Leg. et Sct.* LXXX. p. 649. *seq.* Sed negari nequit, Hotomani sententiam Cuiaciana esse verosimiliorem. Gliciorum enim nomen, familiae, non gentile est. Leges vero a cognominibus cognominatae non definebant in IA sed in ANA, verbi causa lex Iunia Norbana. Sigon *de Nom. propr.* p. m. 1426. Ergo haec lex aut *Claudia* dicenda fuisset, aut *Gliciana*, non Glicia. Quare nihil dici potest verosimilius; quam quod moribus et iureconsultorum auctoritate inualuerit haec querela, et quidem libera adhuc republica. Meminerunt enim illius Cicero *adu. Verr. I, 42.* et Valer. Max. VII, 7. 5. ex quo constat, iam ad C. Calpurnium Pisonem hanc querelam fuisse delatam. Atqui praeturam hic Calpurnius gessit ann. V. C. IOCLXXXII. Scilicet liberrima olim erat patribus fam. testandi exheredandique facultas. Cum vero ea abuterentur homines maxime blanditiis nouercalibus deliniti: ICTi de remedio cogitare coeperunt, quo iniuste exheredatis succurreretur. Quod non obscure innuit Pomponius, dum latissimam illam potestatem testatorum *coangustatam* fuisse ait *interpretatione iura constituentium. l. 120. D. de verb. signif.* Iam quamuis ICTis nouas leges condere vel veteres euertere haud liceret: tan enim cum ex iuris principiis furiosi condere non possent testamentum; non alia ac commodiore colore iniuste exheredatis succurrere poterant, quam si fingerent, parentem liberos iniuste exheredantem sanae ac integrae mentis haud fuisse, idque inde demonstrarent, quod liberos bene

de se meritos sine iusta causa vel praeterierint vel exheredes scripserint Bynkersh. *Obs. II, 12. p. 153.* Πῶς γὰρ οὐκ ἔστιν ἐπιεῖν μανίαν, τὸ χαλεπαίνειν αὐτῶς κατὰ τῆς φύσεως; *Cur enim furor non diceremus, ita naturae succensere?* inquit interpretes *Basilic. XXXIX, 1.* Ceterum hanc actionem vocabant QVERELAM, ἐυφημίας ἕνεκα. Cognati enim non se inuicem accusare, sed inter se *conqueri* dicebantur. Voss. *Inst. Orat. I, 6. 2.* Neque tamen semper eo nomine venisse hoc remedium animaduertimus, sed illud aliquando actio, *l. 12. §. ult. l. 15. §. 2. D. l. 25. l. 27. C. de inoffic. test.* aliquando accusatio appellatur, *vt l. 6. §. ult. l. 17. l. 22. D. eod. tit.* Vocabant eandem querelam INOFFICIOSI, quia quemadmodum *beneficia aliorum sunt, ita officia eorum, quos necessitudo suscitatur, et opem ferre iubet.* Seneca *de Benefic. III, 8.* Contra officium ergo testati videbantur, qui proximos vel praeterierant, vel exheredes iniuste scripserant.

VI. Eiusdem
natura.

VI. Ceterum hac querela, testamento, ceteroquin sollenniter facto, obiciebatur dementia furorue testatoris. Non enim tanta inhumanitas cadere videbatur in sani capitis hominem, vt sine causa exheredes scriberet filios. Instituebatur ea in iudicio centumuirali seu quadruplici, vt patet ex Plin. *Epist. IV, 24.* Vnde et ipsa haec querela aliquando *iudicii centumuiralis* nomine venit. *l. 13. D. de inoff. test. Add. l. 17. D. eod. Valer. Max. VII. 7. 1, et 2, et VII, 8, 1.*

VII.

VII. Ceterum cessabat querela, relicta legitima, seu certa et legibus definita bonorum portione. Ea olim semper erat hereditatis quadrans. *l. 8. §. 6. et 8. D. de inoff. test. l. 2. C. de inoffic. donat.* Quae quarta quando et qua occasione inoleuerit, incompertum sibi esse fateatur Iac. Cuiac. *Observ. II, 21. III. 8.* vbi tamen eandem a Marco Imp. inuentam suspicatur, deceptus loco Nicephori. At inter primos Ian. a Costa *princ. Inst. de inoff. test.* et Claud. Chi. *de legit. port.* nec non post hos Ant. Schultingius *Iurispr. Anteiust. p. 382.* docuerunt, legitimam illam portionem ex legis Falcidiae rationibus prudentum interpretatione esse inductam. Sane heredibus, quibus inofficiosi querela competit, **QVARTAM FALCIDIAM** deberi, disertis verbis dicunt Paulus *Recept. Sent. IV, 5. 5.* et Vlp. *l. 8. §. 9. et 14. D. de inoffic. test.* Absolute quoque illam portionem **QVARTAM** vocat Plin. *Epist. V, 1.* et **FALCIDIAM** Iustinianus. *l. 31. C. de inoff. test.* Vnde patet, satis antiquam et forsan Augusti temporibus aequalem ^(a) esse legitimam illam portionem.

VII. Origo legitimae portioni.

VIII. Sed auxit illam portionem Iustinianus per *Nou. XCII.* et *Nou. XVIII, 1.* vbi legitimam portionem, si liberi quatuor, vel pauciores essent, trientem: sin quinque vel plures semissem esse iussit.

VIII. Inuecta a Iustiniano, mutatio.

M m 2

IX.

(a) Augusti enim temporibus latam esse legem Falcidiam, ostendimus infra *Lib. II. Tit. XX. seq. §. XIV.* Occasionem forsan dedit T. Tettius Vibo, qui filiam infantem exheredauerat. Val. Max. VII, 7. 3. *Reines. Inscript. p. XXI, 1.*

IX. Quibus casibus haec querela locum habuerit, vel non habuerit?

IX. Competebat porro haec querela non modo liberis aduersus parentes, sed et his aduersus liberos. Sane et matrum testamenta hac querela impugnata, legimus, iam ante SCt. Orphitianum, apud Plin. *Epist. V, 1.* Valer. Max. *VII, 7. 4.* Quod eo minus mirandum, quia ex eodem Valerio Max. *Lib. VII. Cap. 7. exemplo 2.* constat, etiam filios in adoptionem datos patrum naturalium testamenta impugnasse. Postea id remedium ad solos parentes, liberos, fratres restrictum *l. 1. D. b. t.* Immo iure nouo cessabat haec querela etiam in fratribus et sororibus, nisi turpis instituta esset persona: *l. 27. C. b. t.* cessabat etiam contra testamentum militis: *l. ult. §. 1. C. eod.* cessabat denique praescriptione quinquennii, *l. 8. §. ult. D. eod.* de quibus omnibus plenius agunt iureconfulti.

X. Heredes quotuplices?

X. Pergimus ad heredum qualitatem et differentiam. Erant illi vel NECESSARII, vel SVI et NECESSARII, vel EXTRANEI ac VOLUNTARII *pr. Inst. de her. qual.*

XI. Heredes necessarii.

XI. NECESSARII erant, qui cogebantur esse heredes etiam inuiti. Tales erant serui, quibus pro libertate data, id iugum imponebant leges, vt heredes esse cogerentur, quo subhastatio bonorum non fieret nomine dominorum, si forte aes alienum aliter dissolui non posset, sed sub eorum nomine. Infamiae enim quid habere videbatur illa subhastatio, quam hoc ordine factam nouimus. Proportione-

nebatur edictum a Praetore, quo creditoribus possessio bonorum dabatur. Qui ubi triginta dies a die deserti vadimonii possederant: eiusdem Praetoris iussu creari solebat Magister, ad bona distrahenda. Cic. *ad Attic. VI, 1.* Quintilian. *Inst. Orat. VI, 4. l. ult. D. de curat. bon. dand.* Tum fiebat praescriptio in celeberrimis vrbis locis: ITA ILLE DEBITOR NOSTER IN EIVSMODI CAUSA EST, UT BONA EIVS DIVENDI DEBEANT, QVICVNQVE EMERE VOLET, ADESTO. Theoph. *pr. Inst. de success. subl. quae fieb. per bon. vendit.* Idque est illud triste carmen magistri, de quo Cicero *de Orator. 1, 57.* vel libellus, bonis alicuius suspensus, apud Senecam *de benef. IV, 12.* Paucis diebus post denuo adeundus erat praetor, ut liceret legem bonorum vendendorum facere, atque inde ita v. c. praescribebant: HAEC QVICVNQVE EMERIT, CREDITORIBVS IN DIMIDIAM PARTEM EORVM, QVAE IPSIS DEBENTVR, RESPONDERE DEBET. Theophil. *ibid.* Interea aderant bonorum emtores, qui totam massam bonorum emebant, vocati etiam *sectores*, de quibus Cic. *pro S. Rosc. Amer. VI.* Scilicet sectores vocabantur, qui spem lucri sui secuti, bona condemnatorum semel auctionabantur, proque iis pecunias pensitabant singulis, ac deinde pro compendio suo singulas quasque res populo vendebant. Aescor. Paed. *in Verr. III. p. 1845.* Nonnunquam, si deesset sector, actio fiebat, eaque indicebatur acerba voce praconis, cuius formula, sed iocosa, est apud Plaut.

Menaechm. V, 9. v. vlt. Qua de re Cicero *Epist. ad Attic. VI, 1.* Sigon. *de ant. iure civ. Rom. I, 11. p. 149.* et *de Iudic. I, 18. p. 449. seq.* Ne ergo haec infamia in defuncti domini manes redundaret: ab obaeratis seruus instituebatur heres, et is cogebatur hereditatem adire, atque hinc dici solebat HERES NECESSARIUS.

XII. Sui et
necessarii.

XII. SVI et NECESSARII erant libri, NECESSARII, quia et ipsi heredes esse cogebantur: SVI, quia iam viuis parentibus quasi domini habebantur; §. 2. *Inst. b. t.* §. 3. *Inst. de hered. quae ab intest. l. 11. D. de lib. et postum.* Vnde et *particeps patris* eleganter dicitur filiusfamil. apud Terent. *Heauton. Act. I. scen. 1. v. 97.*

Nec fas esse, vlla me voluptate hic frui,

Nisi vbi ille buc saluus redierit meus particeps.

Quia tamen durum videbatur, ob defuncti parentis infortunium liberos superstites quasi infamiam contrahere: praetor ipsis postea concesserat beneficium abstinendi. *l. 11. l. 12. l. 57. §. 1. D. de acquir. hered. l. 71. §. 9. eod.* ex quo loco, id beneficium iam ante Sabini tempora liberis datum fuisse, apparet.

XIII. Extraneii.

XIII. Denique EXTRANEI erant, qui nec necessarii erant nec sui. His ergo liberum erat, vel adire hereditatem, vel repudiare, si magis expedire videretur, vnde et VOLVNTARIJ dicti. Adquirebatur scilicet hereditas *cretione*, si Charondae credimus, *aditione*, *proberede gestione*, *immistione*, *agnitione*. Charond. *ad Vlp. Fragm. XXII, 27.* qui tamen fallitur, dum immixtionem huc refert, cum
ea

ea ad heredes suos pertineat, quos ipso iure heredes esse, diximus. Quamuis autem *cretio* et *aditio* semper essent coniunctae: tamen ideo non illa erant synonyma, uti sibi persuasit Donell. *Comm. iur. ciu. VII, 8.* sed actus diuersi. Idque vel inde patet, quod sequiore aeuo hereditas etiam sine *cretione* adiretur, quale priuilegium matri, patruis, aliisque cognatis tribuerat Constantinus. *l. 1. et 2. C. Theod. de leg. heredit.*

XIV. CRETIO erat actus eorum, qui cum *cretione* erant heredes instituti. Vlpian. *Fragm. XXII, 25.* Cum *cretione* dicebatur institutus, cui testator iniunxerat, ut hereditatem cerne-
ret. Ea *cretio* erat vel PERFECTA vel IMPERFECTA. Nam si scripserat testator: TITIVS HERES ESTO, CERNITOQVE IN DIEBUS CENTVM PROXIMIS, QVIBVS SCIERIS POTERISQVE: NISI ITA CREVERIS, EXHERES ESTO. Vlp. *l. c. §. 27.* haec formula pertinebat ad *cretionem perfectam*. Sin vltima verba essent omissa: dicebatur heres institutus cum *cretione imperfecta*, itemque, si loco exheredationis adiectum esset, SI NON CREVERIS, TVNC MAEVIVS HERES ESTO. Vlp. *ibid. §. 34.* Erat quoque *cretio* vel VULGARIS vel CONTINVA. *Vulgaris*, in qua adiciebantur verba: QVIBVS SCIERIS POTERISQVE. *Continua*, in qua non adiciebantur. Vlp. *Fragm. ibid. §. 31. 32.* Ceterum horum verborum ea erat vis et potestas, ut in *cretione vulgari* dies tantum utiles; in *continua* omnes nu-

XIV. Cretio hereditatis quid et quod-tuplex.

merarentur. Schulting. *ad Vlpian. ibid. p. 644.* Cernere vero hereditatem, non erat facere, ut viderent, aliquem esse heredem, ceu interpretatur Varro *de lingua lat. V, 8. p. 43. edit. Goltzbofr.* sed decernere, se heredem esse velle, ceu ipse Varro *Lib. VI, 5. p. 57.* rectius atque accuratius docet. Cuiac. *Obs. VII, 18.* Iac. Perizon. *Not. ad Sanct. Mineru. IX, 15.* Fiebat ista creatio intra certos dies, praesentibus testibus. Cicero *ad Att. XIII, 44.* Sic centum dierum meminit Vlpian. *ibid.* et ius nostrum *l. 22. §. 1. D. quando dies leg. ced. l. 3. §. 8. D. de minorib. l. 2. §. ult. D. de suis et leg. hered.* quae loca veterem ritum creationis redolere videntur: sexaginta dierum Cicero *Epist. ad Attic. XIII, 44.* In ipso actu dicenda ab herede erant verba creationis: CVM ME MAEVIVS HEREDEM INSTITVERIT, EAM HEREDITATEM ADEO CERNOQVE. Vlp. *ibid. §. 28.* Barn. Briffon. *de Form. VII. p. 600. et 601.* Et hinc CRETIONIS SOLLENNITAS, *l. vn. C. Theod. de creat. et honor. possess.* SCRVPVLOSA SOLLENNITAS, *l. 8. C. Theod. de matern. bon.* CRETIONIS COMMENTVM, *l. 1. C. Theod. eod.* CRETIONEM DICERE, *l. 5. C. Theodos. eod. tit.*

XV. An aliis
sollemnitati-
bus opus fue-
rit adituris
hereditatem?

XV. Dictis creationis verbis, heres dicebatur *hereditatem adiisse*. Nec aliis ritibus quam illa testatione mentis, facta videtur hereditatis aditio, quamvis quibusdam casibus aditio et sine creatione fieri posset. Sunt equidem qui aditas hereditates existimant percussione digi-

digitorum: Cuiac. *Obs.* VII, 18. Merill. *Obs.* IV, 34. quod signum domini apud veteres fuisse, putant. Alii etiam saltationem addunt, quasi laetitiae signum. Ant. Dadin. *Alteserra de fiction. iur. Tract.* III, 19. Sed utrumque ritum collegere ex male intellecto loco Ciceronis *de offic.* III, 19. ad quem addendae eruditae observationes Io. Ge. Graevii. Addunt alii Ambros. *de offic.* III, 2. Sed et hic Ciceronem non intellectum manifesto exscripsit.

XVI. Qui sine cretione heredes erant scripti, ii etiam sine aditione sola, PRO HEREDE GESTIONE heredes fieri poterant (b). Pro herede vero gerebat, qui rebus hereditariis, tanquam dominus, utebatur, veluti qui auctionem rerum hereditariarum faciebat, servis hereditariis cibaria dabat etc. Ulpian. *Fragm.* XXII, 26.

XVI. Quid pro herede gestio?

XVII. IMMIXTIO ad necessarios et suos heredes pertinebat. AGNATIONEM, sublata cretione sollemnii aiunt inualuisse. §. ult. *Inst. de hered. qual. et different.* §. ult. *Inst. de bon. poss.* Sed sic ea vel ab aditione non differt, vel ad bonorum possessionem potius, quam ad hereditatem, pertinet. Sustulit vero cretionem in bonis maternis Constantinus, l. 1. C. *Theod.*

XVII. Quid immixtio et agnitio?

Mm 5 de

(b) Addidi *etiam*, quia et hi cernere poterant hereditatem, si volebant, nec tamen cogebantur. Petr. Fabr. *Semestr.* II, 22. Aucran. *Interp. iur.* 2. 12. 15. p. 151.

de matern. bon. nec non Constantius *l. 4. Cod. Theod. eod.* et Valentinianus *l. vn. C. Theod. de cretione.* Postea eandem penitus aboleuit non Arcadius, vt in *l. 17. C. de iure delib.* dicitur, sed Iustinianus, inuento beneficio inuentarii, (de quo *l. fin. C. de iure delib. Nou. I, 2. 1.*) Quilibet enim tuto adire ex eo potuit hereditatem, cum eo ipso bona heredis et defuncti separentur, omnisque impediatur actionum confusio.

TIT. XX - XXII.

DE

LEGATIS, EORVMQVE ADEMTIONE,
ET TRANSLATIONE, ET LEGE
FALCIDIA.

Hactenus Imperator de vniuersalibus acquisitionibus egit, ad easque etiam plures, qui infra sequentur, tituli pertinent. Placuit tamen illi, interserere hic singularum rerum acquisitionem, quae per legata fit. An satis concinne, alii videant. Nos pauca ad hos quoque titulos delibabimus.

I. Legatum
quid?

I. LEGATVM est donatio, quae legis modo, id est imperatiue, testamento relinquitur. Vlp. *Fragm. XXIV, 1, Legis modo* inquit Vlpianus, quia veluti legem testator dicit heredi, quid ab eo praestari velit, vnde et graecis legare, est

νομοθετεῖν (a) *Novell. XXII, 2.* Io. Chrysoft. *Homil. I. ad Act. Apost. p. 615.* Quin et ipsum verbum LEGARE nihil significat aliud, quam mandare et veluti legem dicere. Ita Plaut. *Casim. I, 1. v. 12.*

Quin potius quid tibi LEGATVM EST negotium

Id curas?

Hinc LEGATI dicuntur a *legando*, quia cum mandatis mittuntur, non quia publice leguntur. Cui conicit Varro *de Lingu. Lat. VI, 16. n. 7.* Nec aliam ob causam RELEGATI appellantur, quam quia *lege*, a populo vel principe lata, ciuitate exesse iubentur. *Imperatiue* ergo fieri debebat haec donatio, id est, *verbis directis. l. 2. C. commun. de legat. l. 15. C. de testam.* Scholiaf. Horat. *ad Satyr. II, 1. 9.* Verba enim precaria non erant valida ex legibus XII. tabularum, sed ex voluntate tantum heredum descendebant. Denique *testamento* relinquenda erant legata, non codicillo, antequam scilicet Iustinianus legatorum fideique commissorum naturam exaequasset.

II. Legatorum genera erant quatuor, VIN- II. Legata
DICATIONIS, DAMNATIONIS, SINEN- quotuplicia?
DI MODO, et PRAECEPTIONIS. Caius
Instit. II, 5. 1. Vlp. Fragm. XXIV, 2. Paull. Sent. Recept. III, 7. (b). Quorum differentiam licet
fustu-

(a) Hinc testatores plane more legislatorum loquebantur. Hi verbis imperatiuis vti solebant; iisdem utebantur testatores: FRAECIPITO, SVMITO etc. Legislatorum formula erat DAMNAS ESTO, *l. 2. pr. l. 27. § 5. D. ad L. Aquil.* Eadem vero etiam testatoribus sollennis erat.

(b) Ant. Faber. *Coniect. VI, 1.* quatuor species ad duas reuo-

fustulerit Iustinianus, dum legatorum omnium, quibuscunque tandem relicta sint verbis, eandem naturam esse voluit: *l. 2. C. comm. de legat.* olim tamen permultum intererat inter haec legatorum genera, quae a iureconsultis disputatione fori inducta esse, non abs re existimat V. C. Schultingius *ad Vlp. l. c. p. 649.*

III. Legatum
per vindica-
tionem.

III. Per VINDICATIONEM his verbis legabant: DO LEGO, SVMITO, HABETO. Vlpian. *ibid.* §. 3. quibus Caius *Inst. II, 5.* addit formulas: ILLAM REM TIBI PRAESVME, VINDICA. Tunc vero legatum erat in legatarii arbitrio, idque ipse sibi, adita hereditate, statim capere vel rei vindicatione petere poterat. Tale erat illud apud Virgil. *Aeneid. V. v. 533.*

SVME, pater, (*nam te voluit rex magnus Olympi*

Talibus auspiciis exsortem dicere honorem,)

Ipsius Anchisae longaeui hoc munus HABEBIS.

Ad quae verba Seruius, Scholiastes: *Sume, inquit, percipe. Nam verbum est iureconsultorum quo utuntur, quoties legatum non ab herede datur, sed est in accipientis arbitrio, id est, vindicationis, vel optionis.*

IV. Legatum
per damna-
tionem.

IV. Per DAMNATIONEM legabatur his verbis (c): HERES MEVS DAMNAS ESTO DARE, DATO, FACITO, HEREDEM MEVM DARE IVBEO. Vlpian. *ibid.* §. 4. Vim

reuocat, *vindicationis et damnationis, cui tamen respondit Ofw. Hillig. Donell. enucl. Lib. VIII. p. III.*

(c) Dicebatur enim tunc res *optime iure* legata Vlpian. *Fragm. XXIV, 11.*

Vim verborum illorum, quibus, ceu ex *l. 2. pr. et l. 27. §. 5. D. ad L. Aquil.* apparet, etiam legislatores utebantur, idem explicat Seruius ad Virgil. *Aeneid. XII, v. 727. In iure cum dicitur DAMNAS ESTO, hoc est, damnatus es, vt des, hoc est, damno te, vt des, neque alias libereris.* Perinde ergo hic heres erat obligatus, ac si vel a iudice, vel ab ipso legislatore, esset damnatus. Vnde et lis inficiando crescebat in duplum. Paull. *Recept. Sent. I, 19. 1.*

V. SINENDI MODO ita legabatur: **HERES MEVS DAMNAS ESTO SINERE L. TITIVM SVMERE ILLAM REM, SIBIQVE HABERE.** Vlpian. *Fragm. XXIV, 5.* Cai. *Inst. II, 5. 9.* Heres ergo damnabatur quidem, vt aliquid sumi pateretur, sed legatario simul permittebatur, vt aliquid iumere posset.

VI. Denique **PER PRAECEPTIONEM** legabant his verbis: **L. TITIVS ILLAM REM PRAECIPITO.** Vlp. *Fragm. XXVI, 6.* vel vt in notis Magnonis est: **P. S. T. Q. H. PRAECIPITO SVMITO, TIBIQVE HABETO.** Res hoc modo legata *praeclegatum* vocabatur, vel *praecipuum*. Fest. *voce excipuum p. 284.* idque relinquebatur vni ex coheredibus. Exempla sunt ap. Val. Max. VII, 8. 4. Plin. *Ep. V, 7.* Sidon. *Ep. VI, 12.*

VII. Differentia inter hos legandi modos non vna erat. Per **VINDICATIONEM** legari poterant res, quae tempore mortis et facti testamenti testatoris ex iure Quiritium fuerant (*d*). Quod

li ta-

(*d*) Si res legata pondere, mensura, numero constabat

si tamen res quae non utroque tempore in dominio testatoris erat, ita legaretur: Sct. Neronianum huiusmodi legatum eatenus sustinebat, ut in legatum damnationis inflecteretur. Vlp. *Frag. XXIV, 11*. Per DAMNATIONEM res omnes legari poterant, etiam alienae, dummodo tales essent, ut dari possent. Vlp. *Fragm. l. c. §. 8*. Cai. *Inst. II, 5. 6*. SINENDI MODO legabantur res propriae testatoris et heredis. Vlp. *ibid. §. 10*. non alienae, uti visum Caio. Denique PER PRAECEPTIONEM relinquebantur eadem, quae per vindicationem. Vlp. *Frag. XXIV, 11*. Si coniunctim una res legata fuerat pluribus PER VINDICATIONEM: pars deficiens ceteris collegatariis adcrefcebat: sin vero PER DAMNATIONEM: pars deficiens penes heredem manebat Oiscl. *ad Cai. Inst. II, 5. 4*. Legatum vindicationis poterat repudiari: *l. 7. l. 44. §. 1. l. 86. §. 2. D. de legat. 1.* non aequè legatum damnationis. Plures differentias dedit Merrill. *Obs. VI, 32*.

VIII. Ea sublata est a Iustiniano.

VIII. Sustulit hanc differentiam, ceu supra diximus, Iustinianus (e), ita tamen sustulit, ut non

bat, sufficiebat, si tempore mortis iure Quiritium testatoris esset. Ratio vero, ob quam hic exigebatur dominium Quiritarium, haec erat, quia legatario eiusmodi concedebatur rei vindicatio, quae olim instituebatur haec formula. HANC EGO REM EX IVRE QVIRITIVM MEAM ESSE AIO. Cicero *pro Mur. XII*. Hac vero formula utique uti haud potuisset legatarius, nisi res legata testatoris fuisset ex iure Quiritium. Vid. V. C. Schulting. *Iurispr. anteiust. p. 651*.

(e) Primo Sct. Neroniano non quidem sublata, quae inter formulas legandi erat differentia; sed tamen

non fatis cauta plures leges, quae ad istud discrimen pertinent, pandectis inferi permiserit. Vid. M. Aurel. Galuan. *de vsufr.* XL. *vlt.* V. C. Schulting. *Jurispr. ant.* p. 849. Merrill. *Obs.* VI, 33.

IX. Porro non modo singulae res legari poterant, sed vniuersarum quoque pars, vt puta: MAEVIVS HERES MEVS CVM TITIO HEREDITATEM MEAM PARTITO, DIVIDITO. Quo casu dimidia pars conorum legata videbatur. Poterat et alia pars, veluti tertia, quarta, quinta, legari, quae species PARTITIO appellabatur. Vlp. *Fragm.* XXIV, 25. §. 5. *Inst. de fidei-comm. hered.* Cicero *pro Caecin.* IV. et V.

IX. Legata pars hereditatis.

X. Legari non poterat a legatario, nec legatum dabatur, nisi extraneo. Non autem filiofamilias heredi instituto, vel seruo proprio, nec ei, qui in heredis potestate mancipioe erat, nisi sub conditione. Vlp. XXIV, 20. *seq.* Legari etiam olim non poterat ciuitatibus, postea poterat ciuitatibus illis quae sub imperio Populi Romani erant, idque primum a Nerua introductum, ac postea sub Hadriano SCto diligentius cautum fuerat. Vlp. *Fragm.* XXIV, 28. Quod deinde D. Marcus etiam ad collegia, l. 20. *D. de reb. dub.* immo et ad vicos extendit. l. 73. §. 1. *D. de legat.* I. Vid. Merrill. *Variant. ex Cuiac.* II, 14. V. C. Schulting. *Jurispr. Ant.* p. 659.

X. A quo et quibus legari potuerit.

XI.

constitutum, vt si alio modo aliquid relictum esset, saltim valeret, tanquam si esset per damnationem relictum. Vlp. *Fragm.* XXIV, 11. Postea Constantinus M. verborum quidem, ad non actionum differentiam sustulit. l. 15. *C. de test.* l. 21. *C. b. r.* Denique et hanc aboleuit Iustinianus. Vid. Ian. a Costa ad *Inst.* §. 2. *b. r.*

XI. Legata
poenae no-
mine relicta.

XI. Anceps quoque inter eruditos quaestio est de legatis POENAE NOMINE RELICTIS. Iustinianus enim haec ita definit §. *ult. Inst. de legat. Poenae nomine legari videtur, quod coercendi heredis causa relinquitur, quo magis aliquid faciat, aut non faciat: veluti si quis ita scripserit: HERES MEVS, SI FILIAM SVAM IN MATRIMONIUM TITIO COLLOCAVERIT, vel ex diuerso, SI NON COLLOCAVERIT, DATO DECEM AVREOS SEIO.* Addit Iustinianus, eiusmodi legata veteri iure prohibita fuisse, (idque etiam constat ex Iul. Capitolin. Anton. Pio VIII. Ael. Helu. Pertiv. VII.) se vero ea rata esse iussisse, dummodo nihil impossibile, vel legibus interdictum, vel alias probrosum, fuerit heredi iniunctum.

XII. Dubia
aduersus
hanc doctri-
nam.

XII. Sed animaduertit amplissimus Bynhershoeckius, hac admissa definitione, vix superesse discrimen inter legata conditionata, et poenae nomine relicta. Legislatorum instar erant morientes, et si in tabulis scripserant: LEGO SEIO CENTVM, SI FILIAM TITIO VXOREM DEDERIT, rata erat haec vltima voluntas. Cur quaeso legatum poenae nomine relictum illicitum fuisset habitum, si scriptum esset in tabulis: HERES, SI FILIAM TITIO VXOREM DEDERIT SEIO DECEM AVREOS DATO. Quid, quaeso, inter utramque formulam interest? Bynkersh. *de legat. poenae nomine rel. III. p. 361. seq.*

XIII. Clarif-
fimi Bynkers-
hoeckii sen-
tentia.

XIII. Existimat ergo vir laudatissimus, Tribonianum, quid veteribus legata poenae nomine relicta fuerint, non satis intellexisse. Nam

ex

ex l. 1. D. de his quae poenae caus. relinquuntur apparere, ea legata poenae nomine visa relinquere quibus testator heredem ad probrosum aliquid faciendum cogere voluerit. Bynkersh. *ib. cap. IV.* Quae si ita sint, Iustinianus profecto nihil noui statuit, dum, quae veteres tanquam regulam posuerant, ipse loco exceptionis habuit, regulam fingens, veteribus incognitam.

XIV. Sed non est fortassis, quod Iustinianum plane deseramus, quippe cuius definitionem etiam Vlp. agnouit. *Fragm. XXIV, 17.* Scilicet saepe heredem legatis, non nisi vexandi causa, onerabant testatores, iisque illum ad aliquid faciendum committendumque adigebant, nulla alia adducti ratione, quam stolidi voluntate. Tale erant testamentum Staberi, de quo Horat. *Sat. II, 3. v. 84. seq.*

XIV. Eius illustratio.

*Heredes Staberi summam incidere sepulcro,
Ni sic fecissent, gladiatorum centum
Damnavit populo paria, atque opulum arbitrio Arri,
Frumenti, quantum metit Africa.*

Cum ergo disputarent veteres, an legata eiusmodi valerent, quibus heres ad aliquid sine ratione contra animi sententiam faciendum omittendumque cogeretur: Iustinianus has tricas sustulit, iussitque, haec legata rata esse, exceptis iis, quae vel impossibilia essent, vel legibus interdicta, vel alias aperte probrosa. Vid. Gundlingii *Diss. de principe hered. VI. 32. p. 78.*

XV. Quemadmodum vero legibus XII. Tabularum tantum quisque legare poterat, quantum volebat: ita inde fiebat, ut plures hereditatem tot legatis exhaustam adire nollent. Hinc

XV. Lex Furia testamentaria.

primo lata LEX FVRIA testamentaria a C. Furio, Tribuno plebis (*f*), qua cautum, ne cui liceret ultra mille asses (*g*) vel legare, vel mortis causa donare, praeterquam cognatis, certisque personis, quales erant e. g. cognati manu-missoris. Vlp. *Fragm. XXVIII*, 7. Si quis alius ultra hanc summam legatum acceperat: non rescindebatur quidem legatum, sed legatarius tamen quadruplum reddere cogebatur. Vnde hac lex *minus quam perfecta* dicitur Vlpiano *Fragm. I*, 2. Confer. Cuiac. *Observ. XX*, 31.

XVI. Lex Voconia.

XVI. Mox vero hanc legem elusit Romanorum calliditas. Coeperunt enim vni quidem non ultra mille asses legare, sed tamen tot scribere legatarios, ut et sic penes heredem nihil, aut parum, remaneret. Hinc postea LEX VOCONIA, a Q. Voconio Saxa, A. V. C. IƆXCIV. Caepione et Philippo Coss. lata est, ex qua lege non solum femina, heres institui haud poterat, nisi in certa bonorum parte: sed et illud cautum fuerat, ne quis census plus vlli legaret, quam ad heredem heredesue perueniret. Cic. *Verr. I*, 43.

XVII. Eius obliitteratio.

XVII. Erimuero etiam Voconia illa lex obliitterata demum est per opulentiam ciuitatis: Gell.

(*f*) Vir doctus Guid. Pancirol. *Thesaur. Var. Lect. II*, 178. eandem hanc legem putat cum Furia Caninia. Qua in re eum perspicue errare, vel inde patet, quod hac Lex fuit Voconia antiquior: Fusiam autem Caniniam demum sub Augusto latam, supra demonstraui-mus.

(*g*) Cuiacius *Obs. XIX*, 31. Substituit *mille aeris* quomodo et Varro de *L. L. lib. VIII*. dicit, *mille aeris legasse*. Sed *as* et *aes* olim promiscue dicebatur. Ponderus vero assium pro temporum ratione varium fuisse docet Plin. *Hist. Nat. XXXIII*, 3.

Gell. Noct. Att. XX, 1. nec, *sufficiens ad rei con-
summationem visa est. princ. Inst. de L. Falcid.* Ergo nouissime demum lata est LEX FALCIDIA.

XVIII. Est et hoc plebiscitum, quod tulit P. Falcidius Trib. pleb. (b) temporibus triumuiro-
rum Cn. Domitio M. F. Caluino, et C. Asinio Pol-
lione Coss. (i) anno ab V. C. ΙϞϞϞϞϞϞ. vt te-
stantur Dio Cass. XLVIII. p. 377. Euseb. Chron.
num. MDCCCCLXXXVIII. et Isidor. Etymol.
V, 15. Breuissime Dio: καὶ ὁ νόμος Φαλκίδιος
ὠνομασμένος, (πλείστη καὶ νῦν ἐτι ἰσχὺν ἐς τὰς τῶν
κληρῶν διαδοχὰς, ὡς τε τινὰ τὸ τέταρτον καὶ κατα-
λειφθείσης οἰσίας ἂν γέ πη βαρύνηται, λαβόντα
τὸ λοιπὸν ἀφεῖναι, ἔχων,) ὑπὸ τῆς πεπλίης Φαλκιδίης
δημαρχῆντος ἐτέθη. *Lex etiam Falcidia a P. Fal-
cidio Tribuno plebis lata, quae nunc quoque plu-
rimum valet in hereditatibus adeundis: ea au-
tem permittit, vt heres, si adire hereditatem
grauetur, quadrante accepto, reliquum dimittat.*
Sed non videtur tamen vir doctissimus vim le-
gis satis percepisse. Ea enim non permittit he-
redi, quadrante accepto, hereditatem repudia-
re, sed testatorem obstringit, vt quartam he-
redi saluam relinquat, idque si non fecerit,

XVIII. Lex
Falcidia.

N n 2

here-

(b) Ridiculus ergo Glossatorum error est, qui Falcidiam
hanc legem dictam volunt ἀπὸ τῆς Φάλκιδος, ὃ δηλοῖ
δρεπάνην, id est, a falce vel defalcando. Vid. Scholiast. in
Harmenopul. *Promptuar. V. 9.* Eundem tamen errorem
etiam Latini Glossatores fecerunt, ceu in praefatione
obseruauimus.

(i) Non anno ΙϞϞϞϞϞϞ. P. Seruilio Isaurico iterum et
L. Antonio Coss. vt iratit Alexander *ad Cai. Inst. II,*
6. 1. p. 121.

heredi potestatem facit, tantum detrahendi legatariis, quantum desit quartae suae.

XIX. Eius
capita et le-
gitima verba.

XIX. Lex, cuius ipsa legitima verba supersunt
l. i. D. ad L. Falcid. pluribus constitit capitibus (*k*), quorum priore libera permittitur legandifacultas his verbis: QVI CIVES ROMANI SVNT, QVI EORVM POST HANC LEGEM ROGATAM TESTAMENTVM FACERE VOLET, VT EAM PECVNIAM, QVASQVE RES, QVIBVSQVE DARE LEGARE VOLET, IVS POTESTASQVE ESTO. (VT HAC LEGE SEQVENTE LICEBIT (*l*)). Secundo capite modus legatorum constituitur: QVICVNQVE CIVIS ROMANVS POST HANC LEGEM ROGATAM TESTAMENTVM FACIET, IS QVANTAM CVIQVE CIVI ROMANO PECVNIAM IVRE PVBLICO DARE LEGARE VOLET, IVS POTESTASQVE ESTO, DVM ITA DETVR LEGETVR NE MINVS, QVAM PARTEM QVARTAM HEREDITATIS EO TESTAMENTO HEREDES CAPIANT. EIS, QVIBVS QVID ITA DATVM LEGATVMQVE ERIT, EAM PECVNIAM SINE FRAVDE SVA CAPERE LICETO: ISQVE HERES, QVI EAM PECVNIAM DARE IVSSVS DAMNATVS ERIT, EAM PECVNIAM

(*k*) Magna cura ea capita collegit illustravitque Francisc. Balduinas, et cum lege Voconia, Iulia, Papia Poppaea, Rhodia, Aquilia edidit. *Baf.* 1559, 8.

(*l*) Adduntur in vulgatis editionibus verba VT HAC LEGE SEQVENTI LICEBIT: sed ea *νοθεύονται*, ut observavit Cuiac. *ad C. ad L. Falc.*

NIAM DEBETO DARE, QVAM DAMNATVS EST. Ex his ergo fatis constat de vera legis Falcidiae sententia, meritoque pro incepti leguleii additamento reputanda sunt illa apud Hieronym. *in Cron. C. Falcidius tribunus plebis, leg. tulit, ne quis tamento plus legaret, quam ut quarta pars apud heredes superesset*, SI HEREDES QVATVOR AVT MINVS ESSENT: SIN AVTEM PLVS QVATVOR: TVNC II. SEMISSEM RETINERENT (*m*). Vid. A. Cont. Lect. *Subces. I, 3.*

XX. Ceterum deductio quartae, quam lex haec Falcidia permittit, imperante Vespasiano ad fideicommissa vniuersalia primum producta est SCt. Pegasiano; deinde etiam ad singularia §. 5. *Inst. de fideic. hered.* immo et ad fideicommissa, ab intestato relicta, quod a D. Pio factum refert Paull. ICt. *l. 18. D. ad L. falcit.* ac denique ad donationes mortis causa ex constitutione Severi. *l. 5. C. eod. l. 2. C. de don. mort. caus.* Id quod tamen ab intestato admittendum haud videtur Cuiacio *Obs. III, 17.* quia mortis causa donationes ab intestato factae legatis non aequiparentur. *l. 20. §. 1. D. de mort. caus. don.* Verum legis Falcidiae vires maxime elisit IVSTINIANVS, permittendo facultate testatoribus, vtiliter prohibendi Falcidiae detractionem, cum antea huiusmodi voluntati, quantumuis expressae, heredes minime parere cogentur. Vid. Vinc. Grau. *de Leg. et SCt. Rom. LXXVII. p. 637.*

XX. Relationes et mutationes huius legis.

N n 3

XXI.

(*m*) Haec enim ex recentissimo Graecorum iuro esse, erudite demonstravit Oifel. *ad Cui Inst. II, 6. 1. p. m. 120.*

XXI. Conclusio tituli.

XXI. Quae alias de sensu legis Falcidiae casibusque eo pertinentibus disputari solent, ea a Doctoribus dudum sunt occupata, nec tam ad antiquitates, quam ipsam Iurisprudentiam pertinere videntur.

TIT. XXIII - XXV.

DE

FIDEICOMMISSIS VNIVERSALIBVS ET
SINGVLARIBVS, ET DE CODICILLIS.

Hactenus de hereditatibus et legatis, quae verbis directis relinquuntur: iam etiam de FIDEICOMMISSIS agendum, propter quae cum codicilli reperti sint, eadem opera etiam de codicillorum origine ac iure erit differendum.

I. Fideicommissa veteri iure inuvalida.

I. Vetere iure Romano non ratae erant vltimae voluntates, nisi verbis imperatiuis conceptae. Lex enim XII. Tabular. ea solum confirmabat, quae quis *legasset*. LEGARE vero erat veluti *legem dicere*, atque adeo testatoris non erat, vti verbis precatiuis, sed directis et imperatiuis (a). Hinc inter ea, quae ex XII. tabulis erant licita, l. 120. D. de verb. signif. non referuntur fideicommissa, et id sibi volunt verba Vlpiani *Fragm. XXV, 1. Fideicommissum est, quod non ciuilibus verbis, sed precatiuis, relinquitur: nec ex rigore iuris ciuilis proficiscitur, sed ex voluntate datur relinquentis.*

II. Quibus formulis relicta?

II. Relinquebantur ergo fideicommissa verbis

(a) Vide supra *Lib. II. Tit. XX-XXII, n. 1.*

bis precatiuis, vel ab heredem fiduciarium, vel ad eum, cui relinquebantur, directis. Paull. *Sent. IV, l. 5. et 6.* Magis enim hic voluntas spectanda videbatur, quam verba, *l. 16. C. de fideic.* nec proinde tam quaerendum, quocum quis loqueretur, quam in quem voluntatis dirigeretur intentio. *l. 77. §. 26. D. de legat. 2.* Hinc passim in iure nostro formulae occurrunt: FIDEI TVAE COMMITTO, PETO, C. SEII, CONTENTVS SIS ILLA RE. VOLO TIBI ILLVD PRAESTARI, ROGO, PETO, VOLO, MANDO (*b*). DEPRECOR. CVPIO, INIUNGO, DESIDERO, IMPERO. etc. Et quamuis Paull. *l. c.* excludat verba RELINQVO et COMMENDO, quae ipse nullam fideicommissi actionem parere existimat: hae tamen formulae etiam, vt et aliae omnes, idoneae visae sunt post *l. 2. C. commun. de legat. et fideicomm.* Vid. Cuiac. *ad Paull. ibid. p. m. 385. seq.* Barn. Briffon. *de Form. VII. p. 668. seq.*

III. Quod si ergo verbis eiusmodi precatiuis aliquid esset relictum: heredis erat arbitrium, velletne illud praestare, an nollet. Nullo enim iuris vinculo, sed tantum pudore et fide eorum, qui rogati erant, continebantur fideicommissa. *§. 1. Inst. b. t.* Saepius tamen veteres heredum fidei committebant, siue clam, siue verbis in testamento expressis, maxime si iis quidquam relinquere cuperent, qui per leges erant incapaces. Cuius rei exempla sunt apud Cicero-

III. Fideicommissorum natura ante Augusti tempora:

N n 4 nem

(*b*) Immo et IVBEO, quod praecatiuum esse negat Alciatus. Vid. *l. 28. §. ult. de libert. leg.*

nem *de Fin. II, 58. Quintil. Decl. CCCXXIV.* et Val. Max. IV, 2. 7. qui refert, Q. Pompei. Rufum exulem, cum ex testamento ciuis Romani nihil capere potuisset, tamen bona cuiusdam accepisset, qui matri praedita sua fideicommisserat, vt hæc illa inio Pompeio restitueret. Sed eiusmodi fideicommissa, vt dixi, non necessario praestabantur, poteratque adeo hereditas ab herede fiduciario impune retineri. Quamobrem et hereditatem, ex fideicommisso restitutam, fiduciarium veluti liberalitati imputabant. Et ita ego interpretor verba in marmore apud Rein. *Inscr. Class. II, 73. L. CESTIVS QVA EX PARTE ADEVM HEREDITAS M. AGRIPPAE MVNERE PERVENIT.*

IV. Augusti
ca de re con-
stitutio.

IV. Primus rem mutauit, et fideicommissa, quorum antea mos inter exempla probitatis et perfidiae fluctuauerat, et exemplo, et seueritate, stabiliiuit Augustus. De quo ipse Imperator noster, §. 1. *Inst. b. t. Postea D. Augustus primus semel iterumque, gratia personarum motus, vel ob insignem quorundam perfidiam, iussit consulibus auctoritatem suam interponere. Quod quia iustum videbatur, et populare erat, paulatim conuersum est in assiduam iurisdictionem, tantusque eorum fauor factus est, vt paulatim etiam Praetor proprius crearetur, qui de fideicommissis ius diceret, quem FIDEICOMMISSARIVM appellant.* Ex hoc ergo loco patet, I) primum Augustum fidei suae commissa praestitisse, gratia personarum motum. Personae vero illae procul dubio fuerunt L. Lenulus, et eius heres fideicommissarius. Nam ex illius persona etiam fideicommissa coepisse dicuntur.

tur. *pr. Inst. de codicill.* Discimus deinde, II) Augustum negotium dedisse Consulibus cognoscendi de fideicommissis, nominatosque heredes ad restituendas hereditates compellendi. Quae iurisdictio Coss. tantum delegata erat a Principe, nec ad prouincias pertinebat, vbi fideicommissa executionem nullam habebant, antequam Claudius id negotium Praesidibus daret. *Suet. Claud. cap. XXIII.* Praeterea ex eo loco intelligimus. III) Praetorem fideicommissarium (c) ideo postea creatum, vt tanto accuratius de fideicommissis ius diceretur. In quo tamen, nescio, an Imperator fallatur. Constat enim primo ex *Sueton. Claud. XXIII.* Claudium Imperatorem non vnum, sed duos constituisse praetores fideicommissarios, qui praeter morem non darent iudices pedaneos, sed ipsi cognoscerent, et ferrent sententias, quamuis postea vnum horum Praetorum detraxerit Traianus *l. 2. §. 32. de Orig. iur.* Deinde et constitutis iam praetoribus fideicommissariis, consules concurrentem iurisditionem cum iis exercebant. *Vlp. Fragm. XXV, 12.* ita quidem, vt apud consules de maioribus; apud praetores fideicommissarios de minoribus summis ageretur. *Quintilian. Inst. Orat. III, 6. Conf. Cuiac. Obs. XXI, 34. Merill. Obs. VI, 36.* Immo nonnunquam ipsi Imperatores de fideicommissis cognoscebant: quale quid de Commodo Imperatore refert *Papinianus. l. 26. D. de probat.*

Nn 5

V.

(c) Vocatur et PR. DE FIDEICOMMISS, in *Inscriptionibus Gruteri p. CCCXCIII, 6.*

V. Senatus-consultum Trebellianum.

V. Cum ergo semel fiduciarii essent certa iuris necessitate obstricti, neque amplius fideicommissorum restitutio ex heredum voluntate penderet; factum est, ut saepe in hunc onus omne obligationum; commodum vero in fideicommissarium transferretur. Cuius rei causa cum haud raro testamenta destituerentur: imperante Nerone VIII. Kal. Sept. L. Annaeo Seneca et Trebellio Maximo Coss. suffectis, factum est SCtum, ut restituta ex testamento vniuersa hereditate, actiones omnes, quae heredi et in heredem competebant, simul cum hereditatis commodo transirent in eum, cui restitueretur hereditas. §. 4. *Inst. b. t.* Non vero directe actiones ab herede remouebantur, sed vtilis tantum fideicommissario, et in eum, dabantur a Praetore, adeoque heres, conuentus a creditoribus ex SCt. Trebelliano habebat exceptionem. *l. 1. §. 4. D. ad SCt. Treb. l. 1. §. 8. D. quand. de pecul. act. annal. est.*

VI. Senatus-consultum Paganianum;

VI. Quoniam vero sic etiam heredes rogati, inutilem molestiam refugientes, repudiabant hereditatem, ex qua nihil ad eos commodi esset rediturum: sub Vespasiano, Pegaso et Pusione Coss. SCt. conditum est, quo permittebatur heredi fiduciario detrahere quartam ex bonis fidei suae commissis. Adeoque hoc SCt. legem Falcidiam, quae ad legata tantum pertinebat ad fideicommissa etiam vniuersalia protulit. §. 5. *Inst. b. t. Grauius de Leg. et SC. LXXVIII. p. 639.*

VII. Stipulationes necessariae inter heredem et

VII. Nihil tamen hoc SCt. fuerat de actionibus hereditariis cautum, sed post illud ipse heres onera hereditaria sustinebat. *d. §. 5. Inst. b. t.*

b. t. Opus ergo erat certis stipulationibus, inter heredem et fideicommissarium interponendis, ut iucrum et damnum hereditarium pro rata parte inter eos commune esset. Quae stipulationes partis et pro parte dicebantur. Vlp. *Fragm. XXV, 15*. Hinc quoties heredi fiduciario quarta ex testamento erat salva, toties hereditatem restituerebat ex SCt. Trebelliano. Sin plus dodrante esset restituendum, quartam ex SCt. Pegasiano detrahebat, et de obligationibus sibi cauebat interpositis stipulationibus. §. 6. *Inst. b. t.* Ast cum stipulationes illae multis viderentur captiosae: placuit Iustiniano, expulso SCt. Pegasiano, Trebelliano omnem auctoritatem praestare, vel potius ex duobus facere vnicum, idque Trebelliani nomine insignire, ita quidem, ut quartam heres semper haberet saluam, actionesque inter eum et fideicommissarium pro rata diuiderentur, heredi vero simul adeundi hereditatem imponeretur necessitas. §. 7. *Inst. b. t.* Immo iure nouissimo, si heres adire quartaque contentus esse nollet, deficientibus coheredibus atque substitutis, ipse fideicommissarius adire potest per *Novell. I. cap. I. §. 1.*

VIII. Ad fideicommissa pertinet quoque SCt. APRONIANVM. Nec municipia enim olim, nec municipes, heredes institui poterant, quoniam incertum corpus erat, ut neque cernere vniuersi, neque pro herede gerere possent. Vlpian. *Fragm. XXII, 5*. Plin. *Epist. V, 7*. Fideicommissaria tamen hereditas municipibus restituenda erat per SCt. Apronianum

fideicommissarium, et nouum ius a Iustiniano introductum.

VIII. Senatus consultum Apronianum.

num cuius de aetate iam *Lib. II. Tit. XIV. §. 2.* differuimus.

IX. Differentia inter legata et fideicommissa singularia.

IX. Haec de FIDEICOMMISSIS *uniuersalibus.* AD SINGVLARIA quod attinet, magna olim erat inter ea et legata differentia. In legatis rigor iuris; in fideicommissis fauor voluntatis regnabat. *l. pen. D. de legat. 1.* Fideicommissum ad eum, cui aliquid dimissum erat, poterat peruenire, herede licet mortuo, si talis erat conditio testamenti: legatum ita relinqui non poterat. Fideicommissum codicillis, etiam si per testamentum non essent confirmati, relinquere licebat: legatum codicillis relictum non valebat, nisi illi essent testamento confirmati. A legatario legatum alteri relinqui non poterat; fideicommissum poterat. Per legatum seruo alieno directa libertas non dabatur; per fideicommissum recte dabatur. Fideicommissis tardius, quam scriptum erat, solutis usurae et fructus debebantur, legatorum non usura, sed duplum debebatur, si inficiaretur heres (*d*). Haec omnia tradit Caius *Inst. II, 7. 8.*

X. Eam iustitiam Iustinianus.

X. At Iustinianus, ne quid antiqui iuris integrum relinqueret, legata et fideicommissa per omnia, quod ad effectum attinet, exaequauit. *§. 3. Inst. de legat. 1. 2. C. comm. de leg.*

XI.

(*d*) Vltimam hanc differentiam, ex qua se expedire haud possunt Aleander et Oifel *ad Cai. l. c.* accurate explicant atque illustrant. V. C. Schulting. *Iurispr. Antiqu. p. n. 130.* Gerard. Noodt *de foenor et usur. III, 7.*

XI. Quemadmodum fideicommissa eludendis legibus fuerant recepta: ita declinande iuris testamentarii subtilitati acceptus est vsus CODICILLORVM. CODICILLORVM vero voce nihil denotabant aliud, quam scripturam quandam ad illos missam. Hinc saepe codicillos pro epistolis ponit Cicero *Epist. ad Fam. IV, 12, VI, 18. ad Attic. XII, 8. ad Quint. Fratr. II, 10.* Præcipue tamen id nomen tribuebatur epistolis, ad praesentes missis. Vnde Seneca *Epist. LV. Video te, mi Lucili, cum maxime audio, adeo tecum sum, ut dubitem, an incipiam non epistolas, sed codicillos, tibi scribere.* Vnde recte colligas, codicillos, quos deinde Imperatores, tanquam ultimæ voluntatis genus, approbarunt, nihil aliud fuisse, quam *epistolas scriptas ad heredes de eo, quod post mortem suam scribentes ab heredibus fieri vellent (e).* Boehmer. *Diss. de Codicill. sine testib. valid. Cap. I. §. 3. 4. p. 5. 6.*

XI. Codicillorum nomen et natura.

XII. Primus eiusmodi codicillos ad Augustum scripserat L. Lentulus, (quem anno V. C. DCCCLI. cum M. Valerio Messalino Consulem fuisse, ex Reinesii *Inscr. Class. X. n. 3. p. 597.* discimus,) qui Romæ fecerat testamentum, et Augustum filiamque heredem instituerat, deinde

XII. Eorundem origo.

(e) Hinc codicilli etiam *Epistolæ* vocantur. *l. 89. pr. D. de legat. II. l. 41. §. 2. D. de legat. 3.* Et quamvis vulgo differentiam statuunt inter codicillos et epistolas fideicommissarias, ut facit Petr. Muller. *ad Struuv. Ex. XXIV, 68.* non opus tamen esse hac subtilitate praeclare euicit laudatissimus Boehmerus *Diss. laudata, l. 7. et 8.*

inde decedens in Africa, scripserat codicillos, quibus aliquid ab heredibus fieri petierat. Quamuis vero ante ea tempora inauditum esset, per epistolam vel codicillos heredi aliquid iniungi quod ei necessitatem imponeret, ultimam illam defuncti voluntatem implendi: parebat tamen Augustus Lentuli codicillis, ipsaque filia eius exemplo rubore suffusa ex iis legata praeftabat. Quod principis exemplum facile imitati sunt alii. Quare Augustus, conuocatis sapientibus viris, interque eos C. Trebatio Testa, cuius tum auctoritas maxima erat, quaesivit, an possit recipi, nec abhorreret a iuris ratione codicillorum usus? Annuente Trebatio et illud codicillorum institutum magnopere probante, Augustus auctoritatem illi accommodauit. Post quae tempora, cum et Antistius Labeo, (qui tamen *nihil, nisi quod iustum sanctumque esse in Romanis antiquitatibus legisset, ratum pensumque habere solebat*, Gell. Noct. Att. XIII, 12. ac proinde magna apud omnes auctoritate, teste Tac. *Annal. III, 75.* erat) codicillos fecisset: iam nemini dubium erat, quin iure optimo codicilli admitterentur. Ita rem refert Iustinianus ipse *princ. Inst. b. i.*

XIII. Formulae codicillorum.

XIII. Non aliter vero concipi solebant codicilli ac epistolae. Hinc praemittebatur sollemnis illa, qua epistolas auspicari solebant, saluatio: *L. Titius heredibus primis, et substitutis salutem. l. 56. D. de fideic. libert. l. 37. §. 2. et 3. D. de leg. 3. l. 50. §. 1. ac adim. vel transf. leg.* Nec tamen semper ad heredes, sed et non-

nun-

nunquam ad ipsos fideicommissarios verba dirigebantur. Cuius rei exemplum exstat *l. 75. pr. D. de leg. 2.* Integras formulas Latinas aequae ac Graecas magno studio collegerunt Barn. Briffon. *de Form. VIII. p. 686. seq.* et Guido Pancirol. *Thesaur. Var. Lect. I, 29.*

XIV. Confirmati tamen codicilli esse debebant testamento, ut heredi necessitas imponeretur praestandi, quod erat rogatus. Hinc testamentis inseri solebat formula: *Si quos codicillos reliquero, valere volo. l. 56. pr. D. de fideic. libert.* Alias ultimam defuncti voluntatem implere non debebat heres, nisi ultro vellet. Quod facere se solere, ait Plinius *Epist. II, 16.* Sed postea per Severi et Antonini constitutionem illa codicillos confirmandi necessitas remissa est, modo appareret, testatorem a voluntate, quam in codicillis expresse rat, non recessisse. Ant. Faber. *Coniect. XV, 16.*

XIV. Codicilli testamento confirmati.

XV. Ex his ergo facile apparet, in codicillis non magis, quam in epistolis, desideratam esse ullam sollemnitatem. §. 3. *Inst. h. t.* Non ergo testibus opus erat in codicillis testamento confirmatis, qui omnem virtutem atque efficaciam suam a testamento mutuabantur, ut recte animaduertunt Bachou. *ad tit. Inst. de fideicommiss. hered. §. ult et Boehm. Diss eadem I, 10.* Sane in Digestis nunquam exiguntur testes, iunmo alia omnia elucent ex *l. 8. §. 2. D. de iure codicill.* et *l. 89. pr. D. de legat. 2.* Quin nec in codicillis ab intestato necessarios visos esse testes, erudite probat laudatissimus Boehmerus *Diss. ead. I, 23. p. 22.*

XV. Sollemnitatibus an opus fuerit in codicillis?

XVI.

XVI. Ius nouum sensim introductum.

XVI. Sed et hanc antiqui iuris simplicitatem sensim peruertit sequentium Imperatorum *uouo-θεωία*. Hac permissum, ut codicilli etiam nuncupatione, sine vlla scriptura, fierent. *l. 8. §. 3. C. de SS. Eccles. l. 3. pr. C. de bon. libert.* Id quod tamen codicillorum ab indole plane abhorret. Hinc ex eo tempore etiam testibus opus visum est, quos in codicillis ab intestato primum exegit Constantinus M. vel, ut alii malunt, Constantius (f), *l. 1. C. Theod. de testam. et codicill.* Postea Theodosius vulgo dicitur generatim in omnibus codicillis testes desiderasse, ob *l. ult. §. ult. C. de codicill.* Sed iam Iacobus Gothofredus animaduertit, comma vltimum illius legis non esse Theodosii, verum a Triboniano assumptum, quod etiam ex *l. 7. C. Theod. de testam. et codicill.* clarissime patet. An testes etiam in codicillis, testamento confirmatis, exegerit Iustinianus, adhuc sub iudice lis est. Plerique affirmant ob *l. 28. §. 1. C. de testam. l. ult. C. de codicillis*: Sed non contemnendis rationibus id negat laudatus

Boehmerus. *Diss. ead. I, 27. seq.*

p. 26. seq.

(f) Vulgo, iam Diocletiani tempore testes adhibendos fuisse codicillis, colligunt ex *l. 22. C. de fideicom.* Sed conferatur Boehm. *Diss. ead. I, 25. p. 24.*



ROTANOX

2015

